

UNIVERSA

THEOLOGIA DOGMATICO-SCHOLASTICA

PRO

SACRAE SCIENTIAE STUDIOSIS & AMATORIBUS

CONCINNATA

A

P. Fr. DALMATIO KICK,

ORD. MINOR. S. P. FRANCISCI REFORM. LECTORE EMERITO AC PROVINCIÆ ANTONIANO-BAVARICÆ EXPROVINCIALI & DIFFINITORE ACTUALI.

TOMUS II.

DE DEO UNO ET TRINO,

AC

VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

IN DUAS PARTES DIVISUS:

QUARUM PRIOR EXPENDIT

DEUM UNUM ET TRINUM,

POSTERIOR

VIRTUTES THEOLOGICAS SE CIRCA DEUM MAXIME OCCUPANTES.

PARS I.

DE DEO UNO ET TRINO.

PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI.

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF, MDCCLXVI.



Approbatio Cenſoris.

Opus hoc Theologicum nihil fidei Orthodoxæ, bonisque moribus contrarium continet, laude & prælo digniſſimum. Auguſtæ 12. Sept. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ,

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.





Facultas

Reverendissimi Commissarii Generalis totius Cismontanæ Familiæ

Fr. Joseph Maria de Vedano Ordinis Minorum Lector Jubilatus, & in hac Cismontana Familia tam observantium quam Reformatorum, & Conceptionistarum Commissarius Generalis ac in Domino Servus.

Cum juxta Apostolicas nostrique Ordinis Constitutiones de Mandato nostro Idonei Censores opus quoddam a R. Patre Fratre Dalmatio Kick, nostræ Reformatæ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Sac. Theologiæ Lect. Emerito, ac Exprovinciali elaboratum, cui titulus est: *Theologia Dogmatico-Scholastica* de *Deo Uno & Trino ac de Virtutibus Theologicis Tom. Secund.* recognoverint, illudque ab ipsis revisum, & approbatum fuerit; Nos præsentium tenore, ad salutaris obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus servatis de reliquo servandis idipsum Typis mandari possit, & valeat.

Dat. Romæ ex Aracœlito die 26. Junii 1765.

Fr. Joseph Maria de Vedano
Commissarius Generalis.

(L.S.)

Regta.

De Mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Antonius a Fundo
Secretarius Generalis.

Censura

Cenſura Theologica.

Ex commiſſione A. R. P. Monitoris Puechner Lectoris Emeriti, Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Miniſtri Provincialis actualis attente legi, ac perlegi Opus Theologicum, cui titulus: *Tomus ſecundus Theologiæ Dogmatico-Scholaſticæ de Deo Uno, & Trino, ac Virtutibus Theologicis in duas partes diviſus:* A.R.P. Dalmatio Kick Reformatæ noſtræ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Exprovinciali, & SS. Theologiæ Lectore Emerito compoſitum, ac elaboratum, in quo non ſolum nihil deprehendi, quod Orthodoxæ fidei, bonis moribus, vel ſanæ doctrinæ eſſet contrarium: ſed potius in eodem admiratus ſum maximam Theologicæ doctrinæ profunditatem, optimam ſelectarum materiarum cohærentiam, nec non intricatiſſimas difficultates cum tanta claritate, brevitate & ſoliditate reſolutas & explicatas, ut hoc opus, cum in maximam Theologorum utilitatem, tum in ulteriorem commendationem ſui Authoris, aliunde ex aliis jam libris orbi literario noti, prælo ac publica luce digniſſimum jure meritiſſimo cenſeam.

Monachii 14. *Januarii* 1765.

Fr. Deogratias Häring
SS. Theologiæ, ac SS. Canonum Lector Emeritus, & Diffinitor actualis mppria.





Cenſura Theologica.

Ex eadem commiſſione A. R. P. Monitoris Puechner, Lectoris Emeriti, ac Provinciæ Antoniano-Bavaricæ Miniſtri Provincialis actualis legi præſentem Tomum 2dum Theologiæ Dogmatico-Scholaſticæ de Deo Uno, & Trino, ac Virtutibus Theologicis in duas partes diviſum, A. R. P. Dalmatii Kick Reformatæ noſtræ Provinciæ Antoniano - Bavaricæ Exprovincialis, & SS. Theologiæ Lectoris Emeriti: Sicut autem in primo Tomo hujus præclari operis, ſic nec in ſecundo quidpiam reperi, quod non omnimodis tam Orthodoxæ fidei, quam bonis moribus eſſet apprime conſonum, quin e contrario immenſum, ac inſcrutabile pelagus & Deitatis, & Trinitatis una cum Virtutibus Theologicis hæc ipſa Deitatis myſteria immediate reſpicientibus, tanta claritate, ac ſoliditate tractat, ut non modo ſagaciorem intellectum non vexet, ſed & a quibusvis Theologiæ Canditatis (quorum utilitatem, & in ſtudendo facilitatem ſpectat) facile intelligi, capique valeat. Quare iterato & ſecundum partum hunc Theologicum (qui ſe ipſum literato orbi jam commendat) non tantum prælo digniſſimum, ſed & cunctis Theologis utiliſſimum judico.

Monachii 14. Januarii 1765.

Fr. Theobaldus Bux
Lector Generalis, & SS. Canonum actualis, ac Provinciæ Cuſtos mppria.

Facul-

Facultas
A. Rev. P. Miniſtri Provincialis.

Cum D. Joſephus Wolff, Bibliopola Auguſtanus Typis vulgare velit etiam ſecundum Tomum Theologiæ Univerſæ Dogmatico-Scholaſticæ, imo & reliquos Tomos omnes ejusdem Theologiæ conſcriptos ab A. R. P. Dalmatio Kick Ordinis noſtri, & Provinciæ Bavaricæ Fratrum Min. S. Patris Franciſci Reformat. ExMiniſtro Provinciali & Lectore Emerito jam debite approbatos, Eidem D. Wolff, facultatem imprimendi, & diſtrahendi impertior, ſimulque communico ad Decennium tamen tantum duraturum Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum, vel alios Libros a PP. & Fratribus ſtrictioris, & Regularis Obſervantiæ S. P. Franciſci editos citra conſenſum Superiorum prædicti Ordinis recudere, vel intra fines S. R. Imperii inferre valeant, in cujus confirmationem has Literas Chirographo meo & conſueto Officii mei Sigillo munitas dedi in Conventu noſtro Monacenſi 15. Septembr. 1765.

(L.S.)

Fr. Jacobus de marchia Schöpfer
Ord. Min. S. P. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Miniſter Provincialis.

SERIES



SERIES TRACTATUUM

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Assertionum, & aliorum in hoc Tomo II. Theologiæ universæ Scholastico-Dogmaticæ comprehensorum.

TRACTATUS PRIMUS.

DISSER-

TRACTATUS SECUNDUS.

§. I.

TRACTATUS TERTIUS.

TRACTATUS QUARTUS.

TRACTATUS QUINTUS.

PARS II.

TRACTATUS PRIMUS.

tum

TRACTATUS SECUNDUS.


TRACTATUS TERTIUS.

TRACTA-

TRACTATUS QUARTUS.

PROLO-



PROLOQUIUM
AD TRACTANDA DE DEO UNO, & TRINO.

Jam ad ipſa Theologiæ arcana præcipua gradum promoveo, Deum unum, & Trinum pro viribus intellectus creati, fide illuminati, ſcrutaturus. Quæ quidem eſt nobiliſſima Theologiæ pars, & maxima illius, quam Scholaſticam, vel etiam alias Speculativam vocant. Excellit inter reliquas partes, quia eſt de primario, & proprio Theologiæ objecto, & ad intellectum multorum, atque maximorum Fidei Myſteriorum ſingulariter conducit. Ne in rebus his altiſſimis aberrem, ſelegi mihi quidem Ducem fidum, Joannem Duns Scotum, quem tamen ita ſequor, ut alios quoque Doctores non negligam: ex his illud amplectar ſemper, quod gravioribus fundamentis videtur niti. Præſcindam, & omittam inutiles quasdam Antiquorum Controverſias, vel breviter duntaxat tangam, ut utilioribus, & neceſſariis plus temporis valeam dare. Secabo autem pro meliore ordine materiam in aliquos Tractatus, hos in Diſſertationes, & has in Articulos: iſtos vero, ubi materiæ prolixitas exigit, denuo in §§phos ſeu minores Articulos dividam. Itaque ſit ſub invocatione, & auſpicio Dei Unius, & Trini



Tractatus I.

DE

EXISTENTIA, ET ESSENTIA, AC UNITATE, ET PERFECTIONIBUS EXTRAESSENTIALIBUS DEI IN COMMUNI, ET QUIBUSDAM SPECIATIM.

Dissertatio I.

DE EXISTENTIA DEI.

Articulus I.

An existentia Dei possit invincibiliter ignorari, & an sit per se nota?

§. I.

Resolvitur Pars I. Articuli.

Præmitto cum communi Catholicorum, certum de Fide esse, quod Deus existat: hinc dicitur ad Hebræ. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est:* imo omnes fere paginæ S. Scripturæ existentiam Dei confirmant. Hoc posito oritur quæstio, an existentia Dei nequeat invincibiliter, vel inculpabiliter ignorari ab illis, quibus vera Fides non fuit prædicata, vel qui in silvis enutriti nihil unquam de Deo audierunt?

1. Assero: Deus ab adulto rationis compote, saltem diu, non potest invincibiliter ignorari. Hanc assertionem videtur Scotus supponere I. D. 2. Q. 2. N. ad argumenta n. 8. & est communis Theologorum; videtur tamen esse contra nostrum Pontium Diss. 2. q. 3.

P. I. Authoritate: Sap. 13. dicitur: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Et inferius additur: *Nec his debet ignosci: si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo*

modo hujus Dominum non facilius invenerunt? Ad Rom. 1. habetur: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Et subditur: *ut sint inexcusabiles homines.* S. Augustinus Tract. 106. in Joannem: *Hæc est vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, aut penitus possit abscondi.* S. Damascenus L. I. Orthodox. Fid. c. 1. *Notitia Dei omnibus a natura insita est, neque id aliquis ratione utens ignorare potest:* ergo.

P. II. Homo quivis, dum ad usum rationis pervenit, agnoscit brevi, aliqua vitia esse prohibita, & illicita, aliqua esse bona, & facienda, seu agnoscit legem naturalem: hinc & *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* ad Rom. 2. Atqui legem naturalem aliquis non potest agnoscere, nisi & aliquem supremum Legislatorem, vel Deum, sub prædicato saltem supremi Legislatoris, ipso naturali lumine implicite, & exercite agnoscat: ergo homo quivis, dum ad usum rationis pervenit, agnoscit brevi Deum sub aliquo saltem prædicato, scilicet supremi Legislatoris. M. constat; nam prima saltem juris naturalis, & honestæ vitæ principia, & illa, quæ immediate, & clare ex primis principiis juris naturalis deducuntur, ipso naturæ lumine dictantur, nec ignorari possunt, saltem longo tempore, ut patet ex ipso remorsu conscientiæ, qui sequitur ex transgressione ejusmodi præceptorum juris naturalis. m. p. ex una parte illa, quæ de jure naturæ non licent, debent cognosci ceu prohibita ab aliquo: ex altera parte debent cognosci ut prohibita a nullo alio, quam supremo Legislatore, qui supra omnes creaturas est: ergo &c. primum memb. ant. constat; quia actio aliqua non potest fieri illicita, nisi per prohibitionem: ergo si agnoscitur illicita, saltem implicite, & in confuso cognoscitur esse prohibita. prob. 2. memb. ejusdem antecedentis: primo enim talia, quæ de jure naturæ sunt illicita, non possunt esse prohibita ab ipso operante; nemo enim sibi ipsi est superior: neque possunt censeri esse prohibita a creatura alia, vel a tota communitate omnium creaturarum: tum, quia homo in silvis enutritus potest nullum alium hominem, vel creaturam agnoscere ut superiorem: & hic tamen habet legem naturalem scriptam in corde suo: tum, quia de jure naturæ aliqua ita apparent illicita, ut nullo modo consentientibus quoque, & suadentibus cunctis creaturis possint fieri licita; sed si obligatio, & prohibitio legis naturalis proveniret a creaturis, tunc illis consentientibus illa

tolli posset, & ea, quæ de jure naturæ prohibentur, possent fieri licita: ergo &c. Adeoque ejusmodi obligatio legis naturalis potest tantum provenire ab aliquo Legislatore, qui supra omnem creaturam est.

Neque dicas, quod peccata contra jus naturæ tali homini solum appareant ut prohibita a natura rationali, non vero ab altiore quodam Legislatore; nam contra est: vel nomine naturæ rationalis venit ipse homo, qui operatur, vel aliæ creaturæ, aut tota collectio omnium creaturarum: aut aliquid, quod est supra omnes creaturas? si ultimum: tunc habeo intentum; illud enim, quod est supra omnem creaturam, est Deus: si primum, vel secundum dicitur: tunc redeunt immediate dicta: ergo.

P. 3. Ordinatissima mundi fabrica in homine quovis rationis compote debet saltem excitare dubium, an non detur aliquis sapientissimus mundi author, qui propterea tanquam Dominus sit ab omnibus creaturis rationalibus amandus, timendus &c. Insuper naturale lumen rationi indicat, hoc dubium esse summi momenti, adeoque in illud debere tamdiu inquiri, donec veritas innotescat: ergo vel talis homo inquirit in veritatem? & certo cognoscet Deum, saltem sub aliquo prædicato: vel negligit inquirere? & manebit in ignorantia culpabili.

P. 4. Præter lumen naturale etiam illustratio, & gratia supernaturalis, saltem sufficiens, cuilibet homini datur rationis compoti, qua si uti velit, certo ad cognitionem Dei perveniet: ergo &c.

P. 5. a posteriori: Unusquisque in suis necessitatibus, & periculis, ipsa natura suggerente, supremum Numen invocat: quare stultus duntaxat, aut passionibus excæcatus potest Deum negare, vel ignorare, juxta illud Psal. 52. *dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Et juxta D. Augustinum Tract. 106. in Joan. *Exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur Authorem:* ergo homo rationis compos debet saltem exercite, & virtualiter aliquam cogitationem de Deo habere: vel si aliquis sit, qui nullatenus cogitet etiam exercite de Deo, dum peccat, tunc hujusmodi ignorantia est vincibilis, & culpabilis, ex depravatis moribus, vel alia culpabili causa proveniens.

2. Objic. 1. Juxta D. Augustinum mox cit. saltem pauci, in quibus natura nimium depravata est, possunt ignorare Deum: ergo &c. ℟. D. a. possunt ignorare Deum sub aliquo prædicato magis explicito

tr. a.

tr. a. ſub omni omnino prædicato, præſertim legislatoris ſupremi, aut primæ morum regulæ n. a. &c.

Objic. 2. SS. Patres & Scriptura, dum negant, Deum poſſe ignorari, intelligendi ſunt in ſenſu accomodo, ita ut negent hanc ignorantiam ſolum in ingenioſis, non vero rudibus: ergo. A. p. Etiam in aliis materiis SS. Patres ſæpius in ſenſu accomodo accipi debent: ergo & hic. ℞. N. a. dicta SS. Patrum & Scripturæ non debent limitari, aut in ſenſu accomodo accipi, niſi gravi urgente ratione, qualis hic non datur: imo ratio ſuadet, ut dicta PP. ſine ulla limitatione in hoc puncto ſumantur.

Objic. 3. Gentiles poſſunt invincibiliter ignorare Chriſtum, ac ipſum Deum ut Remuneratorem ſupernaturalem: ergo etiam poſſunt ignorare invincibiliter Deum ſimpliciter, ſeu ſub omni prædicato convertibili cum Deo. ℞. Tr. a. n. c. & paritatem: a lumine naturali, a creaturis, & obligatione honeſte vivendi inculcatur quidem Deus qua Creator, aut certe qua Regula prima morum: non autem ab illis ſic inculcatur Deus qua Remunerator ſupernaturalis, aut Chriſtus.

Objic. 4. Ethnici poſſunt invincibiliter ignorare aliqua, quæ ſunt de jure naturæ; nam invincibilis ignorantia juris naturæ non repugnat: ergo poſſunt etiam ignorare Deum ſub omni prædicato. ℞. d. a. poſſunt aliqua de jure naturæ ignorare c. a. omnia n. a. Quamvis aliqua præcepta juris naturalis a quibusdam uſum rationis habentibus poſſint invincibiliter ignorari, non tamen omnia: maxime inculpabiliter ignorari nequeunt principia juris naturalis prima, & facillima, quæ ſunt quaſi fundamentum omnis honeſtatis, quale eſt exiſtentia Dei. Quare hoc præprimis cuilibet homini inculcatur a creaturis, ſtimulo conſcientiæ, lumine ſupernaturali gratiæ, & obligatione ad honeſte vivendum.

Objic. 5. Homo in ſilvis enutritus in vitiis contra jus naturale, agnoſcit tantum indecentiam aliquam contra naturam rationalem, non vero obligationem ortam ex lege: ergo talis homo nec implicite, aut exercite agnoſcit Deum ſub prædicato ſupremi Legislatoris. ℞. D. a. agnoſcit indecentiam qualemcunque, qualem agnoſcit aliquis, dum ex neceſſitate coram aliis nudus debet incedere n. a. indecentiam culpabilem, quæ ex lege oriri debet c. a. & n. c.

Objic. 6. Si aliquis Doctor magnæ authoritatis ruſtico, vel ſimplici diceret, non dari Deum, tunc talis invincibiliter hoc crederet:

ergo ſaltem in hoc caſu daretur ignorantia invincibilis Dei. a. p. a pari: ſi Parochus, vel alius Doctor ſimplici diceret, quod duæ tantum dentur Perſonæ in Deo, talis invincibiliter crederet tantum duas Perſonas eſſe in Deo: ergo a pari. ℞. N. c. & paritatem: Trinitas Perſonarum divinarum ſola Fide, & revelatione, non vero ex principiis naturalibus conſtat, adeoque facile ſimplex ex inſtructione mala Parochi, aut alterius docti induci poſſet ad aliquid invincibiliter credendum, quod eſſet contra myſterium SSmæ Trinitatis: aſt ita induci non poſſet ad negandam omnimode exiſtentiam Dei ſub omni prædicato; ſiquidem hæc colligitur ex obviis principiis naturalibus, ex dictamine conſcientiæ &c. ex quibus ſimplex quilibet rationis compos facile colligere poteſt falſam eſſe inſtructionem contrariam, aut certe eam eſſe dubiam, ſicque obligari ſe ad ulterius inquirendum.

Objic. 7. Dantur aliqua motiva, ex quibus aliqualiter poteſt ſuaderi, non dari Deum: ergo ex talibus motivis poſſet omnino negari Deus. a. p. ſic e. g. ex hoc, quod impii in hoc ſæculo ſint felices, & probi infelices, aliqui poſſent induci ad credendum, non dari Providentiam divinam: ergo. ℞. Tr. a. d. c. poſſet omnino negari Deus vincibiliter, & culpabiliter c. c. inculpabiliter n. c.

Objic. 8. Braſili ante adventum Luſitanorum nullum Numen agnoverunt: iterum apud plures nationes per plura ſæcula nulla fuit de Deo notitia: ergo. ℞. N. a. Braſili, & aliæ nationes, de quibus objectio, non caruerunt omni notitia Dei: vel ſi non habuerunt magis explicitam cognitionem de Deo, tunc non invincibiliter; quia lumen ſupernum, & naturale per propria ſcelera, & ſocordiam obnubilarunt. Dein dato, quod aliqui ex illis dixerint ad Miſſionarios, ſe omni notitia Dei caruiſſe, in hoc tamen non dixerunt verum; quia Barbari illi, ut teſtatur Gormaz, ſæpe Luſitanos veritatem celabant. Ex his

3 Deduces 1. Saltem diu hominem rationis compotem non poſſe carere notitia Dei ſub aliquo prædicato. Ratio eſt: quia nemo poteſt diu vivere, quin advertat, ſe obligari ad ſequendum conſcientiæ dictamen, quod eſt præco divinæ voluntatis: ergo non poteſt diu carere cognitione Dei ſub prædicato ſupremi Legislatoris, obligantis ad non peccandum. Si autem modico tempore homo ad rationem perveniens non advertat ad obligationem honeſte vivendi &c. tunc & mo-

modico eo tempore habere poteſt ignorantiam Dei, etiam ſub prædicato ſupremi Legislatoris.

Deduces 2. Saltem moraliter eſſe impoſſibile peccatum mere philoſophicum, ſeu tale, quod fieret ab homine Deum penitus ignorante, aut non cogitante de Deo, dum peccat, ſicque agente contra ſolam decentiam, & dictamen naturæ rationalis, non autem offendente Deum, utpote ignoratum invincibiliter. Ratio eſt: quia juxta dicta ſaltem moraliter impoſſibilis eſt ignorantia Dei in eo, qui operatur contra rationis dictamen; ſiquidem ab ipſa natura unicuique inditum eſt, a Deo, vel ſupremo Legislatore prohiberi operationes cum ratione diſſonas: unde actu peccans, vel contra dictamen rationis, & conſcientiam agens, ſemper exercite cognoſcit Deum, quamvis plerumque remiſſe: ſicut Cytharædus actu cognoſcit regulas artis, dum ludit cythara, quamvis reflexe de iis non cogitet. Ita quoque Sacerdos, vel Religioſus peccans contra caſtitatem, exercite ſemper, & experimentaliter cognoſcit, ſe voto eſſe adſtrictum, quamvis ſignate de hoc non cogitet: pari modo etiam in propoſito diſcurrendum eſt. Unde recte damnata eſt hæc propoſitio ab Alexandro VIII. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale eſt transgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.*

§. II.

An hæc Propoſitio: DEUS EST, vel, DEUS EXISTIT, ſit per ſe nota?

Not. 1. Hic quæſtionem eſſe de propoſitione objectiva, non formali: ſeu quæri, an objectum hujus propoſitionis: *Deus exiſtit*, ſit per ſe notum? Eſt autem hæc quæſtio tota de nomine, inde breviter expedienda. 4

Not. 2. Propoſitionem per ſe notam eſſe illam, cujus veritas ex ſola terminorum apprehenſione evidenter cognoſcibilis eſt ſine alio medio, vel probatione a priori. Igitur ad propoſitionem per ſe

notam requiruntur tria: 1. ut prædicatum per se, & immediate conveniat subjecto. Hinc ista propositio: *homo est risibilis*, non est per se nota; quia risibilitas non ratione sui competit immediate homini, sed solum mediante rationalitate. 2. Ut prædicatum sit de essentia subjecti: quare istæ propositiones: *nix est alba: homo est risibilis*, quamvis sint evidentes, tamen non sunt per se notæ. 3. Ut connexio prædicati cum subjecto non possit demonstrari a priori: quia tunc propositio non per se, sed per medium illud prius foret nota. Non autem obstat propositioni per se notæ demonstratio a posteriori; hæc enim jam præsupponit immediationem, & connexionem terminorum per se talem, consequenter non desinit esse propositio per se nota, quamvis aliunde quoque possit cognosci per effectum, & demonstrationem a posteriori. H. N.

5 Assero: Hæc propositio: *Deus existit*, est per se nota. Scotus 1. d. 2. q. 2. n. 4. & alii. P. Existentia est de essentia Deitatis, imo est primarium prædicatum essentiale Dei, ut dicetur: ergo hoc prædicatum existentiæ convenit immediate Deo absque ratione, vel medio a priori: ergo.

6 Quæres: An dicta propositio sit per se nota non solum in se, sed etiam quoad nos? Ad hoc quæsitum respondet Scotus affirmative: D. Thomas vero, & alii negative, quibuscum etiam sentiunt aliqui Scotistæ, ut Henno, Herinx &c. ego vero sub distinctione utrique parti subscribo. Si ergo per propositionem per se notam *quoad nos* intelligatur illa solum, quæ tantum est noscibilis in actu primo remoto, & conditionate, si nimirum rite penetrentur termini: equidem ajo, illam propositionem etiam respectu intellectus hominis viatoris esse per se notam, seu eam esse per se notam, etiam *quoad nos*; nam etiam nos, si rite penetraremus terminos, evidenter cognoscеremus immediatam veritatem ejus, absque ulla probatione a priori. Si vero per propositionem per se notam *quoad nos* intelligatur illa, quæ est actu a nobis per se cognita, vel per se proxime, & absolute cognoscibilis, dico, eam non esse per se notam *quoad nos*; quia in hac via non cognoscimus clare terminos hujus propositionis in se, scilicet Deitatem, & ejus existentiam, sed habemus tantum cognitionem de illis per discursum a posteriori. Atque hæc sufficiat dixisse de quæstione hac parum utili, in qua agitur solum de significatione nominis.

Has

Has particulas *quoad nos*, licet contineant barbarismum contra linguam latinam, tamen hic usurpo, sicut & alia verba quodammodo barbara, in Scholis usitata, per decursum occursura, propter longævum usum Scholasticorum, & ad faciliorem intellectum.

Articulus II.

De Existentia Dei: An, & quomodo ea sit demonstrabilis?

Nolo hic antiquam crambem, jam a Philosophis satis superque coctam, iterum recoquere de demonstratione ex argumentis physicis a posteriori, & quasi a priori, quæ multum etiam inter doctos disputantur; sed solum ad ea me converto, quæ faciunt ad minimum moralem certitudinem, ac talem, ut ei prudenter nemo possit dissentire: quibus proinde quicunque homo prudens debet assentire, & vitam suam conformare, adeo, ut alias, si secus fecerit, sit inexcusabilis. Quæ ipsa etiam pro indoctis faciunt: sunt autem ista duo saltem, petita ex admirabili fabrica mundi, & communi consensu. Itaque

Assero 1. Existentia Dei efficaciter ostenditur ex admirabili fabrica, ordine, ac gubernatione universi. Communis. P. Ad minimum moraliter est evidens, & ab homine sano prudenter innegabile, quod hoc totum universum non potuisset tanta simetria, ordine, ac pulchritudine produci, neque tam certis, ac stabilibus legibus conservari, nisi Mens aliqua sapientissima, & omnipotens hæc omnia ordinatissime produxisset, & providentissime gubernaret: atqui hæc Mens sapientissima, & providentissima est Deus: ergo. m. est evidens. M. quoque a solo stolido negari potest. Sed majoris claritatis gratia 7

Confirm. Si aliquis casu in desertam Insulam naufragio ejiceretur, ibique inveniret Palatium ordinatissime exstructum, ac Bibliothecam innumeris quasi, & eruditissimis libris refertam: talis utique non posset credere prudenter, hoc ædificium casu, aut sua sponte sic exsurrexisse: talem Bibliothecam sine ullius opera se ipsa ita confectam esse; sed, si prudenter judicare velit, statim arguet, antecedenter in hac Insula fuisse artificem aliquem insignem, qui ædificii est author: fuisse etiam quempiam, qui hos libros aut ipse composuit,

aut ab aliis compositos comparavit: ergo a fortiori aliquis ita judicare debebit de universo, & ejus Authore. Plane aliquis constantem ex tam diversis, tantisque rebus mundi machinam prudenter non potest credere casu ex atomis convolasse, sine ullius artificis interventu.

Adde, in mundo non solum plurima essentialiter diversissima esse entia viventia, & non viventia, sed etiam talia, quæ captum humanum longe excedunt: quorum causas accuratissimi quoque Philosophi post intensissimum studium invenire non potuerunt, minus ipsi conficere. Adde insuper tantam multitudinem entium mira simetria, ordine, ac pulchritudine per tot sæcula jam durare. Quæ utique, & alia probabunt dari aliquod primum ens summe sapiens, & omnipotens, quod hæc omnia ex nihilo produxit, & ea adhuc conservat.

Profecto Galenus L. 17. de usu partium censet, ex sola animali cujuscunque corporis fabrica clarissime manifestari divinam aliquam, & sapientissimam mentem, animalium opificem. Quid jam dicendum de infinitis quasi animalium speciebus? Plane etiam minimum animalculum in minutissimo corpusculo habens omnia organa, & membra summe proportionata, clamat, & demonstrat suum opificem esse Ens infinitum: cum etiam omnium hominum industria eo usque non possit pertingere, ut arte sua simile animal efficeret, vitamque ipsi daret.

Hæc res ita est clara, ut oculis cujusvis pateat, ac manibus palpetur: quare ulterius de ea loqui desino, & conclusionis loco verba D. Chrysost. in Psal. 13. adduco, quæ ita habent: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? Non est ædificator, & quomodo domus facta est? Non est Architectus, & quis orbem condidit? Non est Musicus, & quomodo in mundi lyra apparet concentus?* Paucis ergo: Non datur liber optime conscriptus sine authore conscribente: non datur ædificium sine architecto, vel constructore: non datur perfectus concentus musicus sine Musico: ergo neque ordinatissima mundi machina dabitur sine authore sapientissimo.

8 Objic. 1. Quod detur universum tam pulchrum, & ordinatum, cognoscimus solum per experientiam, & testimonium sensuum; atqui experientia, & testimonium sensuum est plurimum fallibile: ergo &c. ℞. D. m. experientia sensuum in casibus particularibus est fallibile c. m. in casibus universalissime, & constantissime contingentibus n. m. Certe,

te, quia universaliter, & omnibus est notum per experientiam sensuum, seu per visum, solem meridiano tempore lucere, ideo solum stultus hoc poterit negare. Idem dic in proposito.

Objic. 2. Potest dici: aliqua entia finita, v.g. materiam primam, ac stellas esse a se, & ex illis postea reliqua esse formata: ergo &c. ℞. N. a. 1. Est imprudens, dicere, quod materia prima, & alia entia longe inferiora, quam ipse homo, hominique ad suum finem servientia, sint a se, homo vero longe nobilior sit productus ab alio. 2. Quis prudenter sibi persuadere potest, quod ab aliquibus entibus inanimatis, ratione carentibus, fuerit producta, & conservata tanta machina tot diversorum entium, tam artificiose inter se disposita, per tot saecula inter se constanter cohaerens, ac inter tot tam mirabiles vicissitudines semper constans in suo esse? Si homines intellectu perspicacissimi omnibus suis cogitatibus non possunt penetrare ordinem, nexum, & essentiam rerum hujus universi: quomodo id efficere potuerunt entia aliqua inanimata?

Objic. 3. Levia, & gravia suapte natura moventur sursum, & deorsum: ergo etiam suapte natura herbae crescunt, animalia generant, sydera gyrantur: ergo ex universo, & ejus ordine non ostenditur aliqua Mens superna, & infinite sapiens. ℞. D. a. & primum cons. quam tamen naturam gravia, levia, herbae, & caetera entia debuerunt accipere ab aliquo Ente supremo, & sapientissimo c. a. secus n. a. & cons. Est enim penitus incredibile, quod opera tam stupenda, tam diversa potuerint primum esse, originem, & virtutem obtinere, & in suo ordine tamdiu conservari ab alio, quam ab Ente sapientissimo.

Objic. 4. Atomi, vel particulae materiae primae infinitis diversis modis compositae, possunt facere combinationes omnes possibiles: ergo etiam combinationem hujus mundi. ℞. D. a. possunt omnes combinationes possibiles facere casu n. a. non casu, sed accedente ordinatione alicujus sapientissimi Entis c. a. Non est possibile, combinationes constanter ordinatissimas casu factas esse. Certe, si videmus horologium bene confectum, ac regulariter indicans horas, illud non casu coaluisse, sed arte & industria artificis confectum esse, judicamus: ergo etiam idem dicendum est, si aspicimus totum universum ordinatissimum. Quare dum semper equus equum, canis canem generat, dum sol continuo suum cursum rectissime peragit &c. id non casu, sed superiore consilio fieri oportet. Deinde stupidum hoc argumentum Aristoteles 1. Metaphys. summario 2. c. 2. jam explosit, tan-

quam ſomnium hominis ebrii: unde etiam Anaxagoram tanquam ſobrium laudat, eoquod Mentem, ſeu Deum Univerſorum cauſam admiſerit.

9 Aſſero 2. Exiſtentia Dei probatur etiam efficaciter ex univerſali perſuaſione hominum. Etenim univerſaliſſimus, & conſtantiſſimus conſenſus omnium gentium, & perſuaſio omnium Sapientium negari minime poteſt, aut falſitatis argui; atqui talis conſenſus univerſaliſſimus eſt, & fuit omni tempore de exiſtentia alicujus Numinis colendi: ergo. M. per ſe patet; ſi enim illa poſſumus negare, quæ communi omnium conſenſu habentur pro veris, tunc & prima principia lumine naturæ nota, quæ fere tantum ex communi omnium conſenſu nota ſunt, negari poſſunt. Item eſt abſurdiſſimum, quod Natura, in cujus operibus ſumma ordinatio relucet, permittat errorem univerſalem circa primum fundamentum omnis honeſtatis, quod eſt Deus colendus, & timendus. m. conſtat ex illo Ciceronis L. 1. de LL. ubi ante medium ait: *In hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Et D. Auguſt. Tract. 106. in Joan. ait: Divinitatem homini ratione utenti non poſſe penitus abſcondi.

10 Objic. 1. Protagoras de exiſtentia Dei dubitavit: Diagoras vero, & nonnulli alii eam omnino negarunt: idem faciunt athei: ſimiliter aliquæ Regiones nullius fere Numinis ſuſpicionem habuerunt: ergo hæc exiſtimatio non eſt adeo univerſalis. ℞. Etiam hoc primum principium: *quodlibet eſt, vel non eſt*, feruntur Heraclitus, & Epicurus negaſſe, & tamen illud manet certum, & evidens: ergo idem eſt de exiſtentia Dei; etſi enim forte a paucis hominibus, iisque peſſimis negetur, tamen hæc paucorum inſana negatio non poteſt obeſſe univerſaliſſimæ, & conſtantiſſimæ omnium aliorum perſuaſioni. Quid ad alterum de ſimilibus nationibus, quæ dicuntur, Deum non agnoviſſe, reſpondendum ſit, patet ex Art. præc. §. 1. N. 2. Object. 8.

Objic. 2. Plures opiniones, quæ apud antiquos fuere communes, fuerunt poſtmodum rejectæ: ergo etiam iſta de exiſtentia Dei poteſt ſic rejici. ℞. N. c. Illæ opiniones, quæ a Modernis ſunt rejectæ, non fuere communes toti generi humano, ſed tantum paucis reſpective v. g. Philoſophis, vel Theologis: aſt perſuaſio de exiſtentia Dei eſt toti generi humano communis, & innata. 2. Opiniones illæ Antiquorum, quæ modo ſunt rejectæ, non ſunt tanti momenti, quanti eſt perſuaſio de exiſtentia Dei, quæ eſt fundamentum primum omnis honeſtatis.

nestatis. Ast non potest prudenter existimari, quod tota gens humana erret in persuasione communi circa primam regulam, & fundamentum præcipuum omnis honestatis.

Objic. 3. Potuit peccatum originale corrumpere totam naturam: ergo etiam erronea persuasio de existentia Dei. ℞. 1. Hoc argumentum destruit se ipsum; supponit enim, dari peccatum originale: ergo etiam Deum; nam sine decreto Dei non fuisset datum peccatum originale. ℞. 2. N. c. nam 1. peccatum originale non est nobis a natura inditum, sed ex malitia Protoparentum contractum: ast talis erronea persuasio deberet nobis esse a natura indita. 2. Ejusmodi persuasio deberet esse fundamentum omnis honestatis, & simul deberet esse erronea: atqui est absurdissimum, quod Natura, cujus ordo in omnibus maxime sapiens videtur esse, erroneam persuasionem pro fundamento maximo honestatis indiderit toti humano generi. Dein dato, quod in particulari casu, per accidens contingente, conscientia erronea, vel error possit esse fundamentum honestatis, tamen id repugnat universaliter, & per se.

Objic. 4. Ignorantia prædestinationis potest esse utilis ad salutem: ergo etiam ignorantia Dei existentis. ℞. N. c. Prædestinatio non est fundamentum honestatis, sicut ipse Deus colendus, timendus &c.

Objic. 5. Etiam fuit persuasio apud plurimos, dari plures Deos: ergo etiam darentur plures Dii, si argumentum ex communi persuasione teneret. ℞. D. a. Et hæc persuasio non fuit omnium omnino hominum, ac omni ætate c. a. secus n. a. De existentia alicujus Dei, & de honestate cultus impendendi Deo, fuit universalis persuasio omnium hominum, & nationum: non sic de numero, vel unitate Deorum; nam vix duæ nationes circa numerum Deorum tempore Gentilismi convenere. Verum de hac materia plura Articulo seq.

Atque hæ duæ rationes saltem efficaciter probant, quamvis aliqui, præcipue RR. velint, eas esse metaphysice evidentes. Vocantur etiam rationes, & probationes morales ab istis RR. & aliis Th.; quia ex fundamentis, & regulis morum sunt desumptæ.

Articulus III.

De Unitate Dei.

Unitatem Dei rejiciebant Gentiles, a quibus Deorum pluralitas est invecta. Hesiodus memorat, triginta Deorum millia fuisse apud Gentiles: de quibus dicebat Tertullianus Apologet. c. 10. *Novi sunt, atque veteres, Barbari, Græci, Romani, peregrini, captivi, adoptivi, urbani, nautici, militares.* Unitatem Dei etiam ex hæreticis antiquis aliqui impugnabant, modo duos, modo tres fingendo, vel omnino triginta, ut Valentinus triginta Æonas, aut Tres Personas divinas tres Deos dicendo cum Tritheitis, de quibus jam in Chronico est dictum. Sed contra hos omnes

11 Assero 1. Deus unicus est. P. ex S. Scriptura. Deuteron. 4. dicitur: *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Ibidem c. 6. v. 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Item ibidem c. 32. v. 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Psal. 85. *Tu es Deus solus.* Marc. 12. v. 29. *Audi Israël: Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Eadem veritas ex Symbolis, & aliis pluribus S. Scripturæ textibus liquida est. Tertullianus L. 1. contra Marcionem c. 3. ait: *Deus, si non unus est, non est: quia dignius credimus, non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit.* S. Athanasius Orat. contra Idola: *Multiplicitas Deorum, nullitas Deorum.*

Quia vero Dei unitatem plurimum negant, qui S. Scripturæ authoritatem non agnoscunt, hinc contra eos agendum est præcipue ratione. Scotus 1. d. 2. q. 3. septem assignat argumenta: nos aliquot ex eis tantum seligemus, quibus unitatem Dei etiam demonstrabimus evidenter. Quare

12 Assero 2. Potest unitas Dei etiam ratione naturali demonstrari. Ita Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus cit. & alii communiter contra Ockamum, & alios, qui quidem admittunt Dei unitatem posse probabiliter, non autem evidenter, & demonstrative probari. Igitur

Demonstratur 1. Si plures possent dari Dii, tunc defacto deberent dari, & esse innumeri, imo infiniti Dii: sequela haud dubie ab ipsis Gentilibus negabitur, & est contra omnem rationem: ergo & id unde sequitur. P. M. Si plures possent esse Dii, tunc possent esse innumeri, & infiniti; sed si possent esse, tunc deberent de facto jam actu esse:

esse: ergo, si plures possent esse Dii, tunc defacto deberent esse innumeri, & infiniti. M. constat: quia si natura divina secundum se esset multiplicabilis in pluribus individuis, & Diis, tunc nulla esset ratio, cur ad certum numerum individuorum restringeretur: imo ipsa infinita natura exigeret hanc multiplicabilitatem sibi identificatam pariter infinitam. Adde, quod etiam naturæ creatæ, qui sunt multiplicabiles, possint in infinitum multiplicari, & ad nullum determinatum numerum restringantur: sicque homines essent in infinitum, semper ulterius & ulterius producibiles. Quod autem in determinato numero producantur, hoc provenit a causa productiva, quæ naturam talem determinat ad certum numerum individuorum: atqui Deus non haberet causam sui productivam, a qua posset ad certum numerum determinari: ergo.

Probatur etiam minor prioris Syllogismi: Natura divina est ens necessarium secundum suum esse; atqui in ente necessario est idem posse esse, ac actu esse: ergo si Natura divina possit multiplicari in infinitis, & innumeris individuis; tunc jam actu sic est multiplicata. Hoc argumentum attingit Prudentius in Hamartagineja, deridens pluralitatem Deorum sequentibus versibus:

Sunt duo? sunt. Igitur cur non sunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello est?
An non in populos diversa examina Divum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis passim nullo discrimine Monstris?

Demonstratur 2. Si plures sunt Dii, tunc vel omnes sunt æquales: vel unus ex ipsis excellit reliquos? neutrum potest dici; si enim unus excellit, tunc ille solus est Deus, solus illimitatus, ac perfectissimus: reliqui vero non sunt Dii, quia imperfecti, subditi, & limitati, ac superiorem se agnoscere debent. Si vero sunt omnes æquales, nullus ex ipsis erit Deus; nam Dei nomine concipimus Ens supremum, cui nihil adæquari potest: atqui cuilibet, ex his pluribus æqualibus Deus alter adæquatur: porro complexum ex pluribus æqualibus Diis foret perfectius, & æstimabilius, quam unus Deus seorsim: ergo nullus ex his foret Ens perfectissimum, vel tale, quo majus nequit cogitari. Si autem dicis, quemlibet ex his fore perfectissimum, & omnem

perfe-

perfectionem excogitabilem in fe continere, fic infto: fi unus Deus eft ratione fuæ infinitatis perfectiffimus, ac confequenter fufficientiffimus & fibi, & univerfo, reliqui funt fuperflui, & minime neceffarii: ad quid autem tot Dii, qui non funt neceffarii? Natura horret in rebus fuis fuperfluum, quidni & horreamus in Diis multiplicandis? quod ulterius fuadetur, quia fic de altero Deorum, imo de quolibet feorfim accepto, poffet aliquis dicere, quod talis Deus fit fruftra: cum etiam hoc deficiente alius adfit fufficientiffimus ad quævis præftanda. At quid turpius, quam vero Deo poffe objicere, quod non fit nobis neceffarius, & quod fit fuperfluus?

Demonftratur 3. Si plures funt Dii, vel omnes habent liberrimam, & independentem ab aliis poteftatem difponendi, vel non habent? fi non habent; quomodo fint Dii, & fupremi Domini, qui carent libertate agendi, & difponendi pro libitu, ac poffunt in fuis difpofitionibus impediri? Plane hoc ipfo funt entia imperfecta, & limitata. Si autem habent independentem, & liberrimam poteftatem difponendi, poffunt velle contradictoria: unus poteft velle hoc tempore confervare, vel producere iftam rem, alter poteft velle, & ordinare deftructionem, vel non productionem iftius rei: alter poteft ordinare bellum in hoc regno, alter difponere in eodem pacem; atqui contradictoria fimul fieri implicant: ergo etiam talis libera, & independens ordinatio implicat. Imo taliter continuo effet bellum inter Deos, cum unus alterum impediret, unus hoc, alter oppofitum vellet: fed vah! miferos Deos, qui continuis diffidiis implicari deberent!

13 Objic. 1. Deus unus debet credi: ergo non poteft effe naturaliter evidens; nam quod eft evidens non poteft credi. R. N. c. nam eadem veritas fub diverfo refpectu poteft cognofci naturaliter, & evidenter, & fub alio poteft credi, præfertim per diftinctos actus. Sic unitas, vel exiftentia Dei unius poteft credi, quando proponitur ut veritas a Deo infinite veraci revelata: poteft & evidenter fciri, quando deducitur ex præmiffis naturalibus evidentibus.

Objic. 2. Deus poteft plus facere, quam capere poffit intellectus humanus: ergo etiam poteft plures facere Deos, etfi illos non capiat intellectus humanus. R. D. a. poteft plus facere, ita tamen, ut nihil poffit facere, in quo intellectus humanus evidentem deprehendit impoffibilitatem, & contradictionem c. a. fecus n. a.

Objic. 3. Idola Gentilium patrabant miracula; atqui miracula funt figna Divinitatis: ergo Idola habuerunt Divinitatem. R. N. M.

Mira

Mira illa, non miracula, quæ ad invocationem falſorum Deorum leguntur facta, patrata fuerunt arte dæmonum. Sæpe dæmon prius læſit aliquos, deinde remedium ex Idolo ſuggeſſit, ac tandem ceſſavit ipſe torquere, ut ſic morbos curaſſe crederetur: ut teſtatur Tertullianus in Apologetico c. 22. Res abſentes utique dæmon ob velocitatem ſuam, qua orbem luſtrat, intelligere, & edicere potuit: futuros vero eventus ſæpe conjiciunt, non autem infallibiliter ſciunt, maligni ſpiritus ex humorum temperie, aſtrorum influxu: imo & ex Scripturarum interpretatione, & Prophetarum oraculis aliqua prædicere potuere. Accedit, quod in oraculis Idolorum ſæpe plurimæ ambiguitates fuerint inſertæ, ut in illo, quod obtinuit Pyrrhus Epirotarum Rex, hujus tenoris: *ajo, te Romanos vincere poſſe.* Quod ille in ſui favorem explicans, ac credens, ſe facile Romanos vincere poſſe, ab illis victus eſt.

Objic. 4. Niſi Deus haberet ſocium, & alium Deum, quem diligeret, non eſſet perfecte beatus: ergo. ℞. N. a. Nam Deus infinite perfectus, eſt ſibi ſufficientiſſimus, nec indiget alio extra ſe, a cujus ſocietate complementum beatitudinis exſpectet.

Objic. 5. Tres ſunt Perſonæ divinæ: ergo & tres Dii. ℞. N. c. Nam tribus Perſonis una tantum Natura divina identificata eſt, & unitas Dei cum tribus Perſonis divinis concordari debet.

Dices: Saltem unitas Dei cum tribus Perſonis divinis non poteſt evidenter concordari: ergo ſaltem unitas Dei non evidenter demonſtratur. ℞. N. c. Etiam immutabilitas Dei, & libertas Dei evidenter demonſtrantur de Deo, & tamen non poſſunt evidenter inter ſe concordari. Sufficit ergo, quod evidens ſit, Deum eſſe unum, quamvis unitas Dei non poſſit evidenter concordari cum illis, quæ de Deo tantum ex Fide conſtant. Imo etiam in creatis ſæpe unum prædicatum eſt evidens, quamvis alterum, realiter cum illo identificatum, non ſit evidens: ſic evidens eſt naturaliter dari continuum, motum &c. in quo tamen vere continuum conſiſtat, & motus, naturaliter non demonſtratur.

Objic. 6. Non videtur, poſſe demonſtrari illud, quod Nationes florentiſſimæ multis etiam ſæculis ignorarunt; atqui gentes florentiſſimæ multis ſæculis ignorarunt unitatem Dei: ergo. ℞. D. M. Quod ignorarunt tantum externe, nempe ita vivendo, ac ſi ignorarent n. M. quod ignorarunt vere interne ſubd. ex defectu applicationis, quia noluerunt intellectum applicare ad cognoſcendum hanc evidenꝛ

videntem veritatem, & rationes, ex quibus eruitur hæc veritas n. M. ex defectu evidentiæ rationum c. M. Veritates etiam evidentes ſæpe non movent, ſi intellectus illis penetrandis non rite applicetur. Deinde Lactantius L. 1. Divinarum Inſtitutionum c. 6. & Clemens Alexandrinus Oratione Exhortatoria ad Gentes dicunt, quod Sapientes pæne omnes apud Gentiles unitatem Dei agnoverint. Idem teſtatur D. Juſtinus Martyr in Oratione Parænetica de Inſignioribus Philoſophis, maxime de Platone. Quod autem hic error colendi plures Deos duravit multo tempore apud varias Gentes, maxime apud plebem, in cauſa fuere corruptiſſimi mores, ob quos Deus eos *tradidit in reprobum ſenſum*, ut habet Apoſtolus ad Rom. 1. v. 28. unde ſuis vitiis excœcati, & nil niſi carnalia, ac temporalia ſapientes, Deos turpiſſimos, adulteros, & aliis ſceleribus notatos ſibi finxerunt, ut taliter ſuis peccatis excuſationem prætexerent. Acceſſit licentia Pictorum, & Poëtarum, qui rudes deceperunt: item ambitio Regum, ac adulatio ſubditorum honores divinos Principibus ſuis deferentium: acceſſit quoque Pſeudopolitia Principum ex Religionis mutatione turbas in regnis timentium. Porro quamvis plures quoque ex Philoſophis, & doctis in hoc puncto interne erraverint, tamen hoc mirum non eſſet; quia etiam plures errores alios ſæpe admiſerunt contra lumen rationis, utpote lumine cæleſti deſtituti, & naturalem rationem, Deo juſte permittente, peccatis ſuis obnubilantes.

14 Ex his refutatus manet error Gentilium, qui (teſte Cælio l. 22. lectionum antiq. c. 3.) tria millia Deorum, & trecentos Joves coluerunt: nec non ex dictis pariter rejicitur error aliquorum hæreticorum, qui cum Gnoſticis, & Manichæis admiſerunt duo Principia, vel duos Deos ſibi mutuo adverſantes, quorum unum dicebant eſſe bonum, & rerum inviſibilium, quæ juxta ipſos bonæ erant, authorem, alterum eſſe malum, & viſibilium, quæ ab ipſis mala putabantur, conditorem. Inſuper horum error etiam reprobatur in Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano, ubi unus Deus dicitur conditor viſibilium, & inviſibilium. Eſt quoque refutatus error Marcionis, qui poſt Cerdonem etiam duos Deos aſſeruit, ut teſtatur Irenæus L. 1. c. 18. quorum unus eſt ſeverus, & juſtus, ac Author veteris Teſtamenti, alter vero mitis, & miſericors, ac conditor novi Teſtamenti, & Legis gratiæ. Adde, hoc falſum dogma confutari per D. Paulum ad Hebr. 1. dicentem: *Multifariam, multisque modis*

olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio: per quod manifeſte dicit, eundem Deum fuiſſe & veteris, & novi Teſtamenti authorem.

Quæres hic incidentaliter: an Deus poſſit dici *unus numero?* 15
℞. 1. Si per unitatem numericam nihil aliud intelligatur, quam unitas ſingularitatis, & immultiplicabilitas numerica, tunc Deus poteſt dici unus numero; quia eſt vere ſingularis per Eſſentiam, & immultiplicabilis numero.

℞. 2. In rigore tamen non poteſt dici unus numero. Scotus 1. D. 24. q. un. per totum: quia aliquis *unus numero* ſolet dici cum ordine ad alios plures, ſive actu exiſtentes, ſive poſſibiles: ſeu unitas numerica ſolet eſſe principium multitudinis, ſaltem in rigida acceptione; ſic Paulus dicitur unus numero in exercitu cum ordine ad alios ſuos commilitones; atqui nec actu exiſtunt, nec poſſibiles ſunt plures dii, ut probatum eſt: ergo. Et in hoc ſenſu S. Baſilius Epiſt. 143. negat, Deum eſſe unum numero.

Diſſertatio II.

DE ESSENTIA DEI.

In hac Diſſertatione aliqua prænoſcenda ſunt. Cenſeo igitur 1. 16
Deum a nobis poſſe cognoſci non ſolum *negative*, ſcilicet removendo ab Eo, quidquid imperfectionis in creatura reperitur, ſed etiam *affirmative*, & *poſitive*, nempe tribuendo Deo, quidquid perfectionis ſine imperfectione reperimus, & quidem in gradu omnium excellentiſſimo. Scotus 1. D. 3. q. 2. n. 2. contra S. Thomam L. 2. contra Gentes c. 14. P. 1. Diligimus Deum, ſicut eum concipimus: ſed non diligimus in Deo ſolam negationem, quæ eſt non ens, & rationem boni amabilis non habet: ergo diligimus in iſto perfectionem aliquam poſitivam, quam concipimus. 2. Quando tribuimus Deo negationem aliquam, ſemper hoc facimus propter aliquam perfectionem poſitivam, quam comitatur ejusmodi negatio: ſic ſi Deo tribuimus immaterialitatem, ſeu carentiam materiæ, hoc facimus propter perfectionem poſitivam ſpiritualitatis, quæ eſt incompoſſibilis cum materialitate, & per conſequens neceſſario comitem habet negationem materialitatis: ita etiam dicimus, quod Deus non ſit compoſitus,

 quia

quia ei tribuimus positivam simplicitatem, quae est incompossibilis cum compositione, & ideo hujus negationem, & exclusionem exigit &c. Porro hic conceptus positivus, & affirmativus, quem de Deo in via formamus, non est clarus, sed obscurus, quasi in aenigmate tantum, & arguitive ostendens Essentiam Divinam. Unde etiam concedo, facilius & clarius nobis innotescere, quid non sit Deus, quam quid sit. Id, quod solum intendunt SS. Patres, qui ab Adversariis contra hanc assertionem allegantur.

Censeo 2. Hominem Viatorem posse habere de Deo conceptum aliquem attributalem, seu talem, qua concipiuntur Attributa divina, quae sunt quasi proprietates Essentiae divinae. Ratio est: quia Deum concipimus per modum Entis *infinite sapientis*, *omnipotentis*, *infinite misericordis*; sed hi sunt meri conceptus attributales, exprimentes positiva attributa divina: ergo.

Censeo 3. Posse etiam a nobis Viatoribus haberi de Deo conceptum quidditativum, & essentialem. Ita Doctor loco laudato N. 5. Ratio est: Si intelligo infinite sapientem, justum, bonum &c. intelligo Sapientiam, Justitiam, ac Bonitatem infinitam tanquam proprietates circumstantes naturam: ergo intelligendo infinite sapientem, intelligo simul aliquam radicem, ac fundamentum hujus Sapientiae, Bonitatis &c. atque haec radix erit Essentia divina, quam cum suis praedicatis constitutivis in hac dissertatione declarabo.

Articulus I.

An Essentia, & Singularitas sint praedicata essentialia in Deo?

Nota ex Philosophia: *essentiam* rei alicujus nihil esse aliud, quam praedicata quidditativa, quae per definitionem, quam Moderni dicunt notionem, explicari solent: vel, essentiam esse id, quod per se primo convenit rei, & ipsam intrinsece constituit: *existentiam* autem esse id, quo res formaliter est actu, seu extra nihilum. Jam

17 Certum est 1. Quod Deus essentialiter sit ens, vel quod praedicatum *Entis* sit unum ex praedicatis essentialibus Dei. Ratio hujus est: quia Deo nihil magis essentiale est quam *esse*; sed *τὸ esse* est ratio entis: ergo. M. constat: quia Deus se ipsum definivit, vel sui notio-

notionem exposuit per rationem entis, & per suum esse, cum dixit ad Moysen Exod. 3. *Ego sum, qui sum.*

Certum est 2. Deum esse essentialiter Substantiam. Ratio est: quia Deus non potest esse accidens: ergo debet esse substantia. 2. Deus est ens nobilissimum; sed ens nobilissimum debet esse substantia; cum inter entia locum primum, & nobiliorem teneant substantiæ. 3. Deus producit alias substantias: ergo debet & ipse esse substantia. Neque obstant D. Augustinus, & Boëtius, qui dicunt, Deum tantum abusive, & non vere dici substantiam; loquuntur enim solum de substantia tali, quæ substat accidentibus, qualis Deus non est: non autem negant, eum esse substantiam per se subsistentem, & quidem modo eminentissimo, & infinite perfecto.

Est autem Deus substantia completa: quia substantia incompleta ex ipsis terminis imperfectionem Deo minime competentem involvit; Deus enim, qui omni ex parte infinitus est, nullatenus incompleti entis rationem habere potest.

Certum est 3. Deum essentialiter esse Spiritum, vel substantiam spiritualem. Ita constat 1. ex Fide: Joan. 14. dicitur: *Deus spiritus est.* 2. Ex ratione: tum, quia Deus est causa efficiens omnium spirituum: ergo & ipse debet habere perfectionem spiritus; tum, quia Deus est substantia nobilissima: ergo est substantia spiritualis; nam substantia spiritualis est longe nobilior, quam materialis.

Neque curandus est Tertullianus, quem plures inter Anthropomorphitas, seu Deum corporeum sentientes referunt; nam, si ita sensit, erravit in hac sententia, sicut & in aliis pluribus. Hujus erroris accusat eum D. Augustinus l. 1. de Genesi ad literam q. 10. c. 25. dicens: *Tertullianus corpus esse animam credit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset: nec de Deo voluit aliter sapere.* Item l. de Hæresibus c. 86. ac in Epist. 157. seu 190. ad Optatum. Sermon. 2. de anima, & ejus origine c. 5. Verum ab hoc errore eundem liberum pronunciavit, & defendit acriter Doctissimus P. Antonius Boucat Theolog. Patrum dogmatica Tom. I. Dissert. 3. Artic. 3. Ast parum refert, sive errorem hunc tenuerit, vel negarit, ut ex dictis patet. Unde ejus longiore examine ob brevitatis amorem supersedeo.

Certum est 4. Deum esse essentialiter viventem vita intellectuali. Ratio est: quia ratio viventis rationalis est prædicatum essentia-

le hominis & Angeli: ergo a fortiori Ipsius Dei, præsertim quia Deus est causa, & fons omnis vitæ, & quia vita est summa entis perfectio, quæ Deo & tribui potest, & debet. Quare & *Intellectivitas*, vel Intellectualitas est prædicatum essentiale in Deo, si per eam intelligas radicem potentiæ intellectivæ, & intellectus, non autem ipsum intellectum, nec actualem intellectionem; nam Intellectus divinus ipse potentia est divina, & attributum, ac Intellectio divina est actus hujus potentiæ, non autem sunt prædicata essentialia Dei: sicut potentiæ, & operationes hominis non sunt prædicata essentialia hominis. H. N. ponitur

§. I.

An Existentia sit prædicatum essentiale Dei?

18 Affero: Existentia est aliquod prædicatum essentiale Dei. Est communis contra aliquos SS. qui putarunt, existentiam esse modum intrinsecum divinæ essentiæ.

P. 1. Authoritate Scoti 1. d. 2. q. 2. §. *ex his ad quæstionem* n. 4. ubi dicit: *Illa propositio* (Deus est, vel existit) *non est per se secundo modo, quasi prædicatum sit extra rationem subjecti, sed per se primo, & immediata, & ex terminis evidens; quia est immediatissima, ad quam resolvuntur omnes propositiones, enunciantes aliquid de Deo qualitercunque concepto.* Ex quo textu habetur, existentiam non solum esse prædicatum essentiale, sed etiam primum inter essentialia, in quod tanquam primam, & ultimatam radicem omnia resolvuntur, quæ de Deo qualitercunque, id est, seu essentialiter, seu attributaliter, aut modaliter concepto, prædicantur.

P. 2. Exod. 3. Moysi, quærenti nomen Dei, respondit Deus: *Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos.* Ubi Deus significat, hoc nomen sibi esse maxime proprium, adeoque per illud signari Essentiam divinam. Id declarant SS. Patres: Hilarius l. 1. de Trinitate sub initium ait: *Non aliud magis Deo proprium, quam Esse intelligitur.* S. Athanasius Epist. ad Orthodoxos de Synodis: *Cum audis:* Ego sum, qui sum, *non aliud quidpiam, sed incomprehensibilem Ejus,* qui Est, *essentiam intellige.* S. Bonaventura Serm. 10. in Hexameron: *Esse Dei primum est, quod venit in mentem, & quidquid de Deo dicitur, hoc reducitur ad Esse, & hoc proprie nomen Dei*

est.

eſt. Cum D. Bonaventura etiam ſentiunt, ac idem fere dicunt S. Bernardus l. 5. de conſiderat. c. 6. ac alii PP.

P. 3. Exiſtentia eſt prædicatum omnium primum in Deo, & eſt radix omnium reliquorum prædicatorum, ut dicetur Art. ſeq. n. 23. ſed prædicatum primum in Deo neceſſario debet eſſe eſſentiale: ergo.

P. 4. Si exiſtentia in Deo non eſſet prædicatum eſſentiale, tunc emanaret ab eſſentia, & eam tanquam ſuam radicem præſupponeret; atqui hoc non poteſt dici ſine inconvenienti: vel enim eſſentia ut præſuppoſita eſſet actu, & formaliter exiſtens, vel non? *ſi primum:* jam ante formalem exiſtentiam, utpote quæ primum pro ſigno poſteriori emanaret, præſupponeretur habere actualem exiſtentiam, ac actu exiſtere, quod omnino eſt inconveniens. *Si ſecundum:* exiſtentia non poteſt ab eſſentia emanare; nam ad hoc, ut eſſentia actualis radix ſit aliquorum prædicatorum, debet illa actu, & formaliter ſupponi exiſtere, & actualitatem ſuam formalem habere; nullum enim ens alterius cauſa, vel radix formalis, & actualis eſſe poteſt, niſi illud ipſum ens jam formaliter actu ſit, & exiſtat.

Confirm. Ad hoc, ut aliquid formaliter dicatur exiſtere, nil aliud requiritur, quam ut actu ſit a parte rei, & extra nihilum; atqui eſſentia divina pro priori ſigno, quo concipitur eſſe radix, potens principiare exiſtentiam, debet eſſe aliquid in rerum natura &c. alias enim non poſſet ſic principiare actu exiſtentiam: ergo.

Objic. 1. Juxta Scotum 1. d. 2. q. 2. n. 1. §. *Dico, quod nulla* 19
tali: Exiſtentia Dei poteſt a priori demonſtrari ſaltem per Beatum clare cognoſcentem eſſentiam divinam: ergo exiſtentia divina non eſt prædicatum eſſentiale Dei; nam prædicata eſſentialia Dei, quæ in ipſa eſſentia includuntur, ſunt per ſe nota, & nequeunt a priori demonſtrari. ℞. N. a. Scotus enim dicit, quod ſolum illi conceptus, quos de Deo in hac vita habemus, & quos ex creaturis colligimus, poſſint a Beato demonſtrari: ſunt autem conceptus illi Deum repræſentantes tantum ſub ratione aliqua attributali, vel ſub prædicato modali, ſcilicet *Entis infiniti*, *Cauſæ primæ* &c. quæ prædicata attributalia de Deo ſaltem ab illo, qui claram habet cognitionem eſſentiæ divinæ, ut Beatus, poſſunt demonſtrari a priori: quod & nos concedimus. Aliud eſt de exiſtentia Deitatis ipſius, quæ eſt indemonſtrabilis etiam juxta Scotum; quia juxta eum hæc propoſitio: *Deus exiſtit*, eſt per ſe nota.

Objic.

Objic. 2. Multi ex SS. Patribus per illud Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum*, iudicant, ſignificari immutabilitatem, & æternitatem Dei: ergo male inde deducitur, *eſſe*, ſeu exiſtentiam eſſe prædicatum eſſentiale Dei. ℞. 1. Opponendo alios SS. PP. in probatione 2da citatos, qui dicunt, inde probari, Eſſe, & exiſtentiam eſſe ipſum primarium prædicatum Dei. ℞. 2. d. a. Judicant, ſignificari immutabilitatem, & æternitatem Dei formalem n. a. radicalem, ſeu radicem immutabilitatis, & æternitatis, quæ eſt ipſa eſſentia divina c. a. & n. c.

Objic. 3. Quamvis SS. PP. dicant, Deum eſſe ſuam Sapientiam, omnipotentiam &c. tamen ſapientia, & omnipotentia non ſunt prædicata eſſentialia Dei: ergo quamvis PP. quoque dicant, Deum eſſe ſuum eſſe, vel ſuam exiſtentiam, tamen eſſe, & exiſtentia Dei non eſt prædicatum eſſentiale Dei. ℞. N. c. & parit. Nam eſſe, & exiſtere Deo a Patribus peculiariſſime tribuitur, tanquam radix reliquorum prædicatorum: non ſic tribuitur Deo Sapientia, omnipotentia, & alia attributa.

Objic. 4. Eſſentia divina poteſt concipi etiam præſcrindendo ab exiſtentia: ergo exiſtentia non eſt prædicatum eſſentiale Dei. ant. vel ex terminis, & variis textibus Scoti conſtat. ℞. D. a. Poteſt concipi inadæquate, & imperfecte tantum ſecundum aliqua prædicata c. a. adæquate, & perfecte ſecundum omnia ſua prædicata n. a. & conſ.

Objic. 5. Exiſtentia non eſt prædicatum eſſentiale creaturæ: ergo neque eſt prædicatum eſſentiale Dei. ℞. 1. Retorq. arg. Creatura non exiſtit neceſſario, ſed tantum contingenter, ita, ut poſſet non exiſtere: ergo etiam Deus non exiſtit neceſſario. ℞. 2. N. c. & parit. Ab exiſtentia creaturæ ad exiſtentiam Dei nulla prorſus eſt paritas facienda, ut patet ex retorſione; creatura enim, tanquam aliquid contingens, ex ſua eſſentia, & ratione intrinſeca non exigit neceſſario eſſe actu, bene autem Deus, cujus eſſentia ex ſua ratione formali intrinſeca neceſſario, & indiſpenſabiliter eſt determinata ad hoc, ut actu ſit, & exiſtat.

Objic. 6. Quæſtio, *an ſit Deus*, diſtinguitur a quæſtione, *quid ſit Deus*: atqui per primam quæſtionem quæritur exiſtentia Dei, & per ſecundam quæritur eſſentia: conſequenter & eſſentia Dei diſtinguitur ab exiſtentia: ergo. ℞. D. M. quæſtio, *an ſit Deus*, diſtinguitur a quæſtione, *quid ſit*, ex parte objecti n. M. ex parte modi co-

gno-

gnoscendi c. M. Si intellectus noster ad claram intuitivam visionem Dei elevaretur, videret, has quæstiones solo nomine distingui, & essentiam non esse distinctam ab existentia: nunc autem ob tenuitatem intellectus nostri prius inquirimus, an Deus habeat existentiam, & deinde primum indagamus, an hæc existentia sit de essentia Dei.

Objic. 7. Si existentia est de essentiali conceptu Deitatis, erit etiam de essentiali conceptu attributorum divinorum; sequela non videtur admittenda: ergo. ℞. 1. Negari posse paritatem; nam attributa jam præsupponunt ante se essentiam divinam actu formaliter existentem, a qua proinde emanare possunt: ast essentia divina non potest præsupponi ut formaliter, & actu existens ante ipsam existentiam: ergo existentia non haberet in sententia adversariorum radicem actualem, & actu existentem, bene autem in nostra sententia talem radicem actualem haberent attributa. ℞. 2. Concedo, quod etiam attributis divinis, quæ distinctas formalitates Scotisticas constituunt, distinctæ, ac peculiares, proportionatæ tamen existentiæ respondeant; etenim in Philosophia jam tenui, quaslibet formalitates Scotisticas habere propriam existentiam proportionatam. Ratio est: quia existentia nihil est aliud, quam actualitas entis, vel formalitatis: ergo videtur impossibile, aliquod ens, vel realitatem Scotisticam a parte rei, & actu multiplicari, quin etiam multiplicetur ejus existentia. Idem censent Herincx disp. 1. de essentia, & existentia Dei n. 43. Smising Tract. 1. disp. 2. n. 35. & seqq. ubi etiam hanc sententiam ex Scoto probat, ac pro se etiam allegat Lychetum.

§. II.

An Singularitas sit prædicatum essentiale Dei?

Assero, & respondeo affirmative. Mastrius in 1. Sent. disp. 2. n. 3. Smising. t. 1. d. 2. n. 61. & seqq. ac communis SS. contra Lychetum, & aliquos SS.

P. 1. Authoritate Scoti, qui 1. d. 4. q. 2. n. 2. §. *Respondeo ad quæstionem* dicit: *sicut Deitatem esse de se hanc, ita & Deum esse de se hunc.* Iterum 2. d. 6. q. 2. n. 16. supponit, Naturam divinam esse *de se hanc*, seu esse ex intrinseca sua ratione singularem, & non fieri singularem per prædicatum individuale, quod est extra conceptum

effentiæ, eique fecundum prædicata quidditativa jam plene conftitutæ fuperadditur, uti fit in creatis, ubi ideo effentiæ creatæ funt in pluribus individuis multiplicabiles, quia in fuo conceptu effentiali non includunt prædicatum immultiplicabilitatis numericæ, ficut illud Deus includit.

P. 2. ratione. Rem aliquam effe effentialiter fingularem, nil aliud eft, quam effentiam ipfius effe immultiplicabilem numero fe ipfa absque alia formalitate ipfi fuperaddita; atqui Deitas, & effentia divina eft fe ipfa immultiplicabilis numero absque alia formalitate ipfi fuperaddita: ergo. p. m. Effentiæ divinæ ita eft effentiale, & neceffarium non effe multiplicabilem numero, ut omnino non effet amplius effentia divina, fi numero multiplicari poffet, ut dictum differt. præc. Art. III. de Unitate Dei: ergo Deitas fe ipfa eft fingularis.

Confirm. Ipfa exiftentia per effentiam, & a fe, in qua effentia divina confiftit, ex natura fua eft talis, ut nullum aliud ens fimile Deo poffit dari in tali prædicato: ergo ex natura fua eft fingularis, & incommunicabilis. p. c. Ideo natura aliqua creata, v. g. effentia humana in Petro, non eft effentialiter fingularis, quia poteft dari alius homo fecundum naturam humanam omnino fimilis Petro: ergo ex oppofito, quia non poteft dari ens ullum fimile Deo fecundum Deitatem, & exiftentiam per effentiam, ideo Deitas eft effentialiter fingularis & incommunicabilis. Ex his

Deduces: Singularitatem non effe diftinctum aliquod prædicatum a cæteris prædicatis pofitivis effentialibus Dei, fcilicet a prædicato Entis, fubftantiæ, viventis, exiftentis per effentiam &c. feu fingularitatem in Deo effe illa ipfa prædicata, quatenus fe ipfis funt immultiplicabilia numero, ut tenent Smifing, & Herincx citt. Ratio eft: quia fubftantia divina eft talis, ut nulla alia ei fimilis extra Deum poffit dari. idem eft de reliquis prædicatis. Et addit Smifing laudatus, fingularitatem quoque cum proportione effe de formali conceptu quidditativo omnium attributorum, relationum, & reliquorum prædicatorum divinorum; nam ficut repugnat, multiplicari numero Deitatem, ita etiam implicat multiplicari omnipotentiam, Sapientiam, Intellectum divinum &c. Certe nullus intellectus fecundum quidditatem fuam poteft effe, vel dari fimilis intellectui divino. Et fic de cæteris.

21 Objic. 1. Scotus 1. d. 8. q. 3. n. 29. ad primum principale. ℣. *Refpondeo.* ait, quod quafi a priori Infinitas intelligatur effe modus

Deita-

Deitatis, & Entis per eſſentiam, quam intelligatur ſingularitas ejus: ergo ſicut Infinitas tantum eſt modus, non autem prædicatum eſſentiale Dei, ita & ſingularitas. Ita ſentit, & infert Lychetus ex prædicto textu Scoti. ℟. N. c. Scotus ibi ſolum vult, ſecundum noſtrum imperfectum modum cognoſcendi prius & facilius intelligi Deum tanquam ens infinitum, quam ſingulare: non autem negat, a parte rei ſingularitatem eſſe de eſſentia Dei.

Objic. 2. Poteſt concipi eſſentia divina ſecundum ſua prædicata conſtitutiva, quin concipiatur ut ſingularis: ergo Singularitas non eſt prædicatum eſſentiale Dei. p. a. poteſt Deus concipi ut ens per eſſentiam, ut ens infinitum, quin concipiatur Singularitas. ℟. d. a. quin concipiatur ut ſingularis explicite, & diſtincte c. a. quin concipiatur ut ſingularis confuſe, & implicite n. a. & c. Singularitas enim a parte rei cum reliquis prædicatis divinis penitus identificatur, & neque ex natura rei formaliter diſtinguitur: ergo ſi cognoſcuntur reliqua prædicata divina, ſingularitas ſemper ſimul ſaltem in confuſo, & implicite cognoſcitur, quamvis non ſemper explicite, & clare.

Objic. 3. Etiamſi Singularitas eſſet prædicatum non eſſentiale, tamen adhuc Deum faceret ſingularem: ſicut ſingularitas Petri facit eum ſingularem, etiamſi non ſit prædicatum eſſentiale Petri: ergo. ℟. D. a. faceret Deum ſingularem modo tali, qui Deum non decet c. a. ſecus n. a. Non decet, Deum eſſe in aliquo prædicato adæquato, & in conceptu objectivo creaturæ ſimilem, vel multiplicabilem: quod tamen fieret, ſi non omnia prædicata in Deo ex ſe eſſent ſingularia. Ex his habes, quod a Deo non ſit abſtrahibilis aliquis conceptus adæquatus, communis Deo, & creaturæ, prout pluribus oſtendetur inferius.

Objic. 4. Saltem conceptus relationis, ſubſtantiæ, & Perſonalitatis eſt in Deo multiplicabilis, cum ſint plures Perſonalitates in Deo: ergo non omnis proprietas, vel prædicatum in Deo eſt immultiplicabile. ℟. D. a. Conceptus relationis &c. adæquatus objectivus eſt multiplicabilis in Deo vere a parte rei n. a. conceptus inadæquatus rationis c. a. Subſiſtentiæ relativæ, & Perſonales in Deo nihil habent adæquate commune, ſed ſe totis differunt, ſeu ſunt primo diverſæ. Ratio eſt: quia ſunt rationes ultimæ, & diſtinctivæ Perſonarum; atqui rationes ultimæ, & diſtinctivæ ſunt primo, & adæquate diverſæ; ſi enim ulterius per aliquid ſui convenirent adæquate a parte rei cum aliis, fieret proceſſus in infinitum, ut facile conſiderant

 patet,

patet, & colligitur ex Logica, in qua dicitur, formalitates Scotiſticas non componi ex genere, & differentia.

Articulus II.

Quæ ſit ratio primo conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentiæ Dei.

22 Sicut in rebus creatis conſideramus 1. Eſſentiam cum ſuis modis: 2. paſſiones, ac proprietates, vel attributa: 3tio. tandem operationes, & effectus: ita cum proportione conſideramus in Deo aliqua prædicata eſſentialia, ſeu conſtituentia eſſentiam divinam, alia tanquam modos eſſentiæ divinæ, alia vero tanquam attributa, & proprietates eſſentiæ divinæ.

Quamvis autem plura prædicata eſſentialia recenſeamus, & ex iisdem quodammodo Deitatem conſtitui dicamus, tamen hoc longe alio modo intelligendum eſt, quam in creatis. Siquidem Eſſentiæ creatæ ex vero genere, & differentia conſtant, & compoſitionem veram admittunt ex pluribus formalitatibus ſaltem Scotiſticis, quarum quælibet habet adæquatum conceptum objectivum, a conceptu alterius objectivo a parte rei diſtinctum, & quarum una ſe habet per modum potentiæ determinabilis, & perficibilis, altera per modum actus perficientis, & determinantis: contra vero Eſſentia divina, licet ſecundum noſtrum imperfectum cognoſcendi modum includat plura prædicata v. g. *Entis, Subſtantiæ, Viventis, Exiſtentis per eſſentiam* &c. iſta tamen prædicata a parte rei non ſunt adæquate diſtincta, ſed ſunt una ſimpliciſſima, tam realiter, quam ex natura rei formaliter indiſtincta entitas, adeoque omnem compoſitionem tam metaphyſicam, quam phyſicam penitus excludunt.

Nihilominus ob tenuitatem noſtri intellectus, qui totam Eſſentiam divinam ſecundum adæquatam, quam importat, perfectionem non poteſt ſimul una cognitione, & intuitu rite cognoſcere, ſolemus Eſſentiam divinam in plura prædicata dividere, & diſtinguere per conceptus inadæquatos. Jam ex his prædicatis eſſentialibus ſic inadæquate conceptis aliqua latius patere, & imperfecte ſaltem cum creaturis quibusdam convenire videntur, ut prædicatum *Entis, Subſtantiæ, Viventis, intellectivi* &c. aliqua vero ſunt quaſi differentialia, ut *Exiſtentia*

ſtentia per eſſentiam; quamvis a parte rei omnia iſta prædicata ſint primo diverſa a creatura, & nullatenus cum ea conveniant.

Igitur quæritur, an, & quodnam talium prædicatorum inadæquatorum eſſentialium habeat quaſi rationem differentiæ primo conſtitutivæ, & diſtinctivæ Dei?

Jam vero ad prædicatum differentiale, vel primo conſtitutivum, & primo diſtinctivum rei tria requiruntur: 1. Debet tale prædicatum eſſe *proprium* illi ſoli rei, quam conſtituit. 2. Debet eſſe *primum* in illa re, ita, ut nihil præſupponat in re, a quo fluat: ſeu, ut non præſupponat ante ſe aliud prædicatum primo conſtitutivum. Sic *riſibilitas*, etſi ſoli homini ſit propria, tamen non eſt prædicatum primo conſtitutivum hominis; quia præſupponit ante ſe aliud prædicatum differentiale, nempe rationalitatem. 3. Debet tale prædicatum in ſe continere formaliter, aut virtualiter omnia, quæ de tali re, qua tali, dicuntur, quorum omnium radix prima, & ultimata eſt: ſic *rationalitas* eſt radix omnium, & continet omnia, quæ homini, qua homini, & prout eſt diſtinctus ab aliis rebus, conveniunt. Quare etiam indagamus, quodnam prædicatum Deo ita conveniat, & ita ſit radix prima omnium attributorum, ac modorum, effectuum, & operationum Deo, qua Deo, & quatenus ab omnibus aliis entibus diſtincto, convenientium. H. N.

§. I.

Statuitur noſtra Sententia.

23 Aſſero: Exiſtentia eſſentialis, vel exiſtere per eſſentiam eſt prædicatum primo conſtitutivum, & ultimo diſtinctivum Dei. Smiſing tract. 1. diſp. 2. n. 66. Herincx, Stumelius, & alii plures contra Fraſſen, Schoppen, & aliós.

P. 1. Authoritate Scoti ſuperius n. 18. citati, ubi dicit, exiſtentiam, & eſſe convenire Deo per ſe, primo modo, & immediate, ita quidem, ut omnes propoſitiones, aliquid enunciantes de Deo, ultimato reſolvantur in exiſtentiam Dei. Accedunt SS. PP. & S. Scriptura citati eodem numero: ex quibus clare colligitur, ipſum actuale *eſſe*, vel *exiſtere* eſſe primum, & principale prædicatum in Deo. Dixi: *eſſe*, vel *exiſtere;* etenim S. Scriptura, Doctor, & PP. accipiunt verbum *eſſe* verbaliter pro actu *exiſtere:* ſecus enim, ſi nominaliter acciperent, prout

 eſſe,

esse, & essentia abstrahit ab actuali existentia, etiam *esse* foret proprium creaturis; nam & creaturis omnibus essentialiter competit *esse*, & essentia nominaliter, abstrahendo tamen ab actuali existentia: ergo quia Scriptura, & PP. per *esse* speciale aliquid, soli Deo proprium significare volunt, ideo solum intelligunt *esse* verbaliter acceptum pro ipsa existentia actuali.

P. 2. ratione. Inter omnia prædicata essentialia sola existentia per essentiam est, quæ primo & ultimo distinguit Deum ab omni alio, quod non est Deus: ergo sola existentia per essentiam est prædicatum primario constitutivum Dei in ratione Dei; nam illud est primo distinctivum, quod est primo constitutivum, ut patet in rationalitate hominis. a. p. nam prædicata, quæ quodammodo secundum nostrum modum intelligendi præcedunt existentiam divinam, sunt quasi generica, & important convenientiam potius cum creaturis, & rebus aliis, quam distinctionem, ut prædicata Entis, Substantiæ, viventis &c. & prædicata, quæ comitantur, & suo modo sequuntur existentiam essentialem, distinguunt quidem Deum ab aliis entibus, nempe a creaturis; ast non ita distinguunt primo: quia præsupponunt aliud prædicatum prius adæquate distinctivum, scilicet ipsam existentiam essentialem. Sic omnipotentia, infinitas divina &c. distinguunt Deum ab omni re, quæ non est Deus: ast hæc ipsa prædicata existentiam essentialem tanquam radicem, & prædicatum prius distinctivum agnoscunt: ergo.

Confirm. Illud prædicatum est primarium, ac primo constitutivum in Deo, quod est ratio a priori, & radix omnium perfectionum Deo, qua tali convenientium: atqui existentia per essentiam est talis ratio a priori &c. ergo. m. p. sic primo, quia Deus est *Ens per essentiam*, seu quia Deus ex essentia est determinatus ad semper existendum, independenter ab omni efficiente extrinseco, ideo est etiam illimitatus, & infinitus in tota latitudine entis; etenim nihil se ipsum limitat, neque alia causa extrinseca aliquid in Deum agere potest, cum ex se, & sua essentia sine agente extrinseco omne suum esse, & existere habeat. Sic 2. hæc existentia essentialis etiam est ratio a priori, excludens omnem contingentiam, & secum trahens necessitatem essendi perfectissimam, proinde & omnes perfectiones divinas, v. g. potentiam illimitatam, intellectum illimitatum &c. Immensitatem, æternitatem &c. 3. Existentia essentialis tanquam ratio a priori excludit omnem potentiam objectivam, & potentialitatem quamlibet: adeoque ex

hac

hac exiſtentia eſſentiali tanquam radice oritur ratio actus puri. Ex his

Collig. 1. Etiam nobiſcum ſentire illos, qui eſſentiam Dei primario conſtituunt in prædicato *Aſeitatis*; nam Aſeitas eſt tantum prædicatum negativum *ſecundum dici*, negans Deum eſſe ab alio: *in re* autem eſt prædicatum poſitivum, ſeu eſt ipſa exiſtentia eſſentialis; nam exiſtentia eſſentialis, & Aſeitas proprie & formaliter nihil aliud dicunt, quam Deum ex eſſentia ſua eſſe neceſſario determinatum, ad ſemper exiſtendum, independenter ab omni agente extrinſeco. 24

Collig. 2. Eſſentiam divinam per nullum prædicatum intelligi diſtingui primo ab omnibus aliis, niſi quatenus imbibitur ſimul ipſum *eſſe*, vel *exiſtere* per eſſentiam, ut v. g. Ens eſſentialiter exiſtens, Subſtantia eſſentialiter exiſtens, Vita intellectiva eſſentialiter exiſtens.

Collig. 3. Deum deſcribi poſſe, quod ſit *vivens intellectuale exiſtens per eſſentiam.* vel brevius: *Ens exiſtens per eſſentiam.*

Objic. 1. Etiam Attributa excludunt a ſe potentiam objectivam, & tamen non ſunt prædicata primo conſtitutiva Dei: ergo. ℟. D. a. excludunt a ſe potentiam objectivam primo, & tanquam ratio a priori n. a. excludunt ſecundo &c. c. a. 25

Objic. 2. Eſſe ſingularem per eſſentiam, ſecernit Deum ab omnibus creaturis, quæ per eſſentiam ſunt communes: ergo ſingularitas eſt prædicatum primo diſtinctivum Dei. ℟. D. a. ſecernit Deum
* primo n. a. ſecus c. a. Singularitas non convenit Deo, niſi quia, & quatenus eſt exiſtens per eſſentiam, ut colligitur ex dictis num. 20.

Objic. 3. Exiſtentia, & eſſentia in conceptibus ſuis abſtractiſſimis non ſe includunt: ergo in nullo ſe formaliter includunt, conſequenter nec in Deo. ℟. N. c. nam eſto, eſſentia ſecundum rationem communiſſimam, & abſtractiſſimam, ac imperfectum modum concipiendi abſtrahat ab exiſtentia, non tamen ſic abſtrahit eſſentia ad Deum contracta, vel eſſentia divina.

Objic. 4. Deus in conceptu exiſtentiæ etiam convenit cum creaturis: ergo. ℟. D. a. in conceptu exiſtentiæ qualiſcunque c. a. in conceptu exiſtentiæ eſſentialis n. a.

Objic. 5. Si Deus poteſt definiri: *Ens exiſtens per eſſentiam,* tunc etiam poteſt definiri: *Ens potens exiſtere per eſſentiam:* ergo actualis exiſtentia per eſſentiam non eſt eſſentiale primarium prædicatum in

* Deo

Deo, ſed potius tale prædicatum eſt *potentia exiſtendi* &c. p. a. tum, quia potentia exiſtendi eſt prior ſecundum modum concipiendi, quam actualis exiſtentia: tum, quia prædicata in definitionibus poſita potius potentiam, quam actum ſignificant: ergo. ℞. N. a. Deus enim eſt ens actualiſſimum: adeoque non poteſt concipi tanquam ens, quod eſt in potentia ad exiſtendum. Deinde definitiones rerum creatarum potius potentiam, quam actum ſignificant; hoc autem fallit in Deo, qui eſt merus actus.

§. II.

Rejiciuntur aliquæ ſententiæ oppoſitæ.

26 Aſſero 1. Eſſentia Dei Metaphyſice conſiderata non recte conſtituitur in cumulo, & collectione omnium perfectionum divinarum, vel prædicatorum divinorum. ita communis SS. contra aliquos RR.

P. 1. SS. PP. negant, omnes perfectiones divinas eſſe de eſſentia Dei metaphyſica; ajunt enim plura prædicata divina eſſe attributalia, & extra eſſentiam, eſſe proprietates Dei ex eſſentia profluentes: ergo. a. p. S. Cyrillus Alexandr. L. 11. *Theſauri* ſub medium: *Non omnia, quæ in Deo ſunt, & de Deo dicuntur, ſubſtantiam* (id eſt, eſſentiam) *ſignificant.* S. Damaſcenus L. 1. de Fide orthodoxa c. 4. & 12. dicit: *Si Deum bonum, ſi juſtum, ſi ſapientem, ſi quidquam tandem aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ circa naturam.* Similia etiam habent S. Baſilius L. 1. contra Eunomium: S. Chryſoſtomus Homil. 1. de incomprehenſibili Dei natura: S. Niſſenus & alii: ergo.

P. 2. Aliæ eſſentiæ habent aliquas proprietates, quæ non ingrediuntur conceptum definitivum, & eſſentialem: ergo idem etiam dicendum eſt de eſſentia metaphyſica Dei, niſi contrarium oſtendatur.

P. 3 Si quælibet perfectio ſpectat ad eſſentiam Dei, & eam conſtituit, tunc non eſt ratio, cur aliquæ dicantur perfectiones attributales, & aliæ quidditativæ, ſed debent omnes dici quidditativæ, & eſſentiales; atqui ſequela eſt contra communem Th. Th. & contra modum loquendi PP. ergo.

P. 4. Prædicatum ultimo conſtitutivum Dei definitur eſſe radix omnium perfectionum Deo, qua Deo convenientium; atqui cumulus

omnium

omnium perfectionum nequit eſſe talis radix; alias foret radix ſui ipſius, quod implicat: ergo.

Objic. 1. Juxta SS. PP. Deus eſt ens optimum, vel eſt pelagus 27
omnis perfectionis; atqui ens optimum, & pelagus omnis perfectionis eſſentialiter in ſuo conceptu importat cumulum omnis perfectionis poſſibilis in aliquo ente: ergo. ℞. D. m. Ens optimum importat eſſentialiter in ſuo conceptu quidditativo formalem cumulum omnis perfectionis n. m. cumulum radicalem, vel radicem omnis perfectionis c. m. Deinde SS. PP. qui dicunt, Deum eſſe ens perfectiſſimum, cumulum omnis perfectionis, loquuntur de eſſentia D. phyſice conſiderata, non autem metaphyſice. Eſſentia autem divina phyſice conſiderata importat omnia prædicata illa, quæ in Deo reperiuntur, & ad primum, ac ſecundum modum dicendi per ſe ſpectant, & quæ tribus Perſonis ſunt communia. In hoc ſenſu Deus eſt cumulus, vel collectio omnium perfectionum. Metaphyſice autem conſiderata eſſentia importat prædicata illa, quæ primo conſtituunt eſſentiam Dei, eumque ab omni alio, quod non eſt Deus, primo diſtinguunt, ac ſunt radix omnium prædicatorum, & proprietatum Deo, qua tali convenientium.

Objic. 2. Ex omnibus prædicatis divinis conſtituitur unum per ſe: ergo ea omnia conſtituunt unam adæquatam eſſentiam. ℞. D. a. unum per ſe in primo modo dicendi per ſe n. a. in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe c. a. Vel Tr. a. d. c. adæquatam eſſentiam phyſicam c. c. metaphyſicam n. c. & retorq. argumentum: Ex rationalitate, & riſibilitate etiam conſtituitur unum per ſe, & tamen non in primo modo dicendi per ſe.

Objic. 3. Eſſentia D. qua talis eſt infinite perfecta: ergo eſſentia D. qua talis involvit omnem perfectionem. ℞. D. a. eſt infinite perfecta in linea eſſentiali c. a. in linea attributali ſubd. identice, exigitive, & radicaliter c. a. formaliter, ac eſſentialiter n. a. & c. Ex his

Deduces: Non eſſe eſſentialem iſtam definitionem Dei, quam tradit aliquis Recentior: *Deus eſt ſufficientia adæquata habendi omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem.* vel hanc, quam habet Ulloa: *Ens fruens negative, ac poſitive omni perfectione pura:* traduntur enim iſtæ definitiones non per prædicatum omnino primum. Siquidem hæc *adæquata ſufficientia ad habendam omnem perfectionem* &c. ex exiſtentia eſſentiali quaſi ex radice oritur; ideo enim Deus exigit habere omnem

perfectionem, quia eft illimitatus: & ideo eft illimitatus, quia ex fe, & per fuam effentiam exiftit. Deinde hæc definitio videtur potius Deum defcribere phyfice, non autem metaphyfice fpectatum fecundum effentiam.

28 Affero 2. Nec vis intellectiva, feu Intellectus D. infinite perfectus, nec actualis Intellectio Dei eft prædicatum effentiale primo conftitutivum, & ultimo diftinctivum Dei. Ita Stumelius, Fraffen, ac communis SS. contra TT.

P. 1. Intellectus D. infinite perfectus, & actualis intellectio divina profluunt ex effentia D. jam primo, & adæquate conftituta in linea effentiali: ergo non funt prædicata effentialia primo conftitutiva, & diftinctiva Dei. a.p. Ideo enim Deus eft infinite intellectivus, & actu intelligens, quia eft per fuam effentiam exiftens, & confequenter illimitatus &c. Deinde juxta SS. PP. Intellectus, feu Sapientia divina inter attributa numeratur.

P. 2. Voluntas D. vel virtus volitiva, & actualis volitio non conftituunt primo effentiam D., imo nec funt prædicata effentialia: ergo idem eft de Intellectu, & Intellectione: quia voluntas, & volitio non funt minores perfectiones in Deo, quam intellectus, & intellectio.

P. 3. Omnis virtus, & actus præfupponit rem effentialiter conftitutam, cujus eft virtus, vel actus: ut patet ab inductione: ergo etiam virtus intellectiva, & actus intelligendi in Deo præfupponit Deum effentialiter conftitutum.

P. 4. Effentia D. eft radix omnium attributorum, & modorum ab ea emanantium, puta omnipotentiæ, æternitatis, infinitatis, immenfitatis &c. atqui talis radix non eft potentia intellectiva, aut intellectus; nam non ideo Deus eft infinite perfectus, immenfus &c. quia eft intelligens; poffet enim effe formaliter intelligens, quamvis non foret immenfus, infinitus &c. ficut Angeli, & homines funt intelligentes, quamvis non fint Dii: ergo.

29 Objic. 1. Scotus 1. d. 26. q. un. §. penult. *ad argumenta principalia.* & Quodl. 1. §. *nam contradictio.* negat intellectum effe attributum Dei, fed effe prædicatum aliquod quidditativum: ergo. R. explicando authoritatem Scoti fub dift. Et Doctor ibi loquitur de intellectu, & intellectione Dei radicaliter accepta c. a. formaliter accepta n. a. Radix intellectus divini, & intellectionis eft ipfa effentia D. feu exiftentia effentialis; nam in hac radicantur, & fundantur omnia attributa

buta D. consequenter & intellectus, ac intellectio divina. Deinde Deus speciali modo est substantia intellectiva: quia intelligit per actum intellectus realiter sibi identificatum, & non de novo productum, aut in se receptum: adeoque intelligere est Deo suo modo essentiale, quia essentiæ divinæ est identificatum; quamvis ex essentia D. primum promanet metaphysice, sicut alia attributa.

Objic. 2. Deus tanquam ens perfectissimum, & actus purissimus constitui debet per gradum perfectissimum, & talem, qui majorem exprimit actualitatem; sed gradus intellectus est omnium perfectissimus, & intellectio exprimit majorem actualitatem: ergo. ℟. D. M. debet constitui per gradum & actum perfectissimum in ratione entis, & essendi c. M. in ratione operationis, & potentiæ operativæ n. M. Hic non agimus de principiis operativis, & operationibus divinis, quæ ad secundum modum dicendi per se spectant, sed de ratione, & principiis constitutivis Dei in ratione entis, & modi essendi.

Objic. 3. Deus est vivens perfectissimum: ergo constitui debet gradu vitæ perfectissimo; sed hic gradus est intellectivus: ergo constitui debet gradu intellectivo. ℟. D. c. constitui debet gradu vitæ perfectissimo, accipiendo vitam in actu secundo pro actuali intellectione, vel pro intellectu, & potentia intellectiva n. c. pro radice intellectus, & intellectionis divinæ infinite perfectæ c. c.

Objic. 4. Per illud essentia D. constituitur ultimato, quod Verbum divinum recipit ex vi suæ processionis; sed Verbum D. utpote procedens per intellectum, ex vi suæ processionis recipit intellectionem actualem: ergo. ℟. d. M. quod Verbum D. recipit tanquam prædicatum quidditativum, & differentiale primum c. M. quod recipit tanquam prædicatum extra essentiale, & attributale n. M. Negatur etiam suppositum, cui innititur ista objectio, quod Verbum D. procedat per intellectionem; procedit enim juxta SS. per dictionem.

Objic. 5. Dato, quod Deus sub conceptu *essentiæ* primario per existentiam essentialem constituatur, tamen in ratione *naturæ* constituitur primo per intellectivitatem: ergo. a. p. Essentia præcise dicitur ab *esse*, abstrahendo ab ipsa operatione, vel potentia operandi: quare quælibet res, etiamsi non sit operativa, habet essentiam; *natura* vero stricte accepta dicit principium operandi: atque adeo Deus sub ratione naturæ debet constitui, & explicari per intellectivitatem, tanquam per radicem primæ operationis divinæ, scilicet intellectionis: ergo. ℟. N. a. & dico, quod radix prima intellectivitatis ipsius

infinitæ, & illimitatæ, quæ Deo foli eft propria, fit ipfa exiftentia effentialis Dei, non autem intellectus divinus. Ad prob. ℟. *Naturam* dicere radicem primam tam potentiarum operativarum, quam operationis; atqui talis radix eft effentia D. conftituta per exiftentiam effentialem: adeoque neque in Deo, neque in alia fubftantia *operativa* natura ab effentia diftingui debet.

30 Affero 3. Infinitas formalis non eft prædicatum Dei effentiale primo conftitutivum. Ita Stumelius, & alii SS. contra Fraffen, & alios. Ratio eft 1. quia juxta Scotum 1 d. 3. q. 2. n. 17. infinitas eft modus intrinfecus effentiæ D: ergo non eft prædicatum primo conftitutivum effentiæ; modi enim intrinfeci præfupponunt effentiam complete conftitutam. Iterum juxta eundem Scotum 1. d. 2. q. 1. §. *ad primam quæftionem.* & q. 2. §. *ex his ad quæftionem:* infinitas eft a priori demonftrabilis ab habente conceptum quidditativum, & effentialem Dei; atqui quæ funt de quidditate rei, præfertim fi fint primarium prædicatum effentiale, non poffunt demonftrari a priori, ut colligitur ex dictis differt. 1. Art. 1. §. 2. n. 4.

2. Nulla effentia creata primo conftituitur per finitatem, aut alium modum intrinfecum: ergo neque effentia D. primo conftituitur per modum intrinfecum infinitatis. 3. Exiftentia per effentiam fecundum noftrum modum intelligendi eft radix infinitatis, & illimitationis, ut fuperius eft dictum: ergo exiftentia per effentiam primo, & prius ante infinitatem intelligitur conftituere effentiam divinam.

31 Objic. 1. Scotus 1. d. 8. q. 3. n. 18. ait, ens prius dividi in infinitum, & finitum, quam per alia prædicata: ergo prius ratio entis in Deo contrahitur per infinitatem, quam per alia prædicata: & fic primo Deus differt ab aliis entibus per infinitatem. ℟. D. a. ait, ens prius dividi in infinitum & finitum a parte rei n. a. fecundum noftrum imperfectum modum concipiendi c. a. Secundum noftrum imperfectum, & inadæquatum modum concipimus prius, & facilius Deum fub ratione entis infiniti, quam exiftentis effentialiter. Et hoc folum petunt fimiles authoritates: non autem volunt, quod a parte rei, & refpectu intellectus rem exactius perpendentis infinitas fit prædicatum primo conftitutivum Dei.

Objic. 2. Saltem infinitas radicalis erit prædicatum effentiale, & primo conftitutivum Dei: ergo. ℟. D. a. Si per infinitatem radicalem, & fundamentalem intelligitur illa, quæ ceu modus intrinfecus

ſuperadditus prædicatis eſſentialibus Dei, ipſa formaliter infinita reddit n. a. ſi per infinitatem radicalem intelligitur prima radix, & origo emanativa omnis infinitatis formalis in Deo c. a. & ſimul addo, ejusmodi infinitatem radicalem, vel radicem primam infinitatis formalis eſſe ipſam exiſtentiam eſſentialem.

Dices: cur ergo nos non aſſignavimus pro prædicato primo conſtitutivo Dei infinitatem radicalem? ℟. ideo, quia aſſignando radicalem infinitatem in hoc ſenſu, idem per idem reſponderemus; dum enim quærimus: quodnam prædicatum ſit primo conſtitutivum, & diſtinctivum Dei, quærimus, quodnam prædicatum ſit radix prima infinitatis, & cæterorum prædicatorum, ac perfectionum Dei? atque ad hoc quæſitum reſponderemus, eſſe ipſam radicem infinitatis: hoc autem eſt, nihil reſolvere, & obſcurum per obſcurum explicare.

Diſſertatio III.

DE

PERFECTIONIBUS DIVINIS EXTRAESSENTIALIBUS IN COMMUNI, ET ALIQUIBUS IN SPECIE.

Conſiderata eſſentia divina ad perfectiones illas, quæ eſſentiam divinam modificant, vel tanquam attributa, & proprietates circumſtant, progredimur. Unde ſit

Articulus I.

Varia de modis, & attributis in genere.

§. I.

Explicatur natura Modi intrinſeci, & attributi Divini.

Theologi fere omnes extra Scholam Scotiſticam perfectiones divinas extraeſſentiales inter ſe confundere ſolent, & attributa appellare: Scotiſtæ vero eas diſtinguunt in Modos intrinſecos, & attributa: unde

32 Nota 1. Ex Philofophia: Modum in genere effe id, quod additum rei, vel entitati in fe jam conftitutæ, eam modificat, aut determinat, vel in fe, vel ad aliud, vel ad effe, vel ad operari. Sic feffio eft determinatio hominis ad talem fitum: intenfio eft determinatio qualitatis ad talem gradum &c.

Nota 2. Alium effe modum *extrinfecum*, qui realiter diftinguitur a re modificata, ut feffio, unio, ftatio &c. alium effe *intrinfecum*, qui realiter identificatur cum re modificata, ut finitas, vel infinitas, neceffitas, vel contingentia rei. Hic folum agimus de modis intrinfecis.

Nota 3. Attributum divinum tripliciter accipi poteft: 1. *latiffime*, quatenus importat quodcunque prædicatum, quod Deo tribuitur. Taliter etiam prædicata effentialia Dei, imo & relationes divinæ v. g. Paternitas, Filiatio, Spiratio activa & paffiva, nec non & illa, quæ Deo per metaphoram tribuuntur, ut ira, dolor, pœnitentia &c. attributa divina dici poffunt. 2. Sumitur *ftrictius* pro omni perfectione extraeffentiali Deo vere, & objective convenienti. In hoc fenfu etiam modi intrinfeci poffunt attributa divina dici. 3. Accipitur in fenfu *ftrictiffimo* juxta defcriptionem num. 36. dandam. H. N.

33 Affero 1. Modus intrinfecus in genere a doctore fubtili 1. d. 8. q. 3. §. *ad primum principale* n. 27. defcribitur: *Modus intrinfecus eft, qui non variat rationem ejus formalem, cujus eft modus.* Eft autem hæc defcriptio ita accipienda, ut modus additus neque variet quidditatem illam, quam modificat, neque totum complexum, quod ex modo, & quidditate modificata conftituitur. Sic finitas addita naturæ humanæ, neque hanc in fua quidditate variat, ut per fe clarum eft; nam non obftante finitate, natura humana manet natura humana formaliter talis; neque complexum ex natura humana & finitate eft aliud entitative, & a parte rei, quam eft ifta natura humana in fe: feu finitas, & modus intrinfecus non eft aliqua formalitas Scotiftica diftincta a parte rei a re modificata, fed entitative, & a parte rei eft ipfiffima quidditas modificata. Sic finitas humanitatis eft ipfiffima humanitas; quare ea addita humanitati, a parte rei non variat humanitatem, ficut tamen differentia metaphyfica v. g. rationalitas addita generi, feu animalitati, conftituit novum, & aliud complexum, nempe hominem, vel naturam humanam: eoquod rationalitas a parte rei fit formaliter alia, & adæquate diftincta ab animalitate.

Et

Et hæc eſt genuina mens Scoti, ut notant Smiſing, Tartaretus, & Herincx; nam Scotus totus in eo eſt, ut per allatam definitionem diſtinguat modum intrinſecum a differentia metaphyſica, & oſtendat ens a Deo contrahi per modum intrinſecum, non autem per differentiam metaphyſicam: nullum vero diſcrimen inter modum & differentiam poſuiſſet, ſi tantum voluiſſet, quod modus non variet rationem formalem ipſius rei, vel quidditatis, quam modificat; nam etiam differentia non variat rationem formalem quidditatis genericæ, quam contrahit, & modificat; ſiquidem genus v. g. animalitas contracta per rationalitatem ad hominem, retinet adhuc intrinſecam rationem animalitatis: ergo Scotus debuit ibi fuiſſe locutus ſolum de complexo ex modo, & re modificata, quod ſcilicet illud non varietur per modum: eoquod modus, utpote a parte rei indiſtinctus a re modificata, novum complexum a parte rei tale nequeat conſtituere. Ex his

Deduces 1. Quidditatem ſine modo imperfecte tantum, & in- 34
adæquate eſſe conceptibilem: idem eſt de modo ſine quidditate, ut præter jam dicta ſatis perſpicue habetur ex Scoto mox. cit. §. *ad primum argumentum principale* n. 27. ibi: *Quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinſeco ſuo, ille conceptus non eſt ita ſimpliciter, quin poſſit concipi illa realitas abſque modo illo, ſed tunc eſt conceptus imperfectus illius rei; poteſt enim concipi ſub illo modo, & tunc eſt conceptus perfectus illius rei.* Plura ſimilia habet alibi,

Deduces 2. Modum intrinſecum non pertinere ad ſecundum modum dicendi per ſe, in quo paſſio prædicatur, & dicitur de ſuo ſubjecto; ſed ad primum modum: quia pertinet ad quidditatem rei, quatenus in hac intrinſece a parte rei imbibitur. Ita Smiſing cum communi SS. qui tamen addunt, modum intrinſecum ſpectare ad ſecundum gradum primi modi dicendi per ſe. Ratio hujus eſt: quia quidditas ſaltem per conceptum inadæquatum præſupponitur modo, & modus cenſetur eſſe affectio quidditatis, comitans eam.

Jam tales modos intrinſecos dari in rerum natura, præter Scotum, ita allegante Smiſing, docuere Mayron, Bannez, Fonſeca, Suarez, D. Thomas, & quotquot docent, ens contrahi per quosdam modos. Tales modi ſunt finitum, & infinitum, actus & potentia, intenſio & remiſſio qualitatis, exiſtentia creata &c. qui ſine aliqua quidditate, cujus ſunt modi, adæquate cognoſci nequeunt, uti nec quid-

quidditas ſine illis. Quare ſymbolizant cum modis extrinſecis, qui etiam ſine re modificata adæquate concipi, aut eſſe nequeunt.

35 Aſſero 2. Modus intrinſecus divinæ eſſentiæ deſcribi poteſt, *quod ſit perfectio intime divinæ eſſentiæ, & attributis divinis, non autem creaturis conveniens, ac a Deo removens imperfectiones creaturarum, ſine qua divina eſſentia & attributa concipi nequeunt conceptu quidditativo adæquato.*

Dicitur in hac deſcriptione: *eſſentiæ divinæ, non autem creaturis conveniens*, per quas particulas modus ab attributis diſtinguitur; attributa enim ſunt perfectiones quædam Deo, & creaturis convenientes, ut Sapientia, intellectus, voluntas &c. Porro quamvis modi eſſentiæ divinæ non poſſint convenire alicui creaturæ, poſſunt tamen, & debent non ſoli eſſentiæ, ſed attributis quoque divinis convenire; nam & attributa divina debent in ſuo genere eſſe infinita, ſimplicia, æterna &c. unde & ab aliquibus modi hi intrinſeci vocari ſolent attributa tranſcendentia, quia tranſcendunt omnes perfectiones divinas attributales, quas ſuo modo ad Deum contrahunt. v. g. infinitas contrahit, & determinat ſapientiam ad Deum, & facit, ut ſit ſoli Deo propria, non autem communis Deo, & creaturæ. & ſic de aliis.

Dicitur 2. *A Deo removens imperfectiones creaturarum;* ſiquidem quilibet modus divinus removet a Deo aliquam imperfectionem in creaturis repertam. Sic infinitas removet a Deo finitatem, actus purus, & ſimplicitas potentiam, & compoſitionem, neceſſitas eſſendi contingentiam, æternitas finem durationis, immenſitas terminationem, independentia omnem dependentiam, immutabilitas mutationem &c. Quare & attributa negativa a Poncio, & aliis dici ſolent, eoquod per negationem explicentur, & imperfectiones creaturarum de Deo negent.

Dicitur 3. *Sine qua eſſentia D. &c. concipi nequeunt conceptu adæquato* &c. modus enim intrinſecus intime imbibitur eſſentiæ, & quidditati, quam modificat: unde eſſentia divina a parte rei ſine infinitate ſua nequit adæquate concipi.

36 Aſſero 3. Atrributum divinum eſt *perfectio ſimpliciter ſimplex, quam in creaturis repertam Deo tribuimus, ipſique formaliter & intrinſece convenire judicamus per modum proprietatis afficientis divinam eſſentiam, jam adæquate in ratione eſſentiæ conſtitutam.* Hanc deſcriptionem colligit Fraſſen ex Doct. 1. d. 8. q. 3. & 4.

Dici-

Dicitur 1. *Perfectio ſimpliciter ſimplex*: per quod excluduntur a ratione attributi omnes relationes Perſonales divinæ, nec non & reſpectus extrinſecus advenientes, puta, Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris &c. quæ non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ut colligetur ex dicendis num. ſeq.

Dicitur 2. *Quam in creaturis repertam &c.* eæ enim perfectiones, quæ in Deo ſolo, non vero in creatura vel univoce, vel analogice tales relucent, non ſunt attributa: per hoc jam diſtinguitur modus intrinſecus ab attributo.

Dicitur 3. *Per modum proprietatis*, quæ ſpectat ad ſecundum modum dicendi per ſe, & per quod attributum tam a modis intrinſecis eſſentiæ divinæ, quam ab ipſis prædicatis eſſentialibus differt.

Dicitur 4. *Formaliter, & intrinſece*, ut ſecernantur attributa ab illis prædicatis, quæ Deo ſolum per metaphoram tribuuntur. Ex his

Quæres: quid ſit perfectio ſimpliciter ſimplex? Ante reſponſio- 37
nem Nota, duplicem eſſe perfectionem: prima eſt *tranſcendentalis* & *entitativa*, & datur tunc, quando aliquod ens, vel entitas habet omnia, quæ ad ejus quidditatem & exiſtentiam requiruntur, licet deinde talis entitas nec perfectionem, nec imperfectionem gradualem dicat, ſed ab utroque præſcindat: altera eſt perfectio *gradualis*, & *quantitativa*, vi cujus una res dicitur eſſe melior altera. Et hæc dividitur in finitam, & infinitam, ac ulterius in perfectionem ſecundum quid, & ſimpliciter ſimplicem. H. N.

℞. Juxta communem Theologorum perfectio ſimpliciter ſimplex bene ex S. Anſelmo in Monologio c. 14. vel apud alios c. 15. recte deſcribitur, quod ſit illa, quæ *in unoquoque melior eſt ipſa, quam non ipſa*, ſumendo *τὸ non ipſa* poſitive pro perfectione ſibi poſitive oppoſita, & incompoſſibili ſecum in uno ſuppoſito, vel ente; ſiquidem ſi *τὸ non ipſa* deberet ſumi negative, ut ſenſus eſſet: perfectio ſimpliciter ſimplex eſt *illa, quæ eſt melior ſua negatione*, tunc omnes perfectiones eſſent ſimpliciter ſimplices: cum quælibet perfectio, tanquam entitas poſitiva, ſit melior mera negatione tanquam nihilo: quæ tamen ſequela eſt contra omnes Theologos, utpote, qui conſtanter aſſerunt, aliquas tantum, non autem omnes perfectiones eſſe ſimpliciter ſimplices.

Insuper in definitione Anselmiana particula: in *unoquoque*, non debet intelligi pro entibus in particulari; alias enim iterum quælibet perfectio foret simpliciter simplex, & sic esse accidens, esse corpus, esse irrationale &c. forent perfectiones simpliciter simplices; etenim *albedini*, prout est hoc ens particulare, melius est, esse accidens, quam esse substantiam, & lapidi melius est, esse corpus, quam spiritum, equo melius est, esse irrationalem, quam rationalem. Ratio hujus est: quia perfectio substantiæ albedinem, & ratio spiritualitatis lapidem destruerent, atque aliud ens constituerent: sed albedini melius est, habere suum esse accidentale, quam omnino destrui, idem est de cæteris. Unde juxta Scotum per *τὸ in unoquoque* intelligitur suppositum, vel ens abstractissime, & in genere, seu quatenus abstrahit ab omni particulari natura, & essentia. Hinc juxta hanc præsuppositam doctrinam

Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ est melior, quam omnis alia perfectio illi opposita, & incompossibilis in eodem ente. *Vel:* illa est perfectio simpliciter simplex, quæ inter duas oppositas, & in aliquo uno ente incompossibiles perfectiones est melior, vel majorem æstimabilitatem & perfectionem enti tribueret, si illi inesset. Ideo rationes substantiæ, spiritualitatis, intellectivitatis &c. sunt perfectiones simpliciter simplices: quia melius est enti alicui has perfectiones, quam oppositas habere. Sic perfectius est ens, quod est substantia, quam quod est accidens: melius est rationale & intellectivum, quam ens tantum rugibile, vel hinnibile &c. Ex his

38 Deduces 1. Perfectionem *secundum quid esse*, quæ non est melior omni alia perfectione impossibili secum in eodem ente. Ita corporeitas, ratio accidentis &c. non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed tantum secundum quid, quia non sunt meliores perfectionibus secum incompossibilibus in eadem entitate, nempe substantialitate, ac spiritualitate.

Deduces 2. Quod una perfectio simpliciter simplex non sit incompossibilis ratione sui in eodem supposito cum alia perfectione simpliciter simplici. Ratio est: si una perfectio simpliciter simplex esset incompossibilis cum altera, tunc deberet esse perfectior & melior, quam altera; atqui tali modo altera perfectio non esset amplius simpliciter simplex, utpote non melior, sed minus bona, quam sua opposita, & secum incompatibilis. Quam ob causam perfectio simpliciter simplex ratione sui ab ente, & supposito, cui identificatur, non exclu-

excludit aliam æqualem perfectionem, ſeu aliam perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

Deduces 3. Perfectionem ſimpliciter ſimplicem eſſe perfectionem puram, non mixtam aliqua imperfectione. Unde juxta Herincx p. 1. d. 3. n. 2. omnes perfectiones creatæ, qua tales, ſeu quatenus ſunt in creaturis, ſunt tantum perfectiones ſecundum quid, & ſunt mixtæ aliqua imperfectione; nam etiam eſſe ſubſtantiam, eſſe ſpiritum, eſſe vivens &c. quamvis ſecundum ſuam genericam rationem dicant puram perfectionem, quatenus tamen ſunt ad creaturam contractæ, ſunt finitæ, & ſubjacent imperfectioni.

§. II.

Quot, & qualiter Divinæ Perfectiones Deo competant?

Affero 1. Nec modi divini, nec attributa divina ſunt numero 39
infinita. Ita communis cum Smiſing, Herincx, Fraſſen contra non nullos, quos ſuppreſſo nomine allegat Vasquez, & quibus favent Ockam, & Ferrarienſis apud Smiſing. P. 1. Nulla authoritate Scripturæ, Patrum, aut Conciliorum infinitus hic numerus perfectionum divinarum conſtat: ergo gratis aſſeritur ab Adverſariis.

P. 2. Si eſſet aliqua ratio, cur Deo deberent numero infinitæ perfectiones attribui, eſſet hæc, quia Deus eſt infinite perfectus; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo m. p. ut Deus ſit ens infinitum, non requiritur, ut in Deo exiſtant, & collecta ſint infinita numero entia, vel entitates, ſed ſufficit, ut una divina entitas & eſſentia in ſe formaliter, vel ſaltem eminenter, & virtualiter contineat omnes prorſus entitates actuales, & poſſibiles: ergo ad hoc, ut Deus ſit infinite perfectus, non requiritur, ut formaliter in Deo ſint collectæ, & exiſtant infinitæ numero perfectiones, ſed ſufficit, ut formaliter, virtualiter, vel eminenter complectatur omnes perfectiones actuales, & poſſibiles.

P. 3. Perfectiones divinæ attributales ponunt in Deo aliquas perfectiones cum analogia ad eas, quas in creaturis concipimus: ergo ſicut in creatura non poſſunt dari perfectiones numero infinitæ, ſic neque in Deo erunt talia attributa infinita. Iterum modi intrinſeci removent a Deo imperfectiones repertas in creaturis: ergo ſicut in creaturis non dantur imperfectiones infinitæ, ſic neque erunt in Deo

modi infiniti, qui removent iſtas imperfectiones. Hinc perfectiones divinæ *ſimpliciter ſunt finitæ numero, ſeu multitudine*, ut ait Scotus 4. d. 13. q. 1. n. 32. quamvis ſint infinitæ intenſive, de quo Art. ſeq.

Jam ergo modi communiter ſoli ſequentes in Deo numerantur: ſcilicet Aſeitas, vel independentia ab aliqua creatura. 2. Infinitas. 3. Simplicitas, vel actus purus. 4. Immenſitas. 5. Immutabilitas. 6. Æternitas. 7. Inviſibilitas, ineffabilitas, & incomprehenſibilitas. 8. Neceſſitas eſſendi: ac 9. Subſiſtentia abſoluta. Attributa vero a Smiſing adducuntur iſta: unitas, veritas, bonitas, intellectus, voluntas, virtutes ad intellectum, & voluntatem pertinentes, actus cognitionis, & volitionis, ac omnipotentia; quamvis in attributis hiſce recenſendis, & diſtinguendis non conveniant Theologi.

Ad objectiones ſolvendas nota 1. a Patribus Deum dici infinite perfectum ſecundum intenſionem, non autem ſecundum extenſionem, & numerum perfectionum divinarum. 2. Perfectiones divinas in ſe poſſe multiplicari, & dici infinitas ſaltem ſyncategorematice, ſi conſiderentur ſecundum varias, & multiplices tendentias ad varia objecta. Perfectiones itaque divinæ tantum poſſunt dici finitæ numero tali finitate, quæ excludit a Deo imperfectiones, non autem perfectiones, quæ omnes eminenter, & ſine imperfectione in Deo ſunt.

40 Aſſero 2. Perfectiones divinæ tam modales, quam attributales ſunt in Deo actualiter, &, ut Scholæ loquuntur, formaliter, & non tantum eminenter, aut virtualiter. Doct. 1. d. 8. q. 4. cum communi SS. Ante probationem nota, aliquam perfectionem in alio contineri poſſe tripliciter: 1. poteſt in alio contineri *eminenter*. Sic illa entia, quæ ſunt minus nobilia, & minus pretioſa, dicuntur eminenter ſecundum æſtimabilitatem, & perfectionem ſuam contineri in nobilioribus: ita rerum inanimatarum perfectiones dicuntur eminenter contineri in viventibus, hominum præcellentiæ in Angelis: Angelorum, & omnium entium perfectiones, & æſtimabilitates dicuntur eminenter, & perfectiſſimo modo eſſe in Deo. 2. Dicitur unum contineri in alio *æquivalenter*, ſcilicet tunc, quando duo ſunt quidem ejuſdem æſtimabilitatis, non tamen ejuſdem eſſentiæ; quia taliter unius perfectio, licet ſpecie diverſa, in æſtimabilitate æquivalet perfectioni alterius: ſic pomum aliquod, & pirum, quamvis ſint diverſæ ſpeciei, poſſunt eſſe ejuſdem æſtimabilitatis. Huc etiam pertinent *continentia virtualis*, quæ tunc datur, quando unum poteſt

produ-

producere alterum; cauſa enim productiva dicitur virtualiter, vel in virtute ſua continere effectum. 3. Unum continet alterum *formaliter*, vel *actualiter*, quod tunc fit, quando unum continet alterum ſecundum ſuam eſſentiam, & rationem formalem, ita ut continens a contento formaliter denominari queat. Sic homo dicitur formaliter continere riſibilitatem, vel rationalitatem, nix albedinem, ignis calorem; quia homo actu rationalis, & riſibilis, nix formaliter & actualiter alba, ac ignis calidus denominari poſſunt. H. N.

P. Aſſert. Deus ſua attributa, & perfectiones modales aliter 41
utique continet, quam rationem lapidis, animalis, entis materialis, nivis &c. atqui Deus rationem lapidis, animalis, entis materialis, nivis &c. tantum continet eminenter, vel virtualiter: ergo ſua attributa, & perfectiones modales debet alio modo continere, quam eminenter & virtualiter, conſequenter formaliter.

P. 2. Deus ab infinitate denominatur formaliter, & actualiter infinitus, a ſapientia ſapiens, ab immenſitate immenſus, a bonitate bonus &c. & ſic de cæteris modis, & attributis: ergo juxta explicationem formalis continentiæ Num. præc. datam, hos modos, & attributa debet continere formaliter.

P. 3. Deus formaliter continet rationes notionales, & prædicata relativa; eſt enim formaliter Pater, formaliter filius, formaliter Spiritus Sanctus: ergo etiam formaliter continet prædicata abſoluta attributorum, & modorum.

P. 4. Perfectio ſimpliciter ſimplex in ſua ratione formali eſt depurata ab omni imperfectione: ergo nulla eſt ratio, cur non formaliter in Deo contineatur. conſ. patet; nam ideo ſolum perfectiones ſecundum quid non continentur formaliter in Deo, quia ſunt mixtæ aliqua imperfectione.

Objic. Deus debet ſuas perfectiones continere continentia nobiliſſima; atqui continentia eminentialis, & virtualis eſt nobilior formali: ergo debet perfectiones ſuas continere continentia eminentiali, & virtuali, non vero formali. m. p. quia entia creata v. g. corporea in Deo nobiliori modo continentur per eminentialem & virtualem continentiam, quam in ſe ipſis per formalem: ergo.

℞. D. m. Quando perfectio contenta non eſt ſimpliciter ſimplex c. m. ſecus n. m. Perfectiones ſecundum quid, ſeu perfectiones mixtæ aliqua imperfectione, nobiliori modo continentur eminenter, quam formaliter; nam ubi continentur formaliter, ibi ſunt cum ſuis anne-

xis imperfectionibus, quæ imperfectiones removentur in continente eminentiali: secus est de perfectione simpliciter simplici, quæ nullam admixtam habet imperfectionem, sed meram dicit perfectionem.

42 Quæres: An, & quomodo entia creata in Deo contineantur? ℞. 1. Sunt in Deo perfectiones, & entitates omnium rerum creatarum, & creabilium. Est de Fide. P. Ad Rom. 11. dicitur: *In ipso* (Deo) *sunt omnia.* &Exod. 33. Deus dicitur *omne bonum.* ac S. Dionysius de Div. Nom. c. 5. ait de Deo: *Cuncta continet secundum plus quam simplicem infinitatem suam.* P. 2. Ratione: Deus est causa omnium rerum creatarum, & creabilium: ergo debet eas continere saltem eminenter, vel virtualiter. Deinde: Deus infinitæ perfectionis est: ergo debet in se habere omnem perfectionem cogitabilem, & possibilem.

R. 2. Deus has perfectiones non continet omnes formaliter. Herincx cum aliis. P. Si Deus omnes entitates, & perfectiones contineret formaliter, tunc foret formaliter lapis, corpus, homo, Angelus, Leo, equus, ac mirabile monstrum ex perfectionibus formalibus, & prædicatis omnium entium compactum: quod est falsum. 2. Deus non potest in se continere formaliter perfectiones secundum quid, & mixtas imperfectione; atqui omnes perfectiones, prout sunt in creaturis, sunt mixtæ aliqua imperfectione: ergo illas non potest continere formaliter. m. constat ex dictis num. 38. vel saltem plurimæ perfectiones in creaturis, etiamsi in abstracto sumantur, sunt perfectiones mixtæ: ergo saltem illæ non possunt esse formaliter in Deo.

℞. 3. Perfectiones creaturarum mixtæ sunt eminenter in Deo. Herincx. Ratio est: quia Deus tanquam ens infinite perfectum in sua æstimabilitate præ omnibus his perfectionibus eminet. Id etiam fatetur D. Dionysius mox cit. ubi dicit: *Universa ipsi entia secundum eminentem copulationem* (vel continentiam) *sunt attribuenda.*

Objic. 1. Si Deus non esset formaliter, & actu in omni loco, tunc non foret immensus: ergo si in Deo non sit formaliter omnis perfectio creata, tunc non erit infinite perfectus. ℞. N. c. Esse Deum in omni loco non dicit aliquam imperfectionem; bene vero Deum habere formaliter omnes perfectiones, etiam mixtas, importat non unam imperfectionem admixtam.

Objic. 2. Si Deus continet omnem perfectionem possibilem, tunc præter Deum nulla est possibilis, sed hoc est falsum: ergo. ℞. D. M. Si Deus formaliter, & in individuo, ac propria specie continet omnem perfectionem possibilem c. M. si tantum eminenter n. M. &c.

Objic. 3. Perfectiones possibiles sunt inter se distinctæ, & oppositæ: ergo non possunt confluere in unum ens simplicissimum. ℞. D. c. Ergo non possunt omnes formaliter confluere in unum ens simplicissimum c. c. saltem aliquæ eminenter, & aliæ, quæ sunt simpliciter simplices, formaliter n. c. Ex dictis

Colliges: omnes perfectiones creatas aliquo sensu posse de Deo affirmari, & alia sub ratione negari, ut advertit Herincx disp. 3. de Infinitate Dei n. 6. Affirmantur scilicet omnes perfectiones de Deo, quatenus in Deo vel formaliter, vel eminenter reperiuntur: negantur vero de Deo, quatenus sunt creatæ, finitæ, & mixtæ aliqua imperfectione. Imo aliquo sub sensu omnia, quæ de Deo concipimus, de eo negari possunt, quatenus nimirum nostris conceptibus semper inest aliqua imperfectio, adeo, ut non sint Deo digni, neque perfecte repræsentent perfectiones divinas. Hunc in finem D. Dionysius cap. ult. de Mystica Theologia docet, Deum superare omnem nostram cogitationem, dicitque, Deum esse *non substantiam, non vitam, non lucem, non Mentem, non sapientiam, non Deitatem* (prout nempe hæc a nobis concipiuntur) *sed quiddam his omnibus eminentius, & præstantius.*

Articulus II.

De Infinitate Dei.

Scotus quodlib. 5. n. 4. definit ens infinitum tali modo: *Infinitum est, cui nihil deest entitatis, vel perfectionis possibilis haberi eo modo, quo potest haberi in uno aliquo ente vel formaliter, vel eminenter.* Cum hac descriptione coincidit illa Lessii L. 1. de Perfectionibus divinis n. 5. *Infinitas est omnis perfectionis, & entitatis simplicissima, & eminentissima complexio.* Iterum Scotus explicat infinitum comparative ad alia entia existentia, vel cogitabilia, & possibilia, & ait: infinitum esse, *quod excedit quodcunque ens finitum ultra omnem determinatam, vel* 43

deter-

determinabilem (id est, possibilem, aut etiam cogitabilem tantum) proportionem. Cum prima definitione Doctoris concordat illa Aristotelis l. 3. Physic. c. 6. *infinitum est id, cujus extra nihil est*, id est: infinitum est illud, quod in se universa ita complectitur, ut nulla sit perfectio, nec rerum entitas, quam modo nobilissimo non contineret. Cum secunda convenit alia ejusdem Philosophi cit. loco, ubi infinitum quoque describit esse illud, *cujus semper est aliquid extra accipere*, quod scilicet dividendo, aut cognoscendo nunquam exhauriri potest, ut proinde semper restet aliquid illius, quod nondum capitur, aut cognoscitur.

§. I.

An Deus sit infinitæ Perfectionis?

44 Assero: Deus est simpliciter infinitus in perfectione. Est de Fide ex Concilio Lateran. Capit. *firmiter* de Summa Trinitate. Contra nonnullos, qui putarunt essentiam divinam esse finitam, quamvis ejus potentiam infinitam admiserint, & contra Vorstium Calvinistam, docentem, quod Deus neque in essentia, neque in operando sit infinitus.

P. 1. Ex S. Scriptura: sic Baruch 3. v. 25. dicitur de Deo: *Magnus est, & non habet finem.* ac Psal. 144. v. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* & Jerem. 32. dicitur Deus *incomprehensibilis cogitatu.* Qui textus possunt in proprio sensu accipi sine inconvenienti, adeoque sic debent accipi, & sic semper a SS. Patribus sunt accepti. Nec obstat, quod interdum multitudo, vel magnitudo creata in Scriptura, ut Numer. 20. & Josue 22. dicatur infinita, quamvis fuerit finita; nam ratio dictat, in talibus textibus non significari veram infinitudinem, sed potius extraordinarium excessum in numero, aut in mole.

P. 2. Ex SS. PP. D. Dionysius l. de Divin. Nom. c. 9. dicit: *Ejus magnitudo omnem numerum transcendens, omnem transiliens infinitatem.* D. Damascenus L. 1. de orthodoxa fide ait: *Infinitus est Deus, atque incomprehensibilis, & hoc unum de ipso percipi potest, quod nimirum ipse infinitus sit.*

P. 3. Ratione. Deus est ens a se, & existens per suam essentiam: ergo est illimitatus, seu infinitus in perfectione, c. p. nam si

est

eſt a ſe, & per ſuam eſſentiam, tunc 1. non eſt limitatus ab aliqua cauſa, cum nullam cauſam ſui eſſe habeat. 2. Non eſt limitatus a ſe ipſo, vel a ſua eſſentia; nam ipſa natura eſt illimitata: ſiquidem lumen naturale dictat, ens a ſe debere eſſe illimitatum; hinc quando nobis occurrit ens limitatum, in ejus cauſas inquirimus, nec ullus dubitat, ens limitatum eſſe cauſatum ab alio, ſeu non eſſe a ſe: ergo a contrario, ſi datur ens a ſe, illud indubitanter dicimus eſſe illimitatum. Iterum: ſi ens a ſe poſſet eſſe limitatum, & finitum, poſſet aliquis adſtruere plurima entia a ſe: imo quotiescunque alicujus effectus mirabilis cauſa non foret perſpecta, poſſet aliquis dicere, talem rem mirabilem eſſe a ſe ortam: quod tamen nemo audet dicere. quod manifeſtum ſignum eſt, vi ipſius luminis naturalis conſtare, quod ens a ſe non poſſit eſſe limitatum, vel finitum.

P. 4. Infinita potentia arguit infinitam eſſentiam, in qua radicatur; atqui Deus habet infinitam potentiam; ſi enim haberet potentiam tantum finitam, non poſſet aliquid ſe ſolo creare, aut ex nihilo producere, prout tamen produxit totam mundi machinam.

Objic. 1. Si poſſibile eſſet corpus infinitum, vel infinite exten- 45
ſum, tunc non foret poſſibile aliud corpus: ergo etiam ſi daretur in Deo perfectio infinita, non erit extra Deum poſſibilis alia perfectio. ℞. C. a. n. c. ſi enim aliud corpus eſſet poſſibile, tunc poſſet infinitum præexiſtens augeri, & majus effici per corpus alterum ſuperadditum, quod eſt contra rationem infiniti: infinita autem perfectio divina non augetur per additam perfectionem finitam, & creatam. Aſt

Objic. 2. Complexum ex Deo, & creatura eſt aliquid melius, & perfectius, quam ſolus Deus: ergo Deus non eſt infinite perfectus; nam illud infinitum non eſt, quo aliquid melius, vel perfectius dari poteſt. ℞. N. a. Deus in ſe præcontinet omnem prorſus perfectionem, & bonitatem creatam, & quidem infinito, & eminentiſſimo exceſſu, ſolumque a Deo abeſt imperfectio, quæ perfectionibus creatis admiſceri ſolet. Unde perfectio addita Deo, non facit hunc magis æſtimabilem, conſequenter nec meliorem; illud enim eſt melius, quod eſt æſtimabilius. *Ratio rationis:* ſi Angelus idem per replicationem bis poneretur, complexum ex ipſo bis poſito non eſſet melius, quam ſolus Angelus ſeorſim: ergo a fortiori non eſt melius aggregatum, ſi iterato in creatura ponitur, quod in Deo jam antecedenter perfectiſſime, & eminentiſſime continetur. Quare recte dicit D. Auguſtinus tract.

11. in Joan. *Si fueris fine Deo, minor eris: fi fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, fed tu fine illo minor.* Ex his

46 Inferes 1. Deum, & creaturam fimul fumpta effe quidem *plura bona*, vel *plura perfecta*, non autem effe *plus boni*, vel *perfectionis*. vel, ut alii loquuntur: effe quid perfectius *materialiter*, & *extenfive* non autem *formaliter*, & *intenfive*, feu ita, ut plus æftimabilitatis fit in complexo ex Deo, & creatura, quam in folo Deo.

Inferes 2. Complexum ex Deo, & creatura nec effe magis, nec minus æftimabile, quam folum Deum, feu, hoc complexum quoad æftimabilitatem effe æquale foli Deo; quod enim complexum iftud non fit majus Deo, patet ex dictis: quod non fit minus, ex hoc clare liquet, quia Deus, ficut in fe abforbet omnem bonitatem, ita eminentiffime compenfat omnem defectum, & imperfectionem in creatura repertam.

Inferes 3. Creaturam Deo comparatam effe quafi nihilum, & inane, ut dicitur Ifaiæ 40. Unde S. Hieronymus Epift. ad Marcellam: *Solus Deus vere eft, cujus effentiæ comparatum noftrum effe, non eft.*

Dices: Totum eft majus fua parte: atqui Chriftus, conftans ex Verbo divino, & natura creata affumpta, eft totum, & Verbum divinum, feu Deus eft pars hujus totius: ergo complexum hoc, quod eft Chriftus, eft majus folo Deo. ℟. 1. C. M. & n. m. Nam Chriftus non eft aliquod totum, quod habet partes; fiquidem pars dicit imperfectionem, quæ Deo nequit convenire. ℟. 2. D. M. totum eft majus femper intenfive fua parte n. M. extenfive c. M. Verbum divinum folum habet in fe omnes perfectiones intenfive, quas habet totum complexum ex Verbo, & humanitate affumpta: ergo hoc complexum non eft *melius*, quamvis fit *majus* extenfive, & plura entia dicat, quam folus Deus, vel Verbum divinum.

47 Objic. contra affert. 3. Si Deus eft infinite perfectus, tunc unum infinitum eft majus altero; atqui hoc eft impoffibile: ergo. M. p. nam exceffus infinitus, quo Deus excedit hominem, foret major, quam exceffus infinitus, quo excedit Angelum: quia homo in perfectione magis a Deo diftat, quam Angelus: ergo. ℟. N. M. ad prob. d. a. exceffus ex parte Dei entitative, & active fumptus n. a. exceffus ifte terminative, & paffive fumptus ex parte creaturarum, quæ exceduntur c. a. Exceffus active fumptus eft nihil aliud entitative, quam ipfa perfectio excedens: hæc autem in Deo manet entitative eadem,

& æqualiter infinita, sive cum homine, sive cum Angelo comparetur: sic Elephas est entitative idem in se, nec evadit major, vel minor, sive cum bove, sive cum musca comparetur. Quia vero termini, qui a Deo in sua perfectione exceduntur, non sunt æquales, & una creatura minus, altera plus perfectionis habet, ideo etiam hic excessus, & distantia ex parte terminorum, seu passive & terminative sumptus, est inæqualis. Adverte, excessum hunc passivum esse ipsam distantiam illam, qua unum ens in sua perfectione magis, & aliud minus distat a Deo.

Objic. 4. Si Deus est infinitus, tunc etiam omnes creaturæ forent infinitæ: quia infinite distarent a Deo; sequela est falsa: ergo. ℟. N. M. vel d. si distarent a Deo per modum infiniti ab infinito c. M. si distarent tantum tanquam res finitæ ab infinito n. M. Infinitudo tantum datur in Deo excedente, non autem in creatura, quæ exceditur.

Objic. 5. Deus est ex essentia sua singularis: ergo est limitatus, & consequenter finitus; singularitas enim limitat naturam divinam, ne illa communicari possit pluribus individuis. ℟. D. c. est limitatus limitatione incommunicabilitatis ad plura inferiora c. c. limitatione perfectionis n. c. Hæc limitatio incommunicabilitatis non dicit imperfectionem, sed maximam perfectionem; eo ipso enim, quia Deus infinite perfectus est, non potest dari aliud ens ipsi in perfectione simile, vel æquale.

Objic. 6. Si Deus esset infinite perfectus, tunc etiam ideo, quia haberet potentiam producendi entia specie diversa in infinitum; atqui hæc ratio nulla est: ergo. p. m. Etiam Angelus potest producere cognitiones specie diversas in infinitum, & tamen non est infinitus: ergo. ℟. Tr. M. nam hanc rationem, saltem solam, & ut adæquatam, nos non assignamus. n. m. ad prob. n. paritatem; nam 1. Deus potest se solo producere species diversas entium in infinitum: Angelus vero semper debet adjuvari a Deo concurrente &c. 2. Angelus nihil potest intelligere, nisi a Deo conservetur in suo esse. 3. Neque potest producere cognitiones semper perfectiores & perfectiores in infinitum: potest tamen Deus entia alia perfectiora & perfectiora in infinitum creare. 4. Deus creare, & ex nihilo sui & subjecti producere potest: non ita Angelus. 5. Potest adhuc dari Angelus perfectior, cui perfectiores competunt intellectiones &c.: ergo.

§. II.

An infinitas sit specialis perfectio, ex natura rei formaliter distincta ab essentia Divina, & reliquis prædicatis divinis, quæ sunt formaliter infinita?

48 Nota 1. illa esse realiter distincta, inter quæ intercedit vel actualis, vel potentialis, vel proportionalis separatio. Horum terminorum notitiam suppono ex Logica. Ejusmodi extrema, inter quæ una ex prædictis separationibus datur, vocantur a Scotistis in rigore res, & sunt vel plura individua, habentia integram seriem graduum metaphysicorum sibi respondentem, vel sunt plura supposita, & Personæ; diversæ enim hæcceitates, aut Personalitates fundant præfatas separationes, consequenter & ipsam distinctionem realem.

Nota 2. Distinctionem ex natura rei formalem esse illam, quæ versatur inter plura extrema realiter mutuo identificata, quorum unum a parte rei habet conceptibilitatem adæquate diversam a quidditate, & conceptibilitate alterius. Hinc distinctio ex natura rei formalis datur inter extrema a parte rei actu plura, quorum neutrum in conceptu objectivo adæquato alterius involvitur. H. N.

49 Assero: Infinitas essentiæ divinæ non est ex natura rei formaliter distincta ab essentia divina. Idem est de aliis modis intrinsecis divinis. Smising tract. 1. d. 2. de Essentia Dei n. 42. & tract. 2. d. 2. n. 23. Herincx disp. 3. n. 12. contra alios Scotistas.

P. 1. Quidditas, & essentia Dei non potest concipi distincte & adæquate sine infinitate: sicut nec essentia creaturæ sine finitate, nec calor hic sine hac intensione, vel remissione; sed quæ non possunt sine se invicem distincte & adæquate concipi, non important formalitates Scotisticas a parte rei distinctas: ergo. Minor nota est ex communibus principiis de distinctione ex natura rei formali: Major vero patet tum ab exemplis adductis: tum ex confessione Scotistarum adversariorum: tum ex iis, quæ dixi per integrum Num. 33. 34. & 35. hac dissert. supra, qui relegendi sunt, præcipue autem notanda authoritas Scoti n. 34. allegata: tum quia SS. Patres essentiam Dei describunt per infinitatem, significantes, hanc ita pertinere ad Deum, ut essentialem, & primum conceptum Dei, adæquate a parte rei acceptum,

ingre-

ingrediatur. Sic D. Damaſcenus l. 1. c. 12. & alibi deſcribit Deitatem *immenſum & infinitum eſſentiæ pelagus.*

P. 2. Si modus intrinſecus, & modificatum ex natura rei formaliter diſtingueretur, tunc modus deberet eſſe alterius rationis a parte rei, quam eſt modificatum; ſed non eſt alterius rationis: ergo. M. eſt clara; ideo enim a parte rei animalitas & rationalitas in homine diſtinguuntur, quia animalitas a parte rei aliam dicit rationem, quam rationalitas. m. p. ſi modus diceret aliam rationem formalem a parte rei, quam v. g. eſſentia divina, quæ per eum modificatur, tunc variaret totum complexum, ortum ex modo, & modificato, ſicut rationalitas variat complexum ex animalitate, & rationalitate; atqui modus intrinſecus non variat complexum, ex illo modo intrinſeco, & eſſentia divina conſtitutum, juxta dicta num. 33. ergo.

P. 3. Vel iſta diſtinctio ex natura rei formalis, quæ inter modum, & eſſentiam divinam intercederet, eſſet poſitiva, vel negativa? Non ſecundum: nam ſi eſſet negativa, tunc ideo, quia modus non importat aliam formalitatem poſitivam: atqui eo ipſo non poteſt eſſe diſtinctio ex natura rei formalis, quæ requirit extrema a parte rei talia, & poſitiva. Si primum: tunc iterum quæro: vel iſta diſtinctio eſſet inter duas rationes objectivas, quarum quælibet habet rationem adæquate ſeorſim conceptibilem, vel tantum inadæquate conceptibilem? non primum: quia obſtant hic, & alibi dicta, ac authoritas Scoti. Si vero ſecundum dicis, tunc idem mecum ſentis; nam conceptus illi inadæquati tantum ſufficiunt ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, non vero ad diſtinctionem ex natura rei formalem.

P. 4. Ex deducendis immediate ponendis: unde

Deduces 1. quod modus intrinſecus imbibatur in quidditate, quam 50
modificat, ac ejuſdem omnino ſit conceptibilitatis objectivæ cum quidditate, ut teſtatur Scotus quodlibet 5. ibi: *Infinitas intenſiva dicit modum intrinſecum illius entitatis, cujus eſt, ſic intrinſecum, quod circumſcribendo quodlibet, quod eſt proprietas ejus, vel N.B. quaſi proprietas ejus, adhuc infinitas ejus non excludatur:* ergo infinitas tanquam modus magis identificatur, & magis imbibitur in eſſentia divina, quam quævis attributa, & quaſi attributa divina: conſequenter ex natura rei formaliter cum ea identificatur.

Deduces 2. Quod Scotus nil imperfectionis admittat in Deo, dum dicit, ens contrahi ab infinitate ad Deum. Ratio eſt: quia hæc compoſitio non eſt a parte rei inter realitates a parte rei tales, ſed

inter meros conceptus inadæquatos entis, & infinitatis, quæ compofitio rationis ratiocinatæ in Deo non dicit imperfectionem, fed tantum defectum arguit in noftro intellectu, qui, dum ob limitationem fuam totum conceptum effentiæ divinæ plene, & perfecte fimul affequi non poteft, eum in plures inadæquatos dividit. Huic illationi, & noftræ affertioni favet iterum Scotus 1. d. 8. q. 3. *ad primum argumentum principale* ℣. *Refpondeo.* n. 27. fic dicens: *Requiritur igitur diftinctio inter illud, a quo accipitur conceptus communis, & illud, a quo accipitur conceptus proprius, non NB. ut diftinctio realitatis & realitatis* (confequenter non ut diftinctio ex natura rei formalis) *fed ut diftinctio realitatis & modi intrinfeci ejusdem.* Ibidem Doctor ulterius clariffime docet, quod genus & differentia fint duæ formalitates, & realitates, quarum quælibet terminat fibi refpondentem conceptum adæquatum, perfectum, & proprium, & fimul addit: *Si autem tantum effet diftinctio in re ficut realitatis, & fui modi intrinfeci, non poffet intellectus habere proprium conceptum illius realitatis, & non habere conceptum illius modi intrinfeci:* ubi dilucide teftatur, realitatem aliquam fine fuo modo intrinfeco adæquate, & perfecte concipi non poffe, confequenter non diftingui a parte rei a fuo modo.

51 Objic. 1. Modus extrinfecus ftricte realiter diftinguitur a re, quam modificat: ergo etiam ftricte ex natura rei formaliter diftinguitur modus intrinfecus a quidditate, quam afficit. ℟. N. c. & parit. Inter modum extrinfecum, & rem, quæ ab eo modificatur, intervenit feparabilitas, faltem non mutua, quæ eft fignum realis diftinctionis: aft contra inter modum intrinfecum, & quidditatem ab eo modificatam nullum fignum diftinctionis ex natura rei formalis invenitur, cum nec modus fine quidditate, nec NB. quidditas fine modo intrinfeco poffit adæquate & perfecte concipi, quod tamen ad diftinctionem ex natura rei formalem exigitur. Plane homo nequit perfecte concipi, nifi fimul concipiatur ejus finitas, & limitatio: & fic etiam effentia divina nequit adæquate cognofci, nifi apprehendatur ejus illimitatio, & infinitas, quam ifta exiftenta effentialis formaliter a parte rei importat.

Objic. 2. Juxta Scotum infinitas non eft nota per fe, & poteft a priori demonftrari per effentiam divinam: ergo ex natura rei formaliter diftinguitur ab effentia divina; fi enim effet eadem ex natura rei formaliter cum effentia, tunc effentia non effet prior infinitate. ℟. N. c. Singularitas juxta plerosque SS. eft prædicatum effentiale Dei,

&

& tamen non est per se nota, ac potest a priori demonstrari per existentiam essentialem: ergo a pari &c. Probatio conf. potest etiam distingui: tunc essentia non esset prior prioritate tali, quæ supponat plures conceptus objectivos adæquatos c. plures conceptus inadæquatos n.

Dices: Scotus 1. d. 8. q. 4. n. 19. §. *ad quæstionem respondeo.* docet, unum attributum ex natura rei distingui ab alio, quia unum infertur ex alio. iterum hanc distinctionem ex natura rei formalem infert ex ordine, quem inter se servant attributa, vi cujus unum attributum censetur esse remotius, alterum propinquius essentiæ divinæ: ergo ex utroque hoc capite etiam ab essentia D. distingui ex natura rei debet infinitas. ℞. D. a. & Scotus ibi loquitur de attributis disparatis, quorum unum sine alio est adæquate conceptibile c. a. loquitur de modis, vel aliis prædicatis, quorum unum sine altero tantum est inadæquate conceptibile n. a. atque hæc distinctio est necessaria, ne alias Scotus sibi ipsi contradicat.

Objic. 3. Distinctio includentis ab incluso est vera realis distinctio, quamvis tantum sit inadæquata: ergo etiam distinctio modi intrinseci ab essentia D. est vere ex natura rei formalis, quamvis tantum sit inadæquata. ℞. D. a. quamvis sit inadæquata sub aliquo respectu c. a. sub omni respectu n. a. Quamvis complexum, includens plura, a quolibet membro vel parte inclusa tantum inadæquate distinguatur, nulla tamen distinctio includentis vere realis potest dari, nisi membra inclusa, saltem inter se mutuo considerata, realiter distinguantur: sic numerus binarius ab una unitate, quam includit, tantum inadæquate distinguitur, nihilominus ipsæ unitates duæ inter se realiter adæquate distinguuntur: ergo etiam ipse modus, & res modificata deberent inter se adæquate distingui, ut posset haberi inter eos vera distinctio a parte rei.

Objic. 4. Quamvis modus extrinsecus v. g. unio, non possit intelligi perfecte, aut esse sine re modificata, aut unita, tamen realiter distinguitur a re modificata: ergo etiam, quamvis modus intrinsecus non possit perfecte concipi, aut esse sine quidditate modificata, tamen ab ea ex natura rei formaliter distinguetur. ℞. N. c. & parit. Licet enim modus extrinsecus non possit esse, aut perfecte concipi sine re modificata, & sine subjecto suo, tamen subjectum ipsum potest adæquate esse, & concipi sine modo. Sic unio animæ ad corpus non potest esse sine corpore, & anima: attamen anima & corpus esse, & intelli-

gi poſſunt ſine unione, ut in morte accidit. Aliud eſt de modis intrinſecis, qui neque ſine quidditate, quam modificant, intelligi poſſunt, nec NB. res, quæ modificatur, perfecte & quidditative poteſt intelligi a parte rei, niſi etiam intelligatur ipſe modus, qui intrinſece, & intime imbibitur in quidditate, quam modificat.

Objic. 5. Ex noſtra concluſione ſequitur, infinitatem omnino eſſe prædicatum quidditativum, & eſſentiale Dei, & non ſolum eſſe modum; atqui hoc eſt contra dicta: ergo. M. p. illud prædicatum eſt eſſentiale, & quidditativum Dei, ſine quo eſſentia D. adæquate & diſtincte non poteſt cognoſci; atqui ſecundum noſtram concluſionem eſſentia D. ſine infinitate non poteſt adæquate cognoſci: ergo. Accedit, quod infinitas eſſentiæ divinæ ſit ipſa eſſentia: cur ergo non dicitur prædicatum eſſentiale, ſed tantum modus eſſentiæ?

℞. 1. Retorq. argum. Quidditas relationis nequit concipi ſine termino, & tamen terminus non eſt de quidditate relationis. ℞. 2. N. M. ad prob. n. M. nam univerſaliter non eſt verum, quod omne id, ſine quo res aliqua non poteſt concipi, ſit de quidditate talis rei, ut patet ex retorſione, & etiam ex modis extrinſecis, qui ſine ſubjecto modificato nequeunt cognoſci, & tamen de eorum eſſentia non eſt ſubjectum.

Porro, quamvis infinitas eſſentiæ D. a parte rei ſit ipſa eſſentia, tamen ſecundum noſtrum modum concipiendi infinitatem præciſe, & abſtractive conſideratam dicimus eſſe modum, non vero prædicatum eſſentiale: *tum*, quia ſe habet ſicut finitas, & intenſio in creatis; atqui finitas & intenſio in creatis, quamvis a re ipſa finita, vel intenſa, non diſtinguantur realiter, vel ex natura rei formaliter, tamen dicuntur eſſe modi intrinſeci tali rei. *Tum*, quia eſſentia D. etiam præſcindendo ab infinitate explicite concepta, poteſt cognoſci jam eſſe conſtituta per ipſam exiſtentiam eſſentialem, ſicut eſſentia humana poteſt concipi eſſe conſtituta per animalitatem & rationalitatem, præſcindendo a finitate: adeoque ſicut nos concipimus finitatem tanquam modum intrinſecum, qui determinat humanitatem ad eſſe limitatum, ita nos poſſumus quoque concipere infinitatem tanquam modum intrinſecum, qui determinat eſſentiam divinam ad eſſe illimitatum.

Objic. 6. Intenſio, vel remiſſio caloris poteſt ſeparari manente eodem calore: ergo modus hic intrinſecus caloris nequidem realiter, minus ex natura rei formaliter identificatur cum re modificata: ergo

idem

idem dicendum eſt de infinitate, quæ juxta nos habet ſimilitudinem, & proportionem cum intenſione. Ante reſponſionem nota, aliquos eſſe modos intrinſecos, qui præciſe ſequuntur naturam qua individuam, & ſingularem, talemque eſſe modum remiſſionis, vel intenſionis, qui comitatur gradus individuos qualitatis in eadem parte ſubjecti auctos, vel diminutos. H. N.

℞. D. a. manente eodem calore quoad ſpeciem c. a. quoad individuum n. a. Cum intenditur, vel remittitur qualitas, etiam acquiritur, vel perditur aliquid entitatis individualis, ſcilicet aliqui gradus individuales talis qualitatis, & ſic non manet totum illud individuum, quod prius fuit ante intenſionem, vel remiſſionem. Tandem

Concludes, non ſolum eſſentiam divinam ſibi ex natura rei formaliter identificare modum infinitatis, a quo in ratione eſſentiæ redditur formaliter infinita, ſed & attributa divina, v. g. intellectum, voluntatem; nam & intellectus divinus, ac voluntas divina ex intrinſeca ſua ratione ſunt potentiæ formaliter, & intrinſece infinitæ: ſicut intellectus noſter, & voluntas noſtra ex intrinſeca ſua ratione ſunt potentiæ finitæ, & ſibi ex natura rei formaliter identificant finitatem, & limitationem.

Articulus III.

De Simplicitate, & Immutabilitate Dei.

§. I.

De ſimplicitate Dei.

Simplicitas eſt negatio, vel excluſio compoſitionis ex pluribus, quæ ſe 52
habent ut actus & potentia. Nota igitur, ſimplicitatem non excludere omnem multitudinem, & diſtinctionem, ſed tantum illam, quæ datur inter plura, quorum unum ſe habet per modum potentiæ perfectibilis, alterum vero per modum actus perficientis. Et ita exponi debet D. Baſilius, qui L. 1. contra Eunomium ſcribit, *ſimplex eſſe, quod non a pluribus conſtituitur*, ſupple, a pluribus, quæ ſint actus & potentia; ſecus enim & SS. Trinitas foret compoſita, ſeu non eſſet amplius ſimplex: quia conſtituitur ex pluribus perſonis realiter diſtinctis. H. N.

53 Affero: Deus eft perfecte fimplex, & excludit omnem compofitionem a parte rei talem. Eft de Fide capit. *firmiter* de Summa Trinitate: ubi tres Perfonæ dicuntur effe *una effentia*, *fubftantia*, *feu natura fimplex omnino*. S. Auguftinus l. 6. de Trinit. c. 5. dicit, in divina fubftantia effe *fummam fimplicitatem*. Idem dicunt S. Damafcenus l. 1. de Fide cap. 8. & alii.

P. 2. Deus, ceu ens fumme perfectum, quo majus & melius cogitari non poteft, debet habere omnem perfectionem fimpliciter fimplicem; atqui fimplicitas eft perfectio fimpliciter fimplex: ergo eam debet Deus habere, & confequenter debet a parte rei effe incompofitus. m. p. perfectio fimpliciter fimplex eft illa, quæ eft melior, quam perfectio ipfi oppofita: atqui melior eft fimplicitas, quam compofitio: ergo. m. p. S. Auguftinus L. 1. de quantitate animæ c. 11. ait: *quod dividi non poteft, præponendum eft.* Et S. Anfelmus in Monologio c. 16. *omne compofitum, ut fubfiftat, indiget his, ex quibus componitur, & illis debet quidem, quod eft; & idcirco penitus fummum non eft.*

P. 3. Deus non componitur phyfice ex materia & forma, aut integraliter ex partibus integralibus; quia ratio partis alicujus feu effentialis, feu integralis, utpote fumme imperfecta in Deo non poteft dari. 2. Compofitio ex accidente & fubjecto iterum eft imperfecta; quia Deus, tanquam fubjectum, deberet ab accidente emendicare perfectionem aliquam, qua alias careret. Deinde Deus eft actus purus: atqui actus purus non effet, fi effet in potentialitate ad aliquam formam. Adde, quod Deus fit ens fumme neceffarium, in quo nihil creatum, vel contingens five per identitatem, five per unionem effe poteft. 3. Deus neque compofitus eft metaphyfice ex genere & differentia; nam & hæc compofitio magnam importat imperfectionem: eoquod Deus per aliquam realitatem ipfi inexiftentem vere, & adæquate a parte rei cum creatura convenire deberet, ita ut v. g. ratio entis in Deo adæquate non effet alia, quam ratio entis in homine, vel bruto: atqui hoc eft abfurdum.

Atque talem compofitionem metaphyficam ex genere & differentia in Deo negat expreffe Scotus 1. d. 8. q. 3. n. 16. ubi ait: *Teneo opinionem meam mediam, quod cum fimplicitate Dei ftat, quod aliquis fit conceptus communis fibi & creaturæ, non tamen communis, ut genus.* Id ipfum afferunt SS. PP. ut D. Auguftinus, Anfelmus, Cyrillus, Bernardus, Beda, qui omnes apud du Pafquier negant in Deo dari genus, vel Deum conftitui poffe in prædicamento.

Poteſt tamen admitti compoſitio talis in Deo, quæ mere datur per conceptus inadæquatos, quatenus Deus abſtractive, & inadæquate concipitur in ratione entis, ſubſtantiæ &c. & ſic inadæquate conceptus cum creatura convenit, imperfecte tamen, ex quo non ſequitur illud abſurdum, quod creatura & Deus inadæquata aliqua realitate a parte rei conveniant. Deinde, ſi aliqua imperfectio eſt in iſta compoſitione rationis, ea tota eſt in noſtro intellectu rem non adæquate concipiente.

Objectiones, quæ pugnant contra hanc aſſertionem, ſolventur inferius, ubi de diſtinctione attributorum agetur.

Ex his deduces, ſimplicitatem, quamvis per negationem explicari ſoleat, eſſe poſitivam perfectionem in Deo. Nam 1. eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: atqui omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſt aliquid poſitivum. 2. Negationes, quæ inſeparabiliter alicui enti competunt, ſunt a parte rei aliquid poſitivum juxta communem doctrinam Scotiſtarum: ergo etiam negatio compoſitionis, quæ Deo inſeparabiliter convenit, eſt aliquid poſitivum. Non tamen diſtinguitur ex natura rei formaliter ab ipſa eſſentia divina formaliter infinita, ſed tantum diverſum munus eſſentiæ divinæ importat, ſcilicet excluſionem imperfectionis, quæ ex compoſitione oriretur. 54

§. II.
De Immutabilitate.

Immutabilitas explicatur per negationem mutabilitatis: hinc tot ſunt claſſes immutabilitatis, quot poſſunt dari mutabilitates. Mutationes vero, vel mutabilitates tres præcipue numerantur: una eſt *objectiva*, qua res a non eſſe tranſit ad eſſe per productionem, vel ab eſſe ad non eſſe per deſtructionem. Atque hæc utraque mutabilitas per ſe a Deo excluditur per æternitatem, & neceſſitatem eſſendi: unde de immutabilitate objectiva hic non eſt ſermo. Secunda eſt mutabilitas *ſubjectiva*, qua ſubjectum aliquod recipit formam accidentalem, vel ſubſtantialem, & hæc iterum excluditur per ſimplicitatem, ut conſtat partim ex dictis §. præc. partim ex eo, quia vi ſimplicitatis in Deo nihil eſſe poteſt, quod ipſi non eſt realiter identificatum, ut ait D. Auguſtinus de Civitate Dei c. 10. *Deus ſimplex eſt, quia hoc eſt, quod habet.* Hinc neque Deus aliquam relationem realem ad creaturam recipere poteſt, tum ob dicta, tum ex eo; quia ſi Deus diceret 55

relationem realem ad creaturam, tunc ratione hujus relationis dependeret a creatura: quia hæc ejus relatio necessario dependeret a suo termino, qui est creatura; atqui implicat Deum dependere a creatura. Ideo denominatio Creatoris in Deo nullum dicit respectum ad creaturam, sed tantum denominationem extrinsecam, desumptam a creatura, quæ ad Deum refertur: sic & unio hypostatica subjectatur solum in natura humana Christi assumpta, non vero in Verbo assumente, ad quod tantum terminatur. Unde notanda est doctrina D. Augustini, quam habet l. 5. de Trinit. c. 16. ibi: *quod temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici: non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relative.* Tertia est mutabilitas *moralis*, vel *intentionalis*, quæ datur in intellectu, quando aliquid de novo cognoscit, quod prius non cognovit, vel quando cessat a cognitione alicujus objecti: item in voluntate, quando hæc aliquid in tempore decernit, quod prius non decrevit, vel quando mutat, & revocat propositum, aut decretum antecedenter factum. Atque de hac immutabilitate intentionali, & morali præcipua restat difficultas. H. N.

56 Assero: Deus neque est intentionaliter, vel moraliter mutabilis. Ita certa. P. 1. ex Scriptura. 1. Reg. 15. *Pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Num. 23. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Proverb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Huc quadrat etiam illud Jac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* ac illud Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.*

Idem præclare docet S. Augustinus Tract. 23. in Joan. circa medium. ibi: *Transi omnem mutabilem spiritum transi spiritum, qui modo scit, modo nescit, modo meminit, modo obliviscitur: vult, quod nolebat, non vult, quod volebat: sive patiatur jam istas mutabilitates, sive pati possit: transi hæc omnia, non invenis in Deo aliquid mutabilitatis.* Adeoque illa omnia, & sola Deus nunc cognoscit, & cognoscet in æternum, quæ ab æterno cognovit: & illa omnia, & sola modo vult, & volet, quæ voluit ab æterno.

P. 2. Ratione. Deus semper est necessario omniscius, & nunquam potest esse ignorans: ergo semper ab æterno, & in æternum debent omnia cognoscibilia ab ipso cognosci; consequenter nunc non

poteſt aliquid cognoſcere, quod antea non cognovit, vel non cognoſcet poſtea.

P. 3. De voluntate. Si Deus modo aliquid vellet, quod non voluit antecedenter, tunc vel eſſet ignorans, vel inconſtans; nos enim ideo mutamus noſtras volitiones, vel volumus aliquid de novo, quia aut prius rem omnino non cognovimus, aut non debite penetravimus, quod utrumque ignorantiam, & defectum cognitionis indicat: vel hoc facimus ob levitatem & inconſtantiam animi, qua rem etiam bene deliberatam, & plene voluntarie electam modo nolumus, & reſpuimus; atqui in Deo neque eſt poſſibilis ignorantia, neque levitas, & inconſtantia: ergo.

Confirm. Eſt ſpecialis perfectio, in eodem velle & nolle per totam æternitatem perſiſtere, nec unquam ab eo ceſſare, aut aliud velle: ergo hæc perfectio eſt Deo attribuenda, præſertim quia SS. PP. eam Deo adſcribunt, ut S. Auguſtinus jam citatus: & iterum ſingulariter L. 12. Confeſſ. c. 15.

Objic. 1. Deus cognovit olim, mundum hunc eſſe futurum, 57
nunc vero cognoſcit eum jam eſſe factum: ergo ſcientia ejus fuit mutata. ℞. D. c. Scientia Dei fuit mutata objective, ſeu ex parte objecti terminativi c. c. fuit mutata entitative, & in ſe n. c. Dei ſcientia & cognitio eſt unicus actus divini intellectus, quo jam ab æterno Deus cognovit mundum hunc ut futurum, & actu exiſtentem ſecundum diverſas circumſtantias temporis, & ita etiam cognoſcet per totam æternitatem: adeoque ſcientia in ſe, & ſua repræſentatione non mutatur, ſed manet eadem, quamvis circumſtantiæ temporis, ſecundum quas objectum eſt præſens, futurum, vel præteritum, mutentur.

Objic. 2. Voluntas divina amat Petrum, quando eſt juſtus, & odit, quando eſt in diſgratia: ergo mutatur actus voluntatis divinæ ab amore in odium. ℞. D. a. Ita tamen, ut ab æterno in Deo exiſtat ſimul odium, & amor Petri, non tamen pro æterno ad Petrum terminetur c. a. ſecus n. a. Actus amoris & odii ab æterno datur in Deo, ſed non pro æterno. Ab æterno ergo amat Deus Petrum conſideratum pro tempore, quo eſt in gratia, ab æterno vero odit conſideratum pro tempore, quo eſt in peccato mortali. Sic etiam Deus ab æterno decrevit condere mundum, non autem pro æterno, ſed in initio temporis.

Dices: ergo Petrus ab æterno, & in æternum eſt inimicus Deo, etſi pœnitentiam agat. ℟. N. illat. Non enim poteſt dici, quod Deus ipſum perpetuo odio habeat, quia odium non pro perpetuo, ſed tantum pro tempore, quo eſt in diſgratia, ad ipſum terminatur.

Objic. 3. Deus aliqua prædixit, quæ non evenerunt, ut: everſionem Civitatis Ninive intra 40 dies, quæ non evenit: ergo mutavit voluntatem ſuam. ℟. D. a, Prædixit aliqua conditionate, quæ non evenerunt c. a. abſolute n. a. Everſionem Ninive prædixit per Prophetam ſubintellecta conditione, *niſi cives pœnitentiam egerint*: quia ergo pœnitentiam egerunt, non potuit ſequi excidium intentatum.

Objic. 4. Scriptura ipſa adſcribit Deo pœnitentiam facti, atqui pœnitentia indicat mutationem voluntatis: ergo. M. patet; ſic Geneſ. 6. Deus dicit: *pœnitet me feciſſe eos*, homines ſcilicet. Iterum: *pœnitet me Saul conſtituiſſe Regem*: ergo. ℟. D. M. Scriptura adſcribit Deo pœnitentiam metaphorice c. M. vere n. M. Deus equidem non mutatur in voluntate ſua: quia tamen ſecundum opus externum ſe quandoque ita habet ut homines illi, qui mutant, & retractant voluntatem ſuam, ideo dicitur metaphorice pœnitentiam habere facti ſui. Jam vero, quando homines deſtruunt opus a ſe factum, ſolet eſſe ſignum pœnitentiæ, & retractatæ prioris voluntatis: Sic etiam quando Deus citius rem aliquam deſtruit, vel tollit, quam ſperabatur eſſe deſtruenda, dicitur Deus quaſi retractaſſe voluntatem ſuam de tali re ulterius conſervanda. Ita habet D. Auguſtinus L. 85. quæſtionum q. 52. ibi: *Accommodatiſſime ad humilem intelligentiam humanam ea, quæ incipiunt eſſe, neque perſeverant, quantum perſeveratura ſperata ſunt, quaſi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.*

Objic. 5. Sap. 7. dicitur: *omnibus mobilibus mobilior Sapientia*: ergo eſt mutabilis. ℟. D. a. Eſt mobilior in ſe, & entitative, vel etiam terminative, quatenus a cognitione objecti unius ad cognitionem alterius ſe moveret n. a. eſt mobilior, quatenus per ſapientiam divinam, ac voluntatem divinam immotam plurimi effectus producuntur c. a. & n. c. vel brevius: eſt mobilis ſapientia divina active c. a. paſſive n. a.

Difficultas maxima de concordia libertatis divinæ cum immutabilitate, quantum poſſibile erit, reſolvetur in diſſertatione de voluntate divina.

Articulus IV.

De Æternitate, & Immensitate.

§. I.

De Æternitate Dei.

Æternitas rigorose dicta, quæ soli Deo convenit, recte describitur 58
a Boëtio l. 5. de consolatione Philosophiæ Prosa 6. quod sit *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Per *vitam* intelligitur essentia & existentia perfectissima Dei: *τὸ interminabilis* indicat, existentiam & esse Dei carere initio & fine, seu esse objective immutabilem: particulæ *tota simul* excludunt successionem, & multitudinem partium a Deo: *perfecta possessio* significat, Dei existentiam interminabilem non esse participatam, vel dependentem ab alio, utpote quam Deus perfectissime a se, & ex intrinseca naturæ suæ necessitate possidet.

Æternitas, vel duratio æterna Dei in recto dicit indefectibilem existentiam divinam; nam omnis duratio juxta Scotistas in recto nihil aliud est, quam esse, & existentia rei durantis: in obliquo vero connotat tempus omne tam imaginarium, quam reale, cui Deus necessario coëxistit. Ratio est: quia æternitas melius explicari non potest, quam dicendo, quod Deus coëxstiterit tempori omni imaginario, & cogitabili in infinitum etiam ante mundum, & sit exstiturus omni tempore reali præsenti, & cogitabili in infinitum. Ita quoque immensitas dicit esse divinum ut necessario coëxistens cuilibet reali, & imaginario loco. Favet quoque huic explicationi Scotus q. 6. quodlibet. §. *Restat nunc videre de æternitate.* lit. R. n. 13. & seqq. ubi æternitatem explicat per potentiam, vel necessitatem coëxistendi cuilibet durationi, vel tempori possibili, aut cogitabili absque varietate, dependentia, & successione; sicut enim rupes immota in fluvio coëxistit cuilibet aquæ successive præterfluenti, sic & essentia D. invariata, & immota sine ulla successione coëxistit cuilibet successioni temporis, & quidem non solum temporis, quod existit, aut exstitit, sed etiam existere potest, & potuit.

Hanc æternitatem Deo competere, de Fide certum est ex cap. *firmiter* de S. Trinitate. & ex S. Scriptura Deuter: 22. *Vivo ego in*

æternum. Pſal. 89. *A ſæculo & usque in ſæculum tu es.* Eccli 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia.* Accedit ratio: quia Deus eſt illimitatus omni modo; ergo etiam ſecundum durationem. 2. Ens neceſſario, & a ſe exiſtens nequit incipere, aut deſinere.

Deinde iſta æternitas Deo ſoli eſt propria. Quamvis enim juxta Philoſophiam potuiſſet & creatura eſſe ab æterno, hæc tamen non fuiſſet neceſſario ab æterno, neque habuiſſet durationem indefectibilem, & indeſtruibilem ex ſe, & ſua natura, ſicut Deus.

§. II.

De Immenſitate.

59 Per Immenſitatem, quamvis ea per negationem explicari ſoleat, intelligimus infinitam Dei capacitatem, & neceſſitatem ſe diffundendi ubique, & præſentem ſiſtendi omnibus creaturis, etſi eſſent infinitæ numero & ſpecie. Quare immenſitas diſcernitur ab ubiquitate: quia immenſitas dicit quaſi actum primum, virtutem, & potentiam ſeſe ubique præſentem ſiſtendi: ubiquitas vero dicit actum ſecundum, ſeu actualem præſentiam, & actualem Dei per ſingulas mundi partes, imo & extra eas diffuſionem.

Deum eſſe immenſum, Fide conſtat; *tum* ex cap. *firmiter.* de S. Trinitate. ibi: *firmiter credimus, quod unus ſolus verus Deus, æternus, immenſus* &c. *tum* ex S. Scriptura Jerem. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Accedit ratio: quia alias Deus foret limitatus quoad locum, quod implicat in ente ſimpliciter illimitato, quale eſt Deus.

Interea, quamvis Deus ſit ubique vi immenſitatis ſuæ, tamen non dicitur eſſe *in loco*, ſed tantum *cum loco.* Ratio eſt: quia equidem eſt intime præſens omni loco, non tamen ab ullo loco ambitur aut coarctatur. In hoc ſenſu accipiendæ authoritates, quæ Deo videntur negare ubiquitatem; negant enim ſolum, Deum eſſe ubique circumſcriptive, ita, ut a loco ambiatur, & arctetur: non vero negant, eum eſſe cum omni loco absque ejusmodi coarctatione. His præſuppoſitis duo dubia decidenda ſuperſunt: primum eſt, an immenſitas Dei, & ejus ubiquitas formali conſequentia inferatur ex eo, quod Deus ubique operetur? ſecundum: an Deus ratione immenſitatis ſuæ ſit etiam in ſpatiis imaginariis?

60 Aſſero 1. Ubiquitas, & immenſitas Dei non bene infertur conſequentia formali ex Dei operatione, qua ubique operatur. Scotus 1. d. 37.

d. 37. q. Un. quæ tota de hac re tractat: Nominales, & ex RR. Valentia, Vaſquez, aliique contra TTas.

P. Etſi Deus per impoſſibile tantum eſſet in cælo, poſſet tamen operari hic in terra: ergo ex operatione hic in terra non infertur neceſſario conſequentia formali exiſtentia, & præſentia hic in terra: ergo ex operatione ubique facta non deducitur præſentia ubique; quia etiam abſens Deus poſſet ſuas operationes in omni loco exercere. a. p. 1. quia creatura poteſt agere in diſtans. Sic Sol diſtans poteſt in terris producere ignem. Deinde, quamvis forte naturaliter ſol, vel creatura non poſſit agere in diſtans, poteſt tamen hoc fieri ſupernaturaliter: ergo nulla eſt ratio, cur id Deus non poſſet, & conſequenter, cur non poſſet hic in terra agere, quamvis per impoſſibile ſolum in cœlo exiſteret. 2. Quod creatura ſæpe non poſſit agere in diſtans, provenit tantum ex limitatione creaturæ, quæ certam habet ſphæram activitatis: ergo cum Deus ſit illimitatus, tamen poſſet agere in diſtans, poſito, quod non eſſet ubique præſens: ergo ubiquitas, & operatio in omni loco non ſunt eſſentialiter connexæ connexione formali, quamvis materialiter, & ratione alterius, nempe ratione immenſitatis connectantur: etenim cum ratione immenſitatis Deus debeat eſſe ubique, ſic nullibi poteſt operari in diſtans; nam ubicunque operetur, ibi jam pro priori præſens fuit ratione immenſitatis.

Objic. 1. Ut Deus ſit præſens creaturis, debet eas tangere ali- 61
quo contactu; ſed non poteſt alio contactu tangere, quam virtutis & operationis: ergo. M. patet ab experientia, & ex eo, quia præſentia ſine iſto contactu non poteſt explicari. m. p. Deus, cum ſit ens immateriale, non poteſt habere contactum quantitativum: ergo habet ſolum contactum virtutis. ℞. N. m. Tangit enim ens tactu entitativo, ſeu entitate ſua, quæ intime illabitur omnibus creaturis.

Objic. 2. Deus in creaturis exiſtit, quatenus illas facit a ſe dependere; atqui facit eas a ſe dependere per operationem in creaturis, & conſervationem, vel productionem eorum: ergo. ℞. N. M. Si agitur de ratione formali; nam ratio formalis in actu primo, cur Deus ſit omnibus rebus præſens, eſt immenſitas, in actu ſecundo eſt ipſa ubiquitas, ſeu præſentia.

Objic. 3. Deus ab æterno fuit immenſus, & tamen non fuit ab æterno præſens creaturis: ergo hæc præſentia formaliter non oritur ab immenſitate. ℞. D. a. Non fuit præſens aptitudinaliter, & in actu primo n. a. in actu ſecundo ſubd. ex defectu ipſius Dei n. a. ex

defectu creaturarum, quae tunc non exstitere c. a. vi immensitatis Deus tantum debet esse praesens creaturis, *si existant.*

Objic. 4. Deus est diversimode in creaturis; atqui hoc provenit ex operatione diversa in creaturis: ergo. M. p. Deus aliter est in Justis, quam peccatoribus, aliter in Beatis, quam Viatoribus, quia aliter operatur in iisdem. ℟. D. M. Secundum praesentiam entitativam n. M. secundum alios modos, qui se ad praesentiam habent per accidens c. M., atque isti modi accidentales proveniunt ex diversa operatione in creaturis: sed entitativa praesentia est aequalis in omnibus, quae fit per entitativum illapsum, & contactum Dei.

Objic. 5. Psal. 138. dicitur: *Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua;* atqui in hoc textu pro causa praesentiae Dei in coelo & inferno allegatur operatio Dei, qua hominem in coelum, vel infernum deducit, & ibi tenet, & conservat: ergo. ℟. 1. N. m. Nam particula *etenim* in hoc textu juxta S. Hieronymum, & alios interpretes apud Herincx non est *causalis*, sed *cumulativa*, & *copulativa*, poniturque pro *etiam*, vel pro *&*, ut sensum faciat: *& manus tua deducet me* &c.

℟. 2. D. M. Et hic textus solum loquitur de praesentia objectiva per cognitionem & providentiam c. M. de praesentia reali n. M. Psalmista, ut satis indicat contextus, ibi solum loquitur de providentia, & omniscientia Dei, adeoque ostendit, se nullibi posse effugere faciem, & cognitionem Dei. Atque haec omniscientia, & providentia bene deducitur ex operatione ubique facta; eo ipso enim, quod Deus ubique operetur, omnia ubique cognoscit, & provide dirigit. In hoc sensu de praesentia intentionali per providentiam etiam exponi debet illud D. Pauli disputantis cum Atheniensibus Act. 17. *Non est longe* (Deus) *ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Imo potest etiam dici, quod juxta S. Paulum Deus non sit longe a nobis, & nostra cognitione objective, cum facillime ex effectibus, & creaturis, & illis, quae in nobis operatur, cognosci possit ejus existentia, tanquam causae primae productricis, & conservatricis omnium rerum.

Accedit, etsi S. Scriptura, vel SS. PP. ex operatione colligerent praesentiam Dei, id eos tantum facere consequentia quadam materiali, & mediata, quasi a pari argumentando tali modo: Deus ubique operatur: ergo etiam est ubique; si enim non est limitatus se-

cundum operationem ad certum locum, neque erit limitatus ſecundum præſentiam in certo loco: quia non eſt ratio, cur in uno horum ſit magis limitatus. Verum hæc non eſt ratio immediata & formalis, ſed tantum mediata, & a pari.

Aſſero 2. Deus etiam exiſtit extra mundum in ſpatiis imagina- 62
riis. Maſtrius contra plures alios SS. Ante probationem nota, ſpatium eſſe duplex: unum *reale*, alterum *imaginarium*. Spatium *reale* eſt quodcunque corpus realiter extenſum. Per ſpatium *imaginarium* concipitur vacuum, & inane chaos extra totum hoc univerſum. Et quidem hoc ſpatium imaginarium nec eſt aliquod ens poſitivum, neque eſt mere quid fictum, ut entia rationis ſolent eſſe. Eſt ergo quædam negatio corporum ibidem, ſeu extra hoc univerſum exiſtentium cum non repugnantia, ut ibi exiſtant. Hæc negatio a parte rei vere datur, nullo cogitante intellectu, ſicut negatio lucis, ſeu tenebræ in aëre. Dicitur autem ſpatium *imaginarium*, in quantum illud concipimus per modum entis poſitivi, habentis trinam dimenſionem ſecundum longum, latum, & profundum. Tale ſpatium imaginarium ante conditum univerſum fuit ipſo in loco, in quo mundus hic exiſtit. H. N.

P. Aſſert. 1. S. Scriptura, & SS. PP. paſſim fatentur, Deum eſſe extra mundum: quod idem eſt, ac eſſe in ſpatiis imaginariis: ergo. a. p. Job. 11. dicitur: *Excelſior cœlo, profundior inferno, longior terra, menſura ejus eſt latior mari.* 2. D. Auguſtinus de cognit. veræ vitæ c. 29. ait: *Ubique, in omnibus, & extra omnia eſt, totus extra omnem locum.* 3. D. Athanaſius Epiſt. 1. ad Serapionem dicit: *Ubique eſt, & extra omnia eſt, implet omnia, manens extra omnia.* 4. Richardus a S. Victore l. 2. de Trinit. c. 23. ait: *Si eſſentialiter ubique eſt: ergo & ubi locus eſt, & ubi locus non eſt; erit itaque intra omnem locum, erit & extra omnem locum.* Quid clarius? Et nunquid hi textus omnes loquuntur de actuali exiſtentia extra locum?

P. 2. Deus ideo dicitur æternus, quia ante, & extra omne tempus reale per tempus præcedens infinitum imaginarium, ac cogitabile exſtitit: ergo Deus etiam ideo dicetur immenſus, quia extra omnem locum realem, in ſpatio etiam infinito cogitabili, ſeu imaginario exiſtit.

P. 3. Non implicat ſimpliciter, Deum eſſe diffuſum in ſpatiis imaginariis: ergo & ibi eſt diffuſus actu. c. tenet; nam Deus ratione ſuæ immenſitatis actu exiſtit, ubi poteſt exiſtere: ſicut ratione ſuæ infini-

infinitae fcientiae ea actu intelligit, quae poteft intelligere. A. iterum liquet; nam non implicat hominem, vel Angelum produci, & effe in fpatiis imaginariis: ergo etiam non implicat, Deum ibi effe; fi enim creatura in illis fpatiis exiftere poteft, cur non & Deus?

P. 4. Deus nequit moveri; fed fi Deus non exifteret extra hunc mundum in fpatiis imaginariis, tunc poffet moveri: ergo Deus debet exiftere extra hunc mundum. M. claret; quia omnis motus indicat imperfectionem; nam ideo aliquid movetur a termino a quo ad terminum ad quem, quia propter limitatam perfectionem utrumque terminum fimul nequit poffidere. m. p. poffet Deus defacto movere hoc totum univerfum ad aliud fpatium extra hoc univerfum exiftens: ergo etiam Deus, propter immenfitatem fuam coëxiftens huic univerfo, neceffario deberet moveri ad illud fpatium extra univerfum. a. inde p. quia faltem divinitus poteft fieri motus in vacuo, quale etiam eft fpatium extra mundum. c. tenet: quia revera pofito cafu Deus hoc fpatium, in quo amodo exiftit mundus, relinqueret, & acquireret novum, quod eft proprie moveri.

Quaeres: quomodo ergo Deus exiftat in fpatiis imaginariis? ℞. Eo modo, quo aër eft in tenebris; nam ficut aër ibi exiftit, ubi dantur tenebrae, feu negatio lucis, ita Deus etiam ibi exiftit, ubi amodo eft negatio corporum exiftentium cum non repugnantia, ut ibi fint aliqua corpora. Eft autem Deus praefens fpatiis imaginariis per fimplicem indiftantiam, feu praefentiam negativam: mundo vero coëxiftit per praefentiam pofitivam. Quare & mundus, ceu ens pofitivum, dicit relationem coëxiftentiae, & praefentiae pofitivae ad Deum: talem autem relationem realem fpatia imaginaria, quae funt negatio, & abfentia entis pofitivi, fundare nequeunt.

63 Objic. 1. Scotus negat, Deum effe extra mundum: ergo. ℞. D. a. per praefentiam pofitivam c. a. per fimplicem indiftantiam, & praefentiam negativam n. a.

Objic. 2. Deus ante creationem mundi juxta SS. PP. fuit nullibi, & tantum in femet ipfo exftitit; fed hoc juxta nos non effet verum: ergo. m. p. quia juxta nos fuiffet in fpatiis imaginariis. ℞. D. M. fuit nullibi, feu nulli enti, & loco pofitivo pofitive coëxftitit c. M. nulli enti negativo, vel negationibus entium coëxftitit n. M. Cum ante mundum conditum nullum ens pofitivum praeter ipfum Deum fuerit, potuit nulli coëxiftere, confequenter in fe ipfo folo, ceu ente pofitivo exftitit: quod & nos dicimus.

Objic.

Objic. 3. Deus nequit existere in nihilo; sed spatia imaginaria sunt nihilum: ergo Deus nequit existere in spatiis imaginariis. ℞. 1. Retorq. argum. Aër nequit existere in nihilo; sed tenebræ sunt nihilum: ergo aër nequit existere in tenebris. ℞. 2. D. M. Deus nequit existere in nihilo, quod est nihil positivum, & negativum simul c. M. in nihilo, seu illo, quod solum est nihil positivum, bene tamen est aliquid negativum, seu vera negatio realis n. M. Nam Deus utique coëxistit tenebris, cæcitati &c. imo etiam negationibus chymærarum, quæ omni in loco dantur.

Objic. 4. Omnipotentia divina est infinita, licet ad extra tantum producat entia finita; ergo etiam immensitas Dei est infinita, licet tantum coëxistat Deus entibus finitis, & se non extendat ad spatium imaginarium infinitum. ℞. 1. Retorq. Arg. in æternitatem, ut num. præc. in prob. 2. ℞. 2. N. c. & parit. nam omnipotentia D. est potentia libera, consequenter non debet illa actu producere, quæ potest producere; alias enim non esset libera: econtra immensitas D. est potentia, & perfectio Dei non libera, sed necessaria; proin & illa debet se necessario actu extendere ad spatium imaginarium, etiam infinitum.



Tractatus II.

DE INTELLECTU, ET SCIENTIA DEI.

Dissertatio I.

DE NOTIONE, ET QUALITATE, NEC NON OBJECTO INTELLECTUS DEI, ET SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ.

Articulus I.

Expenditur natura, & diſtinctio Intellectus, & Scientiæ divinæ.

64 Certum, ac de Fide eſt, 1. in Deo dari intellectum, & intellectionem, ſeu ſcientiam. Ita enim teſtatur S. Scriptura Pſal. 32. *qui intelligit omnia opera eorum.* & Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe.* Eſther 14. *qui habes omnium ſcientiam.* & ad Rom. 11. *O altitudo Sapientiæ & Scientiæ Dei.*

Probatur etiam ratione: *tum,* quia intellectus, & ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo ea Deo debet convenire. *tum:* quia agere per intellectum & voluntatem cognoſcendo, & volendo eſt modus agendi nobiliſſimus; atqui Deo tanquam agenti, & enti nobiliſſimo debet convenire modus quoque agendi nobiliſſimus: ergo. Hanc aſſertionem D. Thomas q. 14. art. 1. etiam deducit ex immaterialitate Dei: verum probationem hanc parum valere putat noſter Poncius diſp. 5. n. 1. quia, quamvis defacto non detur, implicare tamen non videtur, dari aliquam ſubſtantiam immaterialem, quæ non ſit intellectiva; hinc ex immaterialitate alicujus ſubſtantiæ non ſtatim infertur, eam eſſe intellectivam.

Certum eſt 2. Intellectum, & intellectionem, ſeu ſcientiam Dei eſſe formaliter infinitæ perfectionis. Eſt iterum de Fide, & liquet ex infinitate Dei ſimpliciter, ſeu in tota latitudine entis, probaturque ex S. Scriptura Pſal. 146. *Magnus Dominus noſter, & ſapientiæ ejus non eſt numerus.* Deinde ens infinitum debet habere infinitam quoque vim intellectivam. His tanquam certis præſuppoſitis ſequitur

§. I.

An Intellectus divinus ſit in Deo per modum potentiæ, & intellectio per modum actus ſecundi?

65 Aſſero: Datur in Deo intellectus, qui habet rationem actus primi, & potentiæ reſpectu divinæ cognitionis, & ſcientiæ actualis. Ita non ſolum plurimi SS. ut Smiſing, Blaſius a Benjumeia, Herincx &c. Sed & extranei, ut Molina, Vasquez, Valentia, Granados, & alii contra

tra alios etiam SS. inter quos eſt noſter Brizenus tom. 2. controv. 11. de ſcientia Dei d. 1. art. 1.

P. 1. authoritate Scoti 1. d. 13. q. un. §. *aliter ponitur.* vel §. *alia eſt opinio.* ubi dicit: *Deus eſt ex natura rei formaliter beatus, & non formaliter in relationibus rationis; beatitudo autem ejus eſt formaliter in intellectione, & volitione: ergo intellectus & voluntas, quæ ſunt* NB. *principia iſtorum, ſunt ibi ex natura rei.* ubi expreſſe ſupponit, & docet, intellectum & voluntatem in Deo ſe habere per modum principii, & potentiæ, ſeu actus primi. Idem quoque tenet 1. d. 26. q. Un. §. *ad ſecundum principale.*

P. 2. Ubi datur actualis intellectio, ibi etiam datur virtus, vel potentia intellectiva; atqui in Deo datur actualis intellectio: ergo & virtus, & potentia intellectiva, a qua tanquam radice metaphyſice promanat actualis intellectio tanquam actus ſecundus.

P. 3. Ideo non poſſet intellectus in Deo habere rationem potentiæ, quia Deus eſt actus purus, ac per conſequens ei repugnat omnis potentia; atqui hæc ratio nulla eſt: ergo. M. eſt Adverſar. m. p. non obſtante actu puro datur in Deo intellectus per modum potentiæ productivæ Verbi Divini: ergo etiam poteſt dari ut potentia intellectiva, non quidem productiva, ſed metaphyſice emanativa intellectionis divinæ. 2. Etiam eſſentia divina habet ſe per modum radicis, & actus primi emanativi omnium attributorum: quidni & intellectus ſic ſe habere poterit reſpectu intellectionis?

Objic. 1. Actus primus repugnat actui puro, quia eſt in potentia ad actum ſecundum: ergo non poteſt dari in Deo actus primus. 66
℟. 1. Retorq. argum. ergo neque eſſentia divina eſt actus primus, & radix reſpectu attributorum: neque intellectus divinus cum eſſentia eſt actus primus, & principium proceſſionis Filii.

℟. 2. d. a. actus primus vere productivus, & receptivus intellectionis realiter diſtinctæ c. a. actus tantum metaphyſice emanativus intellectionis realiter identificatæ intellectui, & eſſentiæ divinæ n. a. Intellectio D. longe aliter ſe habet ad ſuum actum primum, quam intellectio creata; hæc enim eſt accidens realiter diſtinctum, & vere phyſice productum, & receptum ab intellectu creato, quæ omnia imperfectionem dicunt: aſt intellectio D. eſt ſubſtantialis, vel eſt vera ſubſtantia, & realiter identificatur divinæ eſſentiæ, & intellectui, a quo promanat metaphyſice, ſicut alia attributa ab eſſentia divina.

Objic.

Objic. 2. Aliqui ex SS. PP. dicunt, intellectionem in Deo esse ipsum intellectum. ℞. D. a. esse ipsum intellectum realiter c. a. ex natura rei formaliter n. a.

Objic. 3. S. Maximus p. 1. tit. 3. ait, a Deo removendam esse tam intelligendi facultatem, seu intellectum, quam intellectionem: ergo. ℞. D. a. & S. Maximus loquitur de intellectu receptivo, ac productivo intellectionis realiter distinctæ, ac accidentario perficientis intellectum c. a. loquitur de intellectu & intellectione in nostra acceptione n. a. &c.

§. II.

An Intellectus divinus ex natura rei formaliter distinguatur a voluntate, & essentia divina?

67 Assero: Intellectus D. ex natura rei formaliter distinguitur 1. a voluntate D. 2. etiam ab essentia divina. Ita SS. communissime contra Exteros.

P. 1. ex Scoto, qui 1. d. 2. q. 7. §. *contra ista instatur.* n. 25. tertiam instantiam solvens ait: Dico, *quod illi AArii non ponunt differentiam realem inter intellectum, & voluntatem Patris; & tamen habent concedere tantam differentiam, quod alterum potest esse principium elicitivum alicujus productionis, cujus alterum non potest esse principium elicitivum formale.* Ita Scotus, cujus verbis subsumo: atqui ex eo, quod intellectus D. sit principium formale generationis Verbi, & voluntas non sit principium formale generationis Verbi, datur expresse contradictio a parte rei inter voluntatem, & intellectum D. non quidem stricte realis, quæ tantum inter Personas divinas, non autem attributa divina admitti potest: ergo saltem ex natura rei formalis.

P. 2. De intellectu, & voluntate D. prædicantur contradictoria a parte rei: ergo debent etiam distingui a parte rei. atqui non possunt aliter distingui a parte rei, quam formaliter tantum: ergo debent a parte rei, vel ex natura rei formaliter distingui. a. p. Intellectus divinus a parte rei est principium proximum formale processionis Filii, voluntas non est a parte rei principium formale proximum processionis Filii. Iterum vicissim: voluntas D. a parte rei est principium proximum processionis Spiritus Sancti, intellectus D. non est a parte rei principium formale proximum processionis Spiritus Sancti: ergo de intellectu

tellectu & voluntate divina a parte rei prædicantur contradictoria. a. ſtabilitur ex principiis Fidei, & Sacra authoritate. Sic Concilium Toletanum 11. in confeſſione Fidei dicit: *non eſt credendum, quod Pater voluntate genuerit Filium.* Concil. Smirnenſe can. 25. *Si quis Conſilio* (id eſt, voluntate, quam SS. PP. cum Hilario l. de Synod. anath. 24. per *conſilium* intelligunt) *Dei factum Filium Dei aſſerit, anathema ſit.* Deinde D. Auguſtinus l. 65. quæſtionum ad Oroſium q. 7. *Pater voluntate non genuit Filium, quia prævenire voluntas ſapientiam non potuit.* S. Cyrillus L. 1. in Joan. c. 5. *Filius appellatur Verbum, ac Sapientia, quoniam ex intellectu immediate, atque indiviſibiliter eſt.* ubi ſtabiliter a SS. PP. intellectus affirmatur, & voluntas negatur eſſe principium formale proximum proceſſionis Filii.

Confirmatur hæc ratio omnibus iis, quibus in Philoſophia probare ſolemus, intellectum & voluntatem humanam inter ſe diſtingui ex natura rei formaliter; quæ tamen hic cum proportione ſunt applicanda. Maxime autem ideo videntur in Deo diſtingui intellectus & voluntas: quia hæc eſt principium liberum, ſui ipſius determinativum ad actum ſuum, & ad productionem Spiritus Sancti: intellectus autem divinus non eſt principium liberum, ſed naturale, ex propria & intrinſeca ſua natura determinatum ad agendum, & generandum Filium divinum.

Reſpondent AArii, præcipue RR. 1. Iſta contradictoria non vere 68
dari a parte rei, eaque omnia per diverſos conceptus ſalvari poſſe. Sic ergo ratiocinantur: *Eſſentia divina, quatenus eſt potentia intellectiva, & poteſt intelligere, eatenus eſt principium formale proceſſionis filii: eſſentia divina, quatenus eſt potentia volitiva, non eſt principium Filii.*

Contra eſt 1. Concilia citata, & SS. PP. non loquuntur de eſſentia divina, prout tantum ſubſtat diverſis conceptibus, & repræſentationibus inadæquatis; ſed loquuntur de intellectu, & voluntate divina, prout ſunt a parte rei, abſque omni negotio noſtri intellectus: quis enim credat, quod PP. & Concilia ex ſublimiſſimo Proceſſionum divinarum myſterio voluerint tantum facere opus rationis? potius credendum eſt, quod illud propoſuerint, prout eſt in ſe: ergo dum contradictorias de hoc myſterio proponunt propoſitiones, eæ ſunt, & dantur a parte rei.

Contra eſt 2. Taliter etiam contradictoria, quæ inter Perſonas divinas ipſas verificantur juxta principia Fidei, poſſent reduci ad merum opus rationis, & per diverſos conceptus ſalvari de eadem indi-

ſtincta eſſentia divina; poſſet enim dici: *Pater divinus ſub ratione paternitatis conceptus non eſt Filius, Pater ſub ratione eſſentiæ D. conceptus eſt Filius.* ubi tota contradictio & diſtinctio non caderet ſuper Patrem, & Filium a parte rei, ſed tantum prout ſubſtant diverſis conceptibus.

Contra eſt 3. Si intellectus, & voluntas divina a parte rei ſint una indiſtincta entitas, & eſſentia divina, tunc ſalva Fide poteſt dici: *Filius procedit per voluntatem, & Spiritus S. per intellectum:* atqui hæc locutio eſt contra modum loquendi Theologorum, SS. PP. & Conciliorum: ergo.

69 Reſpondent aliqui 2. Prædicata contradictoria eidem omnino indiſtinctæ entitati in Deo poſſe competere ſine omni abſurdo ob infinitatem divinam.

Contra eſt: Si contradictoria Deo poſſunt competere ſine ulla diſtinctione a parte rei, tunc omnia, quæ de Deo negantur, poſſunt de illo affirmari; atqui hoc eſt abſurdiſſimum: ergo. M. patet ex natura contradictionis, quæ exigit, ut idem de eodem ſecundum idem negetur, & affirmetur. m. p. ſic enim poſſet de Deo dici, *eum eſſe ſapientem, & non eſſe ſapientem, eſſe Deum, & non eſſe Deum, eſſe infinitum, & non eſſe infinitum:* atqui hoc eſt abſurdiſſimum, & falſiſſimum: ergo.

70 Reſpondent aliqui ex TT. 3. Contradictoria hæc ſalvari per diſtinctionem virtualem, & æquivalentiam, qua natura divina ob ſuam infinitatem eminenter æquivalet entibus etiam realiter diſtinctis, ac contradictoria ſuſcipientibus.

Contra eſt 1. Jam in Philoſophia dictum eſt, diſtinctionem virtualem non eſſe ſufficientem ad verificanda contradictoria a parte rei talia.

Contra eſt 2. Vel æquivalentia, & diſtinctio virtualis inter intellectum divinum, & voluntatem divinam relinquit omnimodam identitatem a parte rei, vel non relinquit? ſi non: jam habetur intentum, & inter eas jam dabitur aliqua non identitas, & diſtinctio a parte rei. Si relinquit: tunc poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, intellectus divinus ſimul erit principium ſpirationis Spiritus Sancti & non erit &c.

Nec dicas: Naturam divinam ſecundum virtualitatem intellectus non eſſe principium ſpirationis Spiritus Sancti, bene ſecundum virtualitatem voluntatis. Contra eſt: Virtualitas intellectus & vo-

luntatis

luntatis juxta AArios ſunt unica prorſus indiſtincta entitas: ergo intellectus a parte rei eſſet, & non eſſet principium ſpirationis Spiritus Sancti.

Reſpondent aliqui ulterius: duplex datur in Deo intellectus, & voluntas, eſſentialis, & notionalis. eſſentialis eſt indiſtincta a natura divina, quæ ſub diverſa conſideratione modo voluntas, modo intellectus, nunc natura, omnipotentia &c. dicitur. Intellectus notionalis eſt natura cum Paternitate, & voluntas notionalis eſt natura cum Paternitate & Filiatione, quæ ratione Paternitatis & Filiationis, non vero ratione ſui diſtinguitur. Dicunt ergo, Filium procedere per intellectum notionalem, non eſſentialem. Ita Viva P. 1. d. 1. q. 3. n. 6.

Contra eſt 1. Filius divinus dicitur Sapientia, & Spiritus Sanctus amor; atqui hujus nulla eſt ratio, quam quia iſte per voluntatem eſſentialem, cujus eſt amare, & ille per intellectum eſſentialem, cujus eſt ſapientia, & intellectio, procedit: ergo. Contra eſt 2. Juxta SS. PP. Filius procedit ex memoria fœcunda Patris; atqui memoria fœcunda eſt ipſa potentia intellectiva eſſentialis, habens debite præſens objectum: ergo. 3. Paternitas eſt actio generativa, quæ præſupponit principium. 4. Juxta Concilia unicum principium ſpirativum eſt in Patre, & Filio; ſed juxta adverſarios juxta dictam explicationem hoc Principium ſpirativum in Patre & filio non eſſet unicum, ſed ratione Paternitatis & filiationis eſſet duplex & diſtingueretur: ergo.

Ex his etiam probata manet ſecunda pars concluſionis, quod ſcilicet Intellectus & voluntas divina etiam ex natura rei formaliter diſtinguantur ab eſſentia divina; nam eſſentia divina eſt principium proceſſionis tam Filii, quam Spiritus Sancti: non vero hoc de intellectu & voluntate dici poteſt; cum intellectus ſit principium ſolius proceſſionis Filii, & voluntas ſit principium ſolius proceſſionis Spiritus Sancti: de quo plura in Tractatu de Deo Trino. Unde intellectus & voluntas profluunt metaphyſice ab eſſentia tanquam radice. 71

Objic. 1. Juxta Concilium Sardicenſe, Pater etiam voluntate genuit Filium. Similia habent quoque Concil. Tolet. 15. S. Hilarius l. de ſynod. ac plures alii, quos citatos vide apud Gormaz d. 3. ſect. 2. a n. 151. & Haunoldum L. 1. tr. 1. c. 1. controv. 4. §. 3. n. 84. ergo nulla contradictoria a parte rei inter intellectum, & voluntatem D. dantur, cum reſpectu Filii etiam voluntas ſit æque principium, ac intellectus D. 72

℞. D. a. Juxta has authoritates Deus volens genuit Filium, id eſt, voluntate productiva n. a. voluntate tantum complacente in productione Filii c. a. Plura de hoc in Tractatu de Deo Trino.

Objic. 2. Diſtinctio hæc ex natura rei formalis inter eſſentiam & intellectum repugnat maximæ, & perfectiſſimæ unitati, quæ juxta SS. PP. in Deo datur: ergo. a. conſtat: quia eſſet major, & perfectior unitas, ſi talis diſtinctio non daretur. ℞. 1. Retorq. Argum. eſſet major unitas, ſi neque Perſonæ divinæ multiplicarentur: ergo.

℞. 2. N. a. Talis unitas, quæ excluderet a Deo omnem diſtinctionem formalem, foret impoſſibilis, conſequenter non foret perfectior unitas. Maxima autem eſt unitas, quæ inter attributa & eſſentiam eliminat diſtinctionem realem, adeo, ut attributa non ſint accidentia realiter diſtincta ab eſſentia, eique ſuperaddita, prout fit in creatis.

Objic. 3. Juxta D. Bernardum L. 5. de Conſideratione c. 6. in Deo, & perfectionibus divinis non eſt numerus, & (ut ibi loquitur) *Deus, ſi dici poſſit, uniſſimus eſt.* Iterum dicit ibi, ſicut & alii PP. quod Deus tantum dividatur pro captu noſtro, ſcilicet per plures conceptus inadæquatos: ergo S. Bernardus cum aliis PP. excludit a Deo omnem pluralitatem conceptuum objectivorum adæquatorum, conſequenter & ipſam diſtinctionem ex natura rei formalem, quæ ex his conceptibus objectivis adæquatis, a parte rei pluribus, exurgit.

℞. D. Bernardus, & alii Patres, qui ita loquuntur, ſolum volunt, quod noſtris conceptibus, & nominibus, quibus in Deo plures perfectiones repræſentamus, non reſpondeant plures perfectiones divinæ ſtricte realiter diſtinctæ, ac Deo accidentaliter tantum unitæ, prout fit in creaturis: non autem negant ibi pluralitatem ex natura rei formalem, quæ cum identitate reali compoſſibilis eſt.

Objic. 4. Ex diſtinctione formali inter eſſentiam, & intellectum ſequitur compoſitio; atqui compoſitio repugnat ſimplicitati divinæ: ergo. M. p. ſic enim eſſentia divina eſſet in potentia ad intellectum tanquam ſuum actum perficientem, & determinantem: ergo daretur compoſitio ex potentia, & actu. ℞. N. M. ad ejus prob. n. a. quod eſſentia divina reſpectu intellectus ſe habeat ut vera potentia, talis, quæ compoſitionem poſt ſe trahat; eſt enim & ipſa eſſentia actus puriſſimus, & talis actus puriſſimus omnem compoſitionem excludens ſunt omnia prædicata divina: ſicque in Deo tantum actus cum actu identificatur,

tificatur, non autem aliquid eſt in potentia vera ad alterum. *Ratio rationis*: ratio potentiæ, & compoſitionis tantum locum habet in rebus creatis, & finitis, in quibus una realitas alteram non perfecte ſibi identificare poteſt ratione limitationis, & finitudinis: aſt in divinis una realitas alteram ſibi perfectiſſime identificat ratione infinitatis; infinitas enim v. g. eſſentiæ divinæ exigit, ut ipſi identificetur omne identificabile cum ea. idem exigunt intellectus, & reliquæ perfectiones ſimpliciter ſimplices in Deo: quia & hæ ſunt infinitæ, & quia omnis perfectio ſimpliciter ſimplex exigit ſibi identificari aliam perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ac reliqua prædicata, ſine quibus aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex eſſe non poteſt. Hoc privilegium non habent perfectiones mixtæ, & finitæ in creatis: imo ideo, quia finitæ ſunt, aliquam perfectionem a ſua identitate neceſſario excludunt; ſecus enim non eſſent limitatæ, nec admixtam haberent imperfectionem.

Objic. 5. Ibi datur compoſitio, ubi datur diſtinctorum unio; atqui ſi intellectus & eſſentia diſtinguuntur a parte rei in Deo, & tamen identificantur realiter, tunc datur diſtinctorum unio, vel identitas: ergo & compoſitio. ℞. 1. Retorq. argum. atqui tres Perſonæ divinæ diſtinguuntur realiter inter ſe, & tamen identificantur eidem eſſentiæ: ergo & tres Perſonæ cum divina eſſentia faciunt compoſitionem.

℞. 2. d. M. ubi datur diſtinctorum componibilium unio, ibi datur compoſitio c. M. ubi datur unio, vel identitas diſtinctorum qualiumcunque n. M. Compoſitio non poteſt argui ex qualibet diſtinctione; etenim diſtinctio ſolum opponitur identitati, non autem ſimplicitati: ſic, etſi detur diſtinctio trium Perſonarum, hæc tamen minime lædit ſimplicitatem Dei, bene vero tollit identitatem realem inter Perſonas prædictas: adeoque requiritur ad compoſitionem, oppoſitam ſimplicitati, ut extrema ex natura rei formaliter diſtincta, & realiter identificata non ſint meri actus, ſed unum ſit in potentia ad aliud.

Dices: Eſſentia divina eſt perficibilis, & actuabilis per intellectum: ergo eſt in potentia ad intellectum. Reſpondent multi ex SS. cum Smiſing, & Herincx n. a. rationem dant: quia eſſe perfectibile, & actuabile videtur idem ſonare, ac eſſe imperfectum; atqui in Deo nihil imperfectum eſſe poteſt: ergo. Verum candide fateor, me hanc reſponſionem nunquam percipere potuiſſe; ea enim 1. eſt contra Sco-

tum, qui 1. d. 8. q. 4. §. *contra istam solutionem.* ℣. *ad secundum dubium dico.* n. 23. ait: *Sapientia, & magnitudo in Deo sunt perfectiones ejusdem rationis, hoc est, quidditativæ: quia quidquid perficitur, istis perfectionibus perficitur:* ergo Sapientia divina perficit aliquid in Deo, scilicet essentiam. 2. Essentia in se seorsim considerata, & ut formaliter distincta ab attributis, est simpliciter, & formaliter quidem infinita in genere, & ratione essentiæ, non autem in ratione potentiæ intellectivæ, aut actualis intellectionis; alias enim, si ipsa essentia in se præcise considerata jam includeret formaliter perfectionem attributorum, ista frustra adderentur essentiæ: ergo quamvis essentia in ratione essentiæ non possit perfici per attributa, potest tamen ita perfici in linea attributali v. g. intellectus, & intellectionis. 3. Intellectus & voluntas, intellectio quoque, & volitio sunt perfectiones essentiæ divinæ: ergo necessario eam perficiunt. Hinc cum Blasio a Benjumeia de Scientia Dei n. 150. relicta priori responsione tanquam nimis scrupulosa

℞. aliter D. a. Essentia divina est actuabilis, & perficibilis ab attributis tanquam potentia actuanda, & determinanda n. a. tanquam actus actualissimus in genere essentiæ infinitus, perficiendus per alium actum purum sibi realiter, & perfecte identificatum c. a.

Instabis: ergo essentia D. ut præcisa ab attributis, est imperfecta, quia caret aliqua perfectione, scilicet attributali. ℞. N. illatum; nam essentia D. habet omnem perfectionem simpliciter simplicem, modo tamen possibili, quo habere potest. Sic perfectionem essentialem, & quidditativam includit in suo quidditativo, & formali conceptu, reliquas vero, nempe attributales habet identice, eas ratione suæ infinitatis perfectissime sibi identificans. Nec infinitæ huic perfectioni essentiæ obstat distinctio ex natura rei formalis, & aliqua non identitas inter prædicata divina: quia major identitas non est possibilis.

Instabis denuo: Essentia divina est formaliter infinite perfecta: ergo nequit ab intellectu vel alia perfectione infinita perfici. c. p. esse infinite perfectum formaliter, & esse ab alia perfectione infinita perficibile sunt contradictoria: ergo. ℞. D. a. est formaliter infinite perfecta in ratione essentiæ divinæ c. a. in ratione perfectionum attributalium n. a. & d. c. ergo nequit perfici ab alia perfectione infinite perfecta in linea & ratione essentiæ c. c. in linea attributali n. c. Infinite

perfe-

perfectum in una linea tantum nequit perfici in eadem linea: item essentia divina nequit perfici per perfectionem realiter ab ipsa distinctam.

Urgebis: Illud non est infinite perfectum, quod non includit in se formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem; sed essentia non includit in se omnem perfectionem simpliciter simplicem; non enim includit attributa, intellectum, voluntatem &c. ergo. ℞. N. M. Ad infinite perfectum exigitur solum, ut identificet sibi omnem perfectionem simplicem, non vero requiritur, ut includat in suo conceptu formali.

Replicabis: ergo divina essentia ut præcisa objective ab attributis est minus perfecta, quam ut sumpta una cum omnibus attributis: ergo datur in Deo majus & minus: atqui hæ illationes sunt absurdissimæ: ergo & nostra sententia, ex qua inferuntur. ℞. 1. Indirecte, contra AArios qui essentiam ab attributis virtualiter, vel saltem ratione ratiocinata distinguunt. Quæro igitur ex ipsis: quando essentia virtualiter, vel per rationem distincta concipitur, an essentia sic concipiatur minus perfecta, quam ut considerata una cum omnibus attributis? haud dubie respondebunt negative: quia ipsorum distinctio sive rationis, sive virtualis non negat, Deo competere reliquas perfectiones, sed tantum ab illis abstrahit; atqui abstrahentium non est mendacium. Idem est in nostra sententia; nam dum objective concipimus solam formalitatem essentiæ, non negamus reliquas formalitates realiter identificatas: ergo nunquam essentia a parte rei potest esse major vel minor, quia semper omnes perfectiones simpliciter simplices sibi perfecte identificat, adeoque in omni genere perfectionis est infinita saltem identice, cum in formali conceptu non possit esse. Quare in forma

℞. 2. N. illatum, & addo ulterius, ex distinctione formali non sequi, aliquid non esse tale, non habere talem perfectionem: sed tantum abstractive adæquate conceptibilem esse unam perfectionem formaliter, non concepta altera, quamvis nunquam etiam perfecte una formalitas formaliter infinita in Deo cognosci posse videatur, quin simul cognoscatur exigentia identificandi sibi omnes alias perfectiones, & quævis attributa.

Dices iterum: Dum divina essentia objective & formaliter præscindit ab attributo sapientiæ, seu intellectus, vel Deus concipitur

ut

ut fapiens, vel ut non fapiens, vel ut infipiens? quidquid dicatur, falfum eft: ergo. ℞. 1. Retorq. Argum. Dum divina effentia vel virtualiter, vel per diftinctionem rationis ratiocinatæ præfcinditur ab attributo fapientiæ, vel Deus concipitur ut fapiens, vel ut non fapiens &c.? ergo. ℞. 2. N. M. Deus tunc nec ut fapiens formaliter, nec ut infipiens, nec ut non fapiens concipitur, fed ab his omnibus abftrahitur, & nihil cogitatur.

Objic. 6. Poteft aliquis in abftracto dicere: *effentia divina eft intellectus, vel intellectio, aut fapientia divina:* item: *Intellectus divinus eft voluntas divina:* ergo hæc prædicata inter fe non diftinguuntur ex natura rei formaliter. c. patet; etenim juxta principia Scotiftica, quæ ex natura rei formaliter diftinguuntur, non poffunt in abftracto de fe mutuo prædicari. Sic nequeo dicere: *animalitas eft rationalitas.* a. vero eft ipfius Scoti mox citandi, & aliorum. ℞. D. a. Et hæc eft prædicatio folum identica, ut fenfus fit: *Effentia D. identificatur cum intellectu D.* c. a. eft prædicatio formalis, ut fenfus fit: *Effentia D. eft ipfiffima formalitas intellectus divini* n. a. Tunc autem fimilis identica prædicatio fieri poteft, quando unum faltem ex extremis non abftrahit penitus a ratione, propter quam exigit neceffario identificari cum altero: fic effentia divina (idem eft de reliquis prædicatis abfolutis in Deo) in abftracto fumpta non præfcindit, fed potius includit infinitatem, propter quam fibi identificat omne fecum identificabile, confequenter & intellectum, ac reliqua prædicata etiam relativa divina: quare quoque dici poteft: *Effentia eft Paternitas,* de quo plura in Tract. de Deo Trino. Aft in creatis formalitates in abftracto fumptæ non amplius involvunt rationem concreti, ac rei in recto importatæ, propter quam tanquam formalitates ejus unice identificantur; unde in abftracto fumptæ neque identice prædicari poffunt, quia penitus ab identitate actuali, vel a concreto identitatem exigente abftrahunt. Scotus 1. d. 8. q. 4. §. *ad argumentum principale.* n. 25. Ratio hujus ulterior ex finitate formalitatum creatarum defumpta, jam data eft fupra in Refponfione ad objectionem 4tam. Ex his

Colliges, cum Blafio a Benjumeia de fcientia Dei n. 157. ex noftro Sofa ibi citato, quod identitas mere realis, quæ fecum compatitur diftinctionem ex natura rei formalem, poffit effe interdum perfectior, quando fcilicet ex perfectiori fundamento, & radice oritur, nimirum ex infinitate, & fic ex majori & meliori titulo exigit identificari

ficari inter se extrema. Atque in hoc, non alio sensu dicimus, essentiam divinam & attributa inter se perfectissime identificari: qua perfectissima identitate non obstante, adhuc salva stat distinctio ex natura rei formalis.

§. III.

An Intellectio divina distinguatur formaliter ab intellectu divino?

Assero. Etiam intellectio divina ex natura rei formaliter non 73
solum ab essentia, sed & intellectu divino distinguitur: idem est de actu volitionis divinæ respectu voluntatis. Communis SS. contra nostrum Brizenum, quem teste Blasio a Benjumeia de scientia Dei n. 101. plures SSæ sequuntur in suis manuscriptis.

P. breviter 1. De intellectu, & intellectione verificantur contradictoria: ergo. a. p. intellectus divinus est principium processionis Filii: intellectio divina non est tale principium, ut in Tract. de Deo Trino dicitur: ergo.

P. 2. Actus secundus notionalis intellectus, seu actio generativa distinguitur ex natura rei formaliter ab intellectu divino: ergo & actus essentialis, seu actus intelligendi.

Objic. 1. Scotus 1. d. 7. q. Un. §. *ad quæstionem igitur respondeo.* 74
℣. *alio modo.* & alibi negat, in Deo *esse potentiam divisam ab actu:* ergo vult actum potentiæ esse ipsam potentiam. ℟. 1. Contra sic arguentes SSas AArios: ergo etiam actio generativa, quam Pater exercet per intellectum, non est ex natura rei distincta ab intellectu. ℟. 2. D. a. Negat potentiam divisam ab actu per realem distinctionem, ut fit in creatis, ubi actus intelligendi distinguitur realiter a potentia intellectiva c. a. negat potentiam ex natura rei formaliter distinctam ab actu n. a. Esse divisum ab alio realem, non vero ex natura rei formalem distinctionem significat.

Objic. 2. Omnia, quæ ad unam lineam pertinent, ex natura rei formaliter in Deo identificantur; atqui intellectus, & intellectio ad unam lineam intellectivam pertinent: ergo in Deo identificantur ex natura rei formaliter. ℟. N. m. Nam actus primus alicujus potentiæ, & actus secundus pertinent ad diversas lineas.

Objic. 3. Quæ in inferioribus sunt distincta, in superioribus sunt coadunata: ergo quia intellectio & intellectus in creaturis distinguuntur, in Deo identificantur. ℞. D. c. Identificantur realiter c. c. ex natura rei formaliter n. c. Plura quidem in Deo etiam ex natura rei formaliter identificantur, quæ in creaturis distinguuntur: Ast ibi specialis pugnat ratio, quam in proposito Adversarius non ostendet.

Objic. 4. Ex nostra sententia sequitur, quod intellectus divinus sit sub privatione intellectionis divinæ; atqui hoc est absurdum: ergo. ℞. N. M. Ad privationem requiritur, ut aliquo instanti reali subjectum forma aliqua careat; atqui nullo instanti reali intellectus divinus est sine intellectione, utpote quam semper sibi identificatam habet.

Objic. 5. D. Augustinus L. 7. de Trinitate c. 5. ait: *Non eo Pater, quo Deus, sicut nec eo Verbum, quo Sapientia: sed eo magnus, & eo sapiens, quo Deus, & eo Deus, quo sapiens:* atqui per ea verba S. Doctor equidem concedit distingui a parte rei sapientiam, & Deitatem a prædicatis relativis Paternitatis, & Filiationis, videtur tamen negare distinctionem a parte rei talem inter sapientiam & deitatem.

℞. Cum Scoto 1. d. 8. q. 4. §. *contra istam opinionem.* ℣. *ad secundum dubium.* n. 23. S. Augustinus in cit. textu tantum voluit, quod majus & patentius fundamentum sit identitatis stricte realis inter sapientiam & Deitatem, quam inter Deitatem, & Paternitatem, 1mo quia Paternitas divina est tantum in una, non autem in omnibus Personis, in quibus tamen cum Deitate est sapientia, seu intellectus, vel intellectio divina. 2. Quia sapientia divina etiam habet propriam formalem infinitatem, si habetur quasi duplex fundamentum identitatis stricte realis inter Deitatem & sapientiam: contra Paternitas tanquam prædicatum relativum non est formaliter infinita. Adeoque non habetur duplex fundamentum talis identitatis inter Paternitatem & Deitatem, sed unum tantum, scilicet infinitas Deitatis. Noluit autem S. Doctor ibi decidere, quod nulla distinctio a parte rei, salva identitate conveniente, intercedat inter intellectum & Deitatem. Vide etiam Mastrium disp. 2. n. 70.

Articulus II.

De virtutibus intellectus, & voluntatis divinæ: nec non ob connexionem materiæ de diſtinctione prædicatorum eſſentialium.

§. I.

De Virtutibus intellectus, & voluntatis divinæ.

Nota: Virtutes intellectuales numerari quinque, ſcilicet artem, prudentiam, ſcientiam, ſapientiam, & intellectum, quibus addi poteſt Fides. Præter intellectuales dantur etiam virtutes morales, & Theologicæ in voluntate, v. g. Spes, charitas, miſericordia, juſtitia, religio &c. Jam

Certum eſt 1. In Deo nullam poſſe dari virtutem, quæ non poteſt penitus depurari ab omni imperfectione, vel quæ in eſſentiali ſuo conceptu importat imperfectionem. Tales in voluntate ſunt Religio, obedientia, gratitudo, humilitas, pœnitentia proprie dicta &c. quæ neceſſario, & eſſentialiter in ſuis ſubjectis important ſubjectionem, dependentiam, indigentiam, vel culpam. Talis reſpectu intellectus eſt quoque Fides, quæ eſſentialiter obſcuritatem involvit: minus in Deo dari poteſt opinio, ſuſpicio &c.

Certum eſt 2. In Deo non poſſe eſſe habitum, vel formalitatem aliquam, quæ rationem habitus habeat. Ratio eſt: quia habitus tantum dari poſſunt in illis potentiis, quæ habent difficultatem in operando, vel ex ſe & ſuis viribus non ſunt ſufficientes, aut ſatis expeditæ ad operandum: atqui intellectus & voluntas divina, tanquam potentiæ infinite perfectæ, nullam difficultatem in operando habent, & ex ſe, & ſua virtute infinita ſine perfectione ſuperaddita ſunt ſufficientiſſimæ ad omnem perfectum actum ſibi competentem: ergo. Ita recte diſcurrunt Smiſing, & Herincx.

Certum eſt 3. Dari in Deo, præter Fidem, omnes virtutes intellectuales, depuratas tamen ab iis imperfectionibus, cum quibus in nobis reperiri ſolent. Quare in Deo non ſunt tanquam habitus accidentaliter ſuperadditi intellectui divino, neque dependent a diſcurſu, neque limitantur ad certum objectum. Ratio autem hujus aſſer-

ti est: quia Patres sæpe adscribunt Deo sapientiam, scientiam, artem &c. neque est ratio, has authoritates tantum metaphorice accipiendi. Proinde si hæ virtutes in actu primo, & quasi habitualiter intelligantur, significant ipsissimum intellectum divinum, quatenus hic est expeditissimus se ipso ad ejusmodi notitias, quæ sunt actualis ars, actualis prudentia &c. in actu vero secundo dicitur Deus habere *artem*, quia actu cognoscit factibilia, & quomodo sint facienda: *prudentiam* habet, quatenus cognoscit res in finem dirigendas per opportuna media: quatenus intelligit prima principia dicitur habere *intellectum*: quatenus cognoscit veritates altissimas, quas nos non nisi ex primis, & altissimis principiis deducere solemus, habet *sapientiam*: quatenus habet cognitiones certas, & evidentes de qualibet re, *scientiam* habet; nam ad scientiam essentialiter, & in rigore non videtur plus requiri, quam infallibilis certitudo, & evidentia cognitionis: reliqua vero tantum in scientiis creatis requiruntur ob imperfectionem intellectus creati: inde est, quod cognitio prædictorum omnium Deo conveniat sine omni discursu, instabilitate, limitatione ad certum objectum, consultatione, quæ imperfectiones in præciso conceptu prædictarum virtutum non includuntur.

Certum est 4. In voluntate divina esse varias virtutes, quæ scilicet in suo præciso conceptu non involvunt imperfectionem, quas proinde S. Scriptura passim Deo adscribit, nempe Misericordiam, Justitiam vindicativam, Fidelitatem, Charitatem &c. nam misericordia in essentiali, & præciso suo conceptu dicit bonitatem subveniendi miseris, justitia vindicativa voluntatem ordinate vindicandi scelera, fidelitas voluntatem immobiliter observandi promissa; atqui in tali conceptu nullam involvunt imperfectionem: ergo bene possunt Deo tribui, & quidem formaliter; nam juxta D. Augustinum L. 2. ad Simplicianum q. 2. universaliter, quando detractis per præcisionem intellectus imperfectionibus, quæ in rebus creatis perfectioni alicui admiscentur, illa perfectio adhuc manet secundum suam rationem quidditativam, tunc in Deo formaliter, & proprie reperitur: atqui detractis omnibus imperfectionibus adhuc potest dari fidelitas, justitia vindicativa, & misericordia, ergo eæ dantur formaliter in Deo.

His præmissis manet dubium, quomodo Virtutes divinæ inter se, & ab intellectu, ac voluntate divina distinguantur. Hic etiam §. seq. pro-

propter connexionem materiæ inquiremus, an prædicata essentialia divina inter se distinguantur?

Assero 1. Virtutes divinæ intellectuales, & voluntatis distinguuntur ex natura rei formaliter ab essentia divina. Est communis SS. P. 1. Tales virtutes sunt vera attributa divina: ergo distinguuntur ex natura rei formaliter ab essentia divina. c. p. proprietates enim, & attributa rei essentiam circumstant, & ad secundum modum dicendi per se pertinent, adeoque ab essentia ex natura rei formaliter distingui petunt. 76

P. 2. Intellectus divinus, & voluntas divina ab essentia divina ex natura rei formaliter distinguuntur: ergo & virtutes intellectuales, & voluntatis; hæ enim virtutes nihil aliud sunt, quam intellectus & voluntas.

Ex quo sequitur, virtutes intellectuales in Deo ex natura rei formaliter distingui ab illis, quæ spectant ad voluntatem.

Assero 2. Virtutes intellectuales ab intellectu divino, & inter se sola ratione, non autem ex natura rei distinguuntur. Idem est de virtutibus voluntatis, quæ ab hac pariter a parte rei non distinguuntur. Est autem sermo de virtutibus in actu primo, & quasi habitualiter consideratis. Smising Tract. 1. disp. 4. Herincx p. 1. disp. 6. Poncius disp. 5. q. ult. Panger, Sannig, Herman contra plures alios SSas. 77

Præprimis ostenditur, quod hæc Assertio non sit contra mentem Scoti, qui, quamvis non absolute pro ea stet, in hac tamen materia videtur esse problematicus, & consequenter suis libertatem sentiendi relinquere; ait enim 4. d. 46. q. 4. §. *ad istam quæstionem.* ℣. *etiam congruentia.* n. 3. ibi: *Non est certum, quod in voluntate divina possit esse ratio alicujus virtutis non tantum non distinctæ re (ut certum est) sed nec formaliter distinctæ: quia voluntas ex hoc, quod infinita sit, magis sufficit ad omnem rectitudinem actus, quam aliqua virtus qualitercunque distincta superaddita.* Imo in eodem l. atque eadem dist. 46. q. 1. §. *non improbando distinctiones.* n. 7. positive tenet nostram sententiam, dicens: *Justitiam* (Dei) *esse rectitudinem voluntatis.* ubi Scholium ita habet: *non esse in Deo Justitiam formaliter distinctam a sua voluntate.* Inferius tamen in eadem. q. 1. iterum dubitat, & problematice loquitur, ita tamen, ut magis in nostram sententiam inclinet; dicit enim §. *ad argumenta principalia.* ℣. *ad aliud dicendum.* n. 12. *utrum tamen Justitia, ut ibi* (scilicet in Deo) *est, sit virtus, quantum ad illam*

rationem, quod fit diftincta virtualiter a voluntate, & quafi regula ejus, vel tantummodo fit voluntas fub ratione primæ regulæ fe ipfam determinantis, dubium eft; quia fi fecundum ponitur, magis folvitur ratio, quia tunc non eft ibi fecundum rationem virtutis moralis, fcilicet diftinctæ a voluntate. His circa mentem Scoti præmiffis

P. Affert. 1. Ratione ex textibus Scoti defumpta. Talis virtus, vel perfectio voluntati, & intellectui fuperaddita, ac ab his potentiis diftincta, penitus effet fuperflua, & ad nihil utilis, vel neceffaria; atqui in Deo non eft aliqua perfectio fuperflua & inutilis: ergo. M. p. Ipfe intellectus & voluntas, tanquam potentiæ infinitæ, ex fe, fine ulla perfectione fuperaddita funt fufficientiffimæ, & perfectiffime expeditæ ad fuos actus intelligendi, & volendi: ergo virtus & perfectio voluntati, & intellectui divino fuperaddita, ac ab his potentiis diftincta, foret penitus fuperflua, & inutilis.

Confirm. Ideo intellectui, & voluntati creatæ adduntur virtutes, ut fuppleant defectum harum potentiarum, eas facilitent, potentes reddant, aut determinent; atqui in intellectu & voluntate divina tanquam potentiis illimitatis, & infinitis non poteft dari ullus defectus: ergo intellectui, & voluntati divinæ non debet fuperaddi aliqua virtus diftincta.

P. 2. Actus virtutum intellectualium in Deo non diftinguuntur ex natura rei ab unica intellectione divina, neque actus virtutum voluntatis diftinguuntur ab unica volitione divina; nam in Deo eft unus actus intellectionis, qua omnia intelligibilia cognofcit, & unus actus voluntatis, qua omnia volibilia vult, etiam juxta AArios: ergo pariter ipfæ virtutes intellectuales in actu primo non diftinguuntur ex natura rei ab intellectu, & virtutes voluntatis non diftinguuntur a voluntate. c. patet; fiquidem principia actuum minus folent multiplicari, quam ipfi actus, ut palam eft in creatis ab inductione, cum ab uno principio vel potentia poffint innumeri actus procedere: ergo quia actus voluntatis & intellectus in Deo non multiplicantur, fed cum una intellectione divina ex natura rei formaliter identificantur omnes actus omnium virtutum intellectualium &c. a fortiori cum uno intellectu divino formaliter erunt eædem ipfæ virtutes intellectuales in actu primo, & quatenus fe habent per modum principiorum.

78 Objic. 1. Scotus 4. d. 46. q. 3. n. 3. ℣. *concedo ergo.* admittit Juftitiam & mifericordiam effe duas virtutes divinas ex natura rei

for-

formaliter diſtinctas: ergo. ℞. 1. Opponendo Scotum Scoto; nam eodem l. & diſt. q. 4. ſtatim ſequente, & q. 1. præc. magis inclinat in noſtram ſententiam, vel certe ſe oſtendit eſſe dubium. ℞. 2. Scotus in q. 3. tantum diſputat in utramque partem, & nihil reſolvit; ſi enim ibi aliquid reſolviſſet, non dubitaſſet in quæſtione ſtatim ſequenti: vel ſi in illa quæſtione 3tia contra nos allegata aliquid decidit, tunc ſolum vult, male negari diſtinctionem ex natura rei formalem inter juſtitiam, & miſericordiam divinam ex illo principio, quo putant AArii, univerſaliter implicare diſtinctionem hanc in divinis, tanquam oppoſitam actualitati, & ſimplicitati divinæ. Ita Smiſing, & Herincx, ambo in Scoto verſatiſſimi cit. textum explicant.

Objic. 2. Scotus 1. d. 8. q. 4. §. *ad quæſtionem reſpondeo.* n. 17. probat, ideo in Deo diſtingui ſapientiam, & bonitatem, quia ſapientia in communi, & abſtracte ſumpta non eſt bonitas in communi; atqui miſericordia in communi pariter non eſt juſtitia in communi: ergo etiam miſericordia & juſtitia in Deo ex natura rei formaliter diſtinguuntur.

℞. 1. Retorq. argum. atqui actus miſericordiæ in communi, & actus juſtitiæ in communi: iterum actus ſapientiæ, & prudentiæ in communi diſtinguuntur: ergo etiam iſti actus in Deo ex natura rei formaliter diſtinguuntur.

℞. 2. D. a. Et hæc ratio non eſt adæquata Scoti, & ſolum procedit, ubi nihil ſpeciale obſtat c. a. eſt ratio adæquata n. a. Scotus ibi ſuam ſententiam probat etiam ex SS. PP. Deinde etiam §. *contra iſtam ſolutionem* n. 23. peculiariter probat, inter voluntatem divinam, & intellectum intercedere diſtinctionem ex natura rei formalem, quia illa eſt principium generativum Filii, non autem iſta. Aſſumit etiam pro exemplo ſuæ rationis ſapientiam, quæ ad intellectum ſpectat, & bonitatem, quæ, ſi reſpectiva ſit, ad voluntatem pertinet, quia per eam nobis bonus eſt, & bene vult. Certe ſi hæc ratio Scoti univerſaliter acceptaretur, etiam plures intellectiones divinas ex natura rei formaliter diſtinctas, pluresque volitiones in Deo admittere deberemus; quod nec Scotus, nec Scotiſtæ audent aſſerere. *Ratio autem rationis:* quia una perfectio in Deo, cum ſit formaliter infinita, poteſt ſola præſtare, quod plures in creatis, etiam realiter diſtinctæ præſtare ſolent: ſic unus actus intellectus in Deo cognoſcit id, quod innumeræ intellectiones humanæ, vel Angelicæ, etiam ſpecie diſtinctæ, intelligere poſſunt.

Objic. 3.

Objic. 3. Virtutes intellectuales funt formaliter in divino intellectu; idem femper eft de virtutibus voluntatis divinæ: ergo etiam formaliter diftinguuntur inter fe, & ab intellectu divino. c. p. quia attributa funt formaliter in Deo, ideo diftinguuntur ex natura rei formaliter a Deo, vel divina effentia: ergo a pari.

℟. 1. Retorq. Argum. Actus virtutum intellectualium etiam formaliter funt in Deo: etiam fcientia futurorum, & fcientia poffibilium eft formaliter in Deo: ergo & hæ duæ fcientiæ diftinguuntur formaliter inter fe. Idem eft de decretis divinis: fic decretum de permittendo Adami lapfu, & decretum de Incarnatione Verbi divini formaliter eft in voluntate divina: ergo hæc duo decreta formaliter inter fe diftinguuntur.

℟. 2. D. a. Virtutes intellectuales funt formaliter, feu fecundum rationes fuas formales in Deo, ita tamen, ut una alteram in fua ratione formali includat, & omnes formaliter includantur in intellectu divino, ficut omnes actus harum virtutum formaliter includuntur in una intellectione divina c. a. fecus n. a. ad prob. d. iterum a. attributa diftinguuntur ex natura rei formaliter in Deo, quia ita in Deo formaliter continentur, ut unum alterum in fua ratione formali non includat c. a. præcife ideo, quia formaliter in Deo continentur n. a. Igitur virtutes intellectuales funt plures rationes formales inadæquatæ, quæ identificantur ex natura rei formaliter cum ipfo intellectu, ficut cum eodem, etiam juxta SSas AArios identificatur formaliffime ratio formalis potentiæ intellectivæ, & ratio formalis principii generativi, & potentiæ notionalis. *Ratio rationis:* ipfe intellectus ex fe eft fufficiens ad præftanda omnia, quæ præftare alias deberent iftæ diftinctæ virtutes, fi darentur in Deo: ergo ipfe intellectus in fe formaliter continet omnem vim harum virtutum. Ita etiam, juxta dicenda, una, atque a parte rei indiftincta effentia divina formaliter in fe continet rationem entis, fubftantiæ, viventis, fingularitatis, exiftentiæ effentialis &c. quia ipfa fola fine aliis diftinctis formalitatibus præftat formaliter, & actu a parte rei omnia, quæ præftare deberent ifta prædicata, fi effent a parte rei plura.

Neque mirum, quod in Deo fæpe una formalitas formaliter, & actu præftet formales illas denominationes, & effectus formales, quas in creatis plures a parte rei diftinctæ formalitates præftare debent; hoc

hoc enim, ut alia taceam, facit infinitas prædicatorum divinorum. Quin imo etiam in creatis non omnes denominationes formales arguunt ſtatim diſtinctas a parte rei formas, vel formalitates: ſic intellectus idem indiſtinctus eſt formaliter potentia apprehenſiva, judicativa, & diſcurſiva: item eidem animalitati in homine tribuitur formaliter denominatio alicujus realitatis Scotiſticæ, deinde principii conveniendi cum bruto: & tamen ratio formalitatis, & principii conveniendi non diſtinguuntur adæquate a parte rei.

Porro ad litem verborum inutilem evitandam, bene imprime dicta n. 40. ubi dixi, illa eminenter tantum in Deo contineri, quæ imperfectionem in ſuo quidditativo conceptu involvunt, adeoque formaliter denominare nequeunt Deum: ſic brutum in Deo non poteſt formaliter contineri, neque ſine blaſphemia Deus denominari poteſt brutum. Illa autem continentur formaliter in Deo, quæ ſecundum rationes ſuas quidditativas in Deo ita ſunt, ut formaliter de Deo dici poſſint: ſic Deo ineſt ratio ſubſtantiæ, viventis, miſericordiæ, juſtitiæ vindicativæ (non autem commutativæ) quia Deo formaliter competunt quidditates harum denominationum, Deumque formaliter denominant viventem, miſericordem &c. non autem requiritur, ut iſtæ denominationes, quæ formaliter & actualiter Deo inſunt, ſemper adæquate & a parte rei diſtinguantur: ſecus etiam dicerem, quod denominatio, & ratio formalis potentiæ apprehenſivæ in intellectu creato a ratione potentiæ judicativæ debeat ex natura rei formaliter diſtingui: item quod ratio formalis, qua intellectus divinus eſt potentia intellectiva, ſeu radix intellectionis abſolutæ & eſſentialis, & ratio formalis, qua idem intellectus eſt potentia notionalis proceſſionis Filii, ſint a parte rei diſtinctæ, adeoque non unus, ſed duplex intellectus in Deo detur.

Objic. 4. De virtutibus intellectualibus & voluntatis in Deo verificantur contradictoria: ergo diſtinguuntur a parte rei. a. p. *miſericordia non punit, juſtitia punit:* ergo. ℟. 1. Retorq. argum. de actibus harum virtutum verificantur contradictoria; nam actus juſtitiæ punit, actus miſericordiæ non punit: ergo etiam actus diſtinguuntur: ergo plures ex natura rei diſtincti actus in voluntate divina dantur. ℟. 2. D. a. verificantur diverſa contradictoria intrinſeca, quæ cadant ſuper has virtutes ipſas quidditative ſpectatas n. a. extrinſeca, deſumpta a diverſis terminis, & objectis extrinſecis, ad quæ termi-

natur eadem potentia, feu voluntas c. a. fic voluntas divina dicitur juftitia, quando decernit peccatoribus pœnam, quam funt promeriti: & eadem voluntas dicitur, & eft mifericordia, quatenus ex fua intrinfeca bonitate gratiam, & veniam concedit.

Dices: ergo juftitia & mifericordia a parte rei funt eadem omnino formalitas in Deo: ergo poffum dicere: *mifericordia punit, & damnat,* & *juftitia vindicativa miferetur, & dat veniam;* atqui hoc eft abfurdum: ergo. ℞. 1. iterum retorq. argum. ficut prius in actum mifericordiæ & juftitiæ divinæ, qui formaliffime eft indiftinctus. ℞. 2. D. illat. 2dum. fpectando mifericordiam & juftitiam entitative, & fecundum adæquatum fuum conceptum objectivum intrinfecum c. illat. fpectando mifericordiam inadæquate, & reduplicando eam ad terminum, & objectum extrinfecum n. illatum. nam efto, a parte rei eadem voluntas fit fimul juftitia, & mifericordia, tamen reduplicando eam ad objecta extrinfeca, folum dicitur mifericors eatenus, quatenus donat veniam, & pœnam debitam remittit; juftitia vero, quatenus infligit pœnam debitam. Ex his

Colligis, non omnem contradictionem inferre diftinctionem a parte rei: id, quod tunc maxime verum eft, quando ejusmodi contradictio fine aliquo abfurdo poteft explicari per aliquid extrinfecum, vel per diverfa munera, quæ fæpe una res & formalitas præftare poteft: ficut & idem intellectus creatus apprehendere, difcurrere, & ratiocinari poteft: & idem intellectus divinus poteft intelligere effentialiter, ac fimul effe principium notionale proceffionis Filii.

Objic. 5. Quamvis intellectus divinus fit formaliter infinitus in ratione principii univerfalis & remoti, non tamen eft formaliter infinitus in ratione principii proximi, & particularis: idem eft de voluntate: ergo poteft intellectus divinus formaliter reddi infinitus in ratione principii proximi per virtutem fuperadditam. ℞. N. a. fi enim intellectus divinus non effet formaliter infinitus in ratione etiam principii particularis & proximi in ordine ad intelligendum quodcunque objectum in particulari, certe effet limitatus in ratione & linea intellectiva.

Objic. 6. Omnipotentia divina, quamvis omnia fe fola poffit caufare, tamen admittit concaufas creatas: ergo, etfi intellectus, vel voluntas divina poffint fe folis omnia intelligere, & velle, tamen admit-

admittunt virtutes intellectuales, & morales tanquam conprincipia. ℞. n. c. & parit. Hæ concausæ creatæ liberaliter admissæ a Deo non perficiunt omnipotentiam divinam intrinsece: ast virtutes, si formaliter in Deo darentur, deberent supplere, & perficere insufficientiam, & indigentiam intrinsecam voluntatis, & intellectus divini.

§. II.

De Distinctione Prædicatorum essentialium in Deo: ubi adduntur aliquæ Illationes ex præcedenti doctrina.

Ob connexionem materiæ quæres hic: an prædicata essentialia in Deo inter se ex natura rei formaliter distinguantur? Assero, & ℞. negative. Ita præcipui SSæ. Tartaretus, Lichetus, Trombeta, Vulpes, Mastrius, Panger, Stumelius contra multos alios. 79

P. 1. Si ista prædicata v. g. entis, substantiæ, viventis &c. ex natura rei formaliter distinguerentur, tunc juxta SSas. ideo, quia per ea Deus est communis cum creaturis: & quidem per rationem entis cum omnibus creaturis, per rationem substantiæ cum creatis substantiis tantum non autem accidentibus, & sic ulterius; atqui hæc ratio nulla est: ergo. M. est AAriorum. m. p. Scotus 1. d. 8. q. 3. n. 11. §. *ad argumenta opinionis oppositæ.* dicit: *Deus & creatura non sunt primo diversa in conceptibus* (scilicet inadæquatis, prout se inferius explicat) *tamen sunt primo diversa in realitate; quia in nulla realitate conveniunt.* quid clarius?

P. 2. Quodlibet prædicatum essentiale in Deo est intrinsece in sua quidditate a parte rei infinitum, ac infinitatem ex natura rei formaliter sibi identificat, & intrinsece imbibit: econtra omne prædicatum in creatura ex sua intrinseca ratione finitatem imbibitam habet: ergo Deus, & creatura in nullo prædicato a parte rei possunt convenire. Quare longe alia, & primo ac essentialiter diversa est ratio entis, substantiæ &c. in Deo, quam est in creatura.

P. 3. Absurdissimum dictu est, quod in Deo sit aliquod prædicatum a parte rei tale, in quo Deus & creatura adæquate conveniant, & quod ex intrinseca sua quidditate potuisset poni in creatura: sicut ani-

malitas hominis ex sua intrinseca quidditate potuisset poni in Leone &c. atqui hæc absurda sequela admitti debet ab AAriis. Verbo: absurdissimum est, dicere, quod ullum prædicatum essentiale Dei sit simile prædicatis creaturæ adæquate a parte rei, & quod Deus in his omnibus non infinite excellat quævis prædicata creata.

Neque effugis per hoc, quod prædicata divina contrahantur per infinitatem propriam. Nam contra est: vel infinitas illa est ex natura rei formaliter distincta a prædicatis essentialibus, vel non est? si est distincta, tunc prædicata essentialia, ut sic distincta a parte rei ab infinitate, habent adæquatam convenientiam cum prædicatis creaturæ: & sic ex sua ratione intrinseca ratio entis, quæ est in creatura, potuisset poni in Deo, & ratio entis, quæ in Deo est, potuisset de se poni in creatura. Si autem alterum dicis, tunc ratione infinitatis, quæ est de intrinseca quidditate prædicatorum divinorum, omnia prædicata essentialia necessario adæquate a prædicatis creaturæ differunt.

P. 4. Nulla est ratio, cur prædicata divina essentialia inter se debeant ex natura rei distingui: quia nulla dantur inter ea contradictoria intrinseca; possunt enim explicari per diversa munera ejusdem omnino formalitatis. Sic essentia divina dicitur, & est formaliter *ens:* quia ei non repugnat existere. Dicitur *substantia*, quatenus ex sua natura exigit per se existere, & excludit omne subjectum inhæsionis, & informationis. dicitur *vivens*, quatenus est radix potentiarum vitalium intellectus & voluntatis. est *essentialiter existens*, quatenus ex se est determinata ad existendum. Deinde duplex, vel multiplex affirmatio non est contradictio; sed quando essentia divina dicitur ens, substantia &c. fit tantum multiplex affirmatio, non autem negatio; per hoc enim, quod dicatur ens, non negatur esse substantia, sed tantum per conceptum inadæquatum abstrahitur.

Denique ideo in creaturis admittuntur contradictoria a parte rei inter gradus essentiales, ac metaphysicos, & simul defenditur distinctio ex natura rei formalis, quia his negatis non posset defendi amplius convenientia generica plurium specierum, & identitas specifica plurium individuorum solo numero distinctorum; atqui hæc ratio nullatenus locum habet in Deo, qui cum nulla re genere, vel specie convenit, ut patet ex dictis.

Adeoque convenientia Dei cum creaturis est tantum inadæquata per conceptus imperfectos, quibus Deus imperfecte concipitur tanquam ens, substantia &c. non autem est adæquata hæc convenientia.

Hæ rationes bene notentur, & juxta has solum solvantur objectiones, ne forte, si ex aliis principiis quis defendere vellet hanc assertionem, pluribus difficultatibus se implicet. Ex hucusque dictis de intellectu divino

Inferes 1. Deum unico actu cognitionis sibi realiter identificato, & consequenter substantiali, intelligere omnia. ita communis, ac certa omnium TTorum. Ratio est: quia intellectio divina est infinita, & illimitata: ergo ea unica est sufficiens ad quævis objecta tam intra, quam extra Deum existentia. Est tamen scientia Dei & intellectio divina terminative, & extrinsece multiplex ratione objectorum, ad quæ terminatur. Deinde actus intellectionis divinæ realiter identificatur Deo, quia est perfectio simpliciter simplex; atqui Deus, ceu ens summe perfectum, sibi identificat omnem perfectionem simpliciter simplicem. Adde, si intellectio realiter distingueretur a Deo, tunc cum Deo faceret compositionem. Demum intellectio divina est substantia, non vero accidens: *tum*, quia cum substantia, qualis est Deus, nequit identificari accidens: *tum*, quia accidens essentialiter involvit imperfectionem, Deo non convenientem. 80

Inferes 2. In Deo non dari formalem discursum, qui proprie, & rigorose sit talis. Scotus 1. d. 38. q. un. §. *ex his sciendum.* ℣. *ad secundum dico.* n. 4. ubi ait: *Dico, quod intellectus divinus non sic cognovit aliqua discurrendo.* Ratio est: quia discursus proprie talis importat pluralitatem actuum; discurrere enim est ab una cognitione ad aliam, & a noto ad ignotum currere; atqui in Deo non dantur plures actus intellectus, ut dictum est, neque aliquid ignotum esse potest: ergo. Unde in divino intellectu neque admittitur formalis compositio, aut divisio, vel judicium, quia & judicium quodvis, ac divisio &c. vel involvit formaliter, vel saltem præsupponit pluralitatem actuum. Ita Blasius a Benjumeia de Scientia Dei n. 70. cum aliis. Nihilominus admittitur in Deo discursus, compositio, & divisio eminentialiter: quia unicus actus intellectus divini modo longe perfectiori cognoscit omnia, quæ nos per discursum, divisionem, aut alios plures, & distinctos actus solemus concipere. 81

82 Inferes 3. Non esse in Deo memoriam, sumptam pro facultate recordandi, aut pro actuali recordatione, & reminiscentia eorum, quorum aliquando notitiam habuimus. Herincx disp. 6. n. 9. Ratio est: quia Prosper sent. 108. ait: *Neque oblivio cadit in Deum, quia illo modo mutatur: neque recordatio, quia nihil obliviscitur.* 2. Memoria & recordatione repetimus ea, quorum notitia præteriit, & sopita est; atqui Deo hoc nequit convenire, apud quem nullius rei cognitio præterit, vel sopitur. Accipiendo vero memoriam pro intellectu fœcundato per objectum præsens, & speciem intelligibilem, adeoque pro intellectu proxime expedito ad intellectionem, vel productionem Verbi divini, tunc omnino talis memoria ab omnibus Th. Th. admittitur, ut in Tractatu de Deo Trino ostenditur.

83 Inferes 4. Si per iram intelligitur passio, perturbans animum, vel saltem connotans perturbationem animi, in qua acceptione frequenter de ira loquuntur Patres, tunc in Deo non esse formaliter iram: quia sic accepta importat imperfectionem. Quare in hoc sensu ira tribuitur Deo solum metaphorice, quia in eo, vel potius in ejus operationibus, quas in mundo exercet, adsunt talia signa, ex quibus in hominibus solemus conjicere iram; si enim pœnam, vel mala alteri infligunt, dicimus eos esse iratos. Ex quo sequitur ulterius, esse in Deo iram, quatenus sumitur pro justo appetitu vindictæ sumendæ ob peccata commissa, & quatenus excludit omnem perturbationem; nam in Deo proprie & formaliter est justitia vindicativa, quæ in hoc appetitu consistit. Videatur Herincx p. 1. disp. 7. n. 47. & seqq. ubi etiam docet, in Deo non esse tristitiam, timorem, audaciam, spem, aut desperationem; quia hæ affectiones manifestam imperfectionem important.

84 Inferes 5. Quæstionem illam non habere locum apud SSas., quam movent AArii distinctionem Scotisticam negantes, dum quærunt, an attributa sint de essentia Deitatis, & Deitas de essentia illorum? Iterum: an relationes divinæ sint de essentia prædicatorum absolutorum, & vicissim? Hæc enim tota quæstio dirimitur, dicendo: nullum prædicatum divinum esse de quidditate alterius, a quo ex natura rei formaliter distinguitur. Smising Tract. 2. disp. 1. n. 51.

Arti-

Articulus III.

De Scientia Dei, & ejus Objecto.

§. I.

Diviſiones aliquæ Scientiæ divinæ, ac Prænotanda.

Scientia Dei varie dividi ſolet: 1. in *Primariam*, & *ſecundariam*. *Pri-* 85
maria eſt, qua Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, tanquam objectum primarium. *Secundaria* eſt, qua Deus cognoſcit prædicata ſua extra eſſentialia, & entia, quæ extra Deum ſunt.

2. In Scientiam *practicam*, & *ſpeculativam*. Poſterior verſatur circa objectum ſpeculabile: prior vero circa operabile. Notat nihilominus Herincx diſp. 6. n. 6. Scientiam divinam non poſſe dici practicam, ſi per cognitionem practicam intelligatur illa, quæ eſt directiva, ac regula & menſura volitionis; etenim voluntas divina infinite perfecta & ſibi ſufficiens regula, & menſura in agendo, nec aliam regulam & menſuram præſupponere poteſt, ut habet Scotus 1. d. 38. q. un. Smiſing in Proœmio n. 135. *Practica* ergo eatenus ſolum eſt ſcientia divina, quatenus oſtendit prævie objectum operabile, & ejus rectitudinem, quin per oſtenſionem hanc regulet voluntatem in ſuis operationibus.

3. Secatur in ſcientiam *approbationis*, & *ſimplicis notitiæ*. *Prior* videt objectum cum adjuncta approbatione voluntatis divinæ: ſic videt Deus noſtra bona opera. *Poſterior* datur, quando aliqua Deus ſcit, quæ per voluntatem non approbat, v. g. peccata. Hinc, quando Deus in S. Scriptura aliqua dicitur neſcire, exponi debet, quod ea non ſciat per ſcientiam *approbationis:* prout advertit D. Auguſtinus L. 2. quæſtionum ſuper Exodum q. 152. dicens: *Deus dicitur ſcire, quæ illi placent, neſcire, quæ diſplicent, non quia ignorat ea, ſed quia non approbat.*

4. Dividitur in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*. *Priore* ſcit Deus omnia poſſibilia, præſcindendo ſuo modo, an exiſtant, vel non exiſtant, vel an aliquo tempore ſint exſtitura de futuro: per ſcientiam *viſionis* videt omnia exiſtentia de præſenti, & exſtitura de futuro, ſeu etiam creaturas futuras.

5. Divi-

5. Dividitur in fcientiam *neceffariam*, & *liberam* : fcientia *neceffaria* eft, quæ non poteft a Deo abeffe, ac antecedit omne decretum Dei : uti eft notitia veritatum neceffariarum. *Libera* eft, quæ poteft a Deo abeffe, & præfupponit decretum Dei liberum : atque talis eft fcientia de creaturis actu exiftentibus, vel futuris ; hæ enim ante decretum Dei liberum non cognofcuntur.

Obferves autem velim, fic tantum dividi fcientiam & cognitionem divinam terminative, non vero entitative acceptam ; entitative enim eft unus indiftinctus neceffarius actus, Deo indifpenfabiliter identificatus : terminative autem eft multiplex, & varius fecundum multiplicitatem, & varietatem objectorum, ad quæ terminatur, & quæ cognofcit. Et quoniam inter hæc objecta etiam funt creaturæ non neceffario, fed libere, dependenter a decreto divino libero exiftentes, & futuræ, ideo ad eas tantum terminatur cognitio præfuppofito decreto libero.

Iterum notes : Scientiam fimplicis intelligentiæ effe quidem neceffariam, non vero omnem fcientiam neceffariam effe fimplicis intelligentiæ. Ratio eft : quia ultra creaturas poffibiles, quæ folæ per fcientiam fimplicis intelligentiæ fciuntur, Deus cognofcit etiam neceffario feipfum exiftentem per fcientiam *vifionis*. Hæc de divifione fcientiæ : jam aliqua prænotanda funt de objecto hujus fcientiæ. Igitur

Objectum intellectus, & fcientiæ divinæ aliud eft *materiale*, feu *terminativum*, aliud vero *formale*, feu *motivum*. *Materiale* eft illud, quod cognofcitur, & fcitur : *formale* vero eft *motivum*, propter quod attingitur objectum materiale : vel : objectum *formale motivum* refpectu divinæ fcientiæ eft, quod movet ad cognitionem fui, & aliorum a fe quomodocunque diftinctorum. Unde tale motivum etiam debet effe medium ducendi in cognitionem aliorum : pro quo

Nota : duplex a Philofophis folere diftingui medium, ducens in cognitionem alterius : unum *ut quo*, quod vocatur *medium non cognitum*, quale eft fpecies impreffa, quæ non cognofcitur, nec attingitur ut quod, fed folum eft ratio cognofcendi objectum, quod repræfentat : aliud eft *medium cognitum*, feu *ut quod*, quale eft ex. gr. fpeculum, quod prius debet ipfum videri, quam in eo videantur objecta, quæ repræfentat.

§. II.

§. II.

De objecto materiali & formali Intellectus divini.

Assero 1. Objectum materiale, & terminativum Intellectus divini est tum ipse Deus cum omnibus suis Modis, attributis, & prædicatis: tum creaturæ possibiles, existentes, & futuræ, ac omnia, quæ cognoscibilia sunt. Est certissima omnium sententia. 86

P. 1. ex Scriptura. Eccli 39. dicitur: *Non est quidquam absconditum ab oculis ejus.* S. Hieronymus in Psal. 139. ait: *Superbæ, & insolentes cogitationes Deum non fallunt, agnoscit omnia, & nihil scientiæ ejus impenetrabile est.* Unde si hic S. Doctor, nempe Hieronymus, allegetur contra nostram assertionem, quasi in caput 1. Habacuc docuisset, Dei cognitionem ad omnes, etiam minimas, creaturas v. g. ad singulos pulices non extendi, tunc solum voluit, quod Deus non tam benevolam curam impendat animalculis minimis, cæterisque rebus irrationalibus, sicut hominibus, & Angelis, seu creaturis rationalibus.

P. 2. Intellectus divinus est potentia necessaria, & infinita: ergo necessario intelligit, ac cognoscit, quidquid est intelligibile tam intra, quam extra Deum.

Objic. 1. Omnis scientia dependet ab objecto tam in fieri, quam conservari; sed scientia Dei non potest dependere a creaturis: ergo creaturæ saltem non sunt objectum scientiæ Dei. ℞. D. M. dependet ab objecto primario, & motivo c. M. si ea intelligatur de dependentia impropria: dependet ab objecto mere terminativo, & secundario, quale tantum sunt creaturæ respectu scientiæ Dei n. M. &c. 87

Dices: Scientia saltem mutatur ad mutationem objecti secundarii, & terminativi: ergo si scientia Dei etiam tantum secundario terminatur ad creaturas, tamen mutabitur; quia creaturæ sæpissime mutantur. Atqui mutatio in scientia divina omnino implicat: ergo. ℞. D. a. scientia creata, & finita c. a. scientia infinita, & divina subd. mutatur denominative, & solum extrinsece c. a. intrinsece, & entitative n. a.

Objic. 2. Secundum Aristotelem l. 3. de anima. per cognitionem alicujus rei intellectus intentionaliter fit res cognita; sed Deus nequit intentionaliter fieri creatura: ergo nequit creaturas cognosce-

re. ℟. D. M. intellectus fit intentionaliter res, quae cognoscitur primario, & immediate, qualis in Deo est essentia divina c. M. secundario, & mediate tantum n. M.

Objic. 3. Si Deus cognosceret omnes creaturas singillatim, tunc cognosceret infinitas possibiles, adeoque in mente divina objective repraesentarentur simul infinita entia possibilia, & sic daretur infinitum objectivum in mente Dei: quod est falsum: ergo. ℟. Deum cognoscere tantum possibilia syncategorematice infinita, & quidem tantum simultate cognitionis distributive tendentis, non autem simultate objecti collective accepti: de quo plura in Philosophia.

Objic. 4. Si Deus cognosceret omnia possibilia, tunc hæc veritas esset a Deo cognoscibilis: *omnia entia possibilia sunt objectum adæquatum hujus meæ cognitionis, qua cognosco omnia possibilia;* atqui in hac propositione, & veritate τo *omnia entia possibilia* supponit collective: sicut in hac propositione: *omnis homo est objectum adæquatum hujus propositionis, omnis homo est animal rationale*, primum *omnis homo* supponit collective: ergo. ℟. Tr. M. n. m. nam sensus hujus propositionis est: *entia possibilia plura, & plura sine sine sunt objectum adæquatum hujus meæ cognitionis, qua cognosco omnia possibilia:* adeoque τo *omnia entia* primo loco positum suo modo supponit distributive; si enim supponeret collective, tunc significaret chymæram, & collectionem impossibilem, quæ objectum cognitionis divinæ aliquid affirmantis esse non potest. Idem dic de altera propositione, si illa loquitur de infinitis hominibus.

88 Assero 2. Objectum formale motivum, & specificativum cognitionis divinæ est Deus sub ratione Deitatis. Scotus q. 3. Prologi. §. *nunc autem videndum.* n. 13. & §. *ad tertiam quæstionem.* n. 22. ex professo docet, essentiam divinam esse primum objectum totius Theologiæ Dei, per Theologiam Dei vero intelligit universam scientiam, quam Deus habet: per primum subjectum vero illud intelligit, quod est primum virtute motiva, & ut cognitum ducit in cognitionem aliorum, ut explicat eadem quæstione præsertim in cit. §. *ad tertiam quæstionem.* Idem clare tenet 1. d. 3. q. 3. §. *alia est opinio.* ℣. *præterea certum est* n. 5. ubi ait: *Essentia divina ideo est primum objectum intellectus divini, quia ipsa sola movet intellectum divinum & ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu.* Plures alios textus

textus huc facientes videre potes apud Smising Tract. 3. disp, 2. n. 21. Cum Scoto etiam sentire videntur D. Thomas 1. p. q. 14. art. 5. & 6. Alensis, ac communis aliorum.

P. Assertio 1mo ex D. Augustino, qui l. 15. de Trinitate. c. 14. ita habet: *Novit itaque Deus Pater omnia in se ipso, utique in sua essentia:* ergo essentia est Deo ratio cognoscendi se ipsum, & omnia alia.

P. 2. Illud est objectum primarium, immediatum, & motivum intellectus divini, quod primo movet ipsum, & cujus virtute intelligit, quidquid intelligit; atqui essentia divina est, quæ primo movet intellectum Dei, & virtute essentiæ intelligit, quidquid intelligit: ergo. m. p. primo essentia divina, sicut respectu attributorum, & prædicatorum reliquorum divinorum est prima radix essendi, ita etiam est prima radix ea cognoscendi; sicut enim se essentia, & prædicata divina habent ad esse, ita se habent etiam ad cognosci ab intellectu divino. Deinde est perfectio simpliciter simplex, quod essentia divina non solum possit se, sed & sua prædicata attributalia, ac creaturas repræsentare, & in esse repræsentativo contineat; atqui hæc perfectio simpliciter simplex debet essentiæ divinæ attribui, & cum ea ex natura rei formaliter identificari, maxime, quia nulla ratio suadet, eam ab essentia divina distingui: ergo.

Confirm. Omnis perfectio creaturarum, quæ ab omnibus imperfectionibus depurari potest, continetur in Deo; sed est perfectio creaturarum omnium, quod eæ possint se ipsas repræsentare, & gignere notionem sui in cognoscente, & hæc perfectio potest depurari ab omnibus imperfectionibus: ergo in Deo, & essentia divina continetur etiam hæc perfectio manifestativa, & repræsentativa creaturarum. m. per se patet secundum primum membrum, secundum ostenditur: tota imperfectio, quæ huic repræsentativitati in creaturis admiscetur, provenit ex limitatione, & finitate ejus: quia nempe quævis creatura est restricta ad se ipsam solum repræsentandam, non autem ad omnes creaturas, & res alias; atqui ista imperfectio tolli potest, & tollitur actu in essentia divina, quæ non unius tantum rei, sed omnium repræsentativitatem, saltem eminenter, in se continet, & includit: hanc rationem adducit Mastrius 1. disp. 3. n. 6.

Unde ista virtus repræsentandi omnia cognoscibilia est quædam specialis perfectio, ac modus intrinsecus essentiæ divinæ, qui tamen ad visibilitatem infinitam Dei potest reduci, quatenus essentia Dei est

ita vifibilis, ut in ea etiam alia omnia videri poffint. Ita judicat Smifing Tract. 2. difp. 6. n. 192. Ex his

Colligis, effentiam divinam effe quoque objectum primarium terminativum fcientiæ divinæ. Ratio eft: quia juxta dicenda effentia divina ut cognita eft ratio cognofcendi omnia reliqua: ergo primario ipfa debet effe cognita. a. conftat; nam, quia fpeculum eft ratio, & medium cognitum repræfentans alia, ideo debet prius vifio terminari ad fpeculum, tanquam rationem cognofcendi, & videndi alia mediante fpeculo: ergo idem eft de effentia.

89 Objic. 1. Non poteft in Deo dari motivum: ergo. a. p. motivum refpicit mobile; fed Deus non eft mobilis: ergo in Deo, & refpectu Dei non poteft dari motivum. R. D. a. Motivum movens phyfice ad actum intellectionis realiter diftinctum c. a. motivum movens mere intentionaliter, & quidem ad actum intellectionis realiter identificatum motivo. n a.

Objic. 2. Motivum eft caufa cognitionis; atqui refpectu cognitionis divinæ non poteft dari caufa: ergo. R. D. M. Motivum phyficum, & effective influens in cognitionem c. M. motivum mere intentionale, fibi ftricte realiter identificans actum, ad quem movet n. M.

Objic. 3. Motivum tantum datur refpectu potentiæ indeterminatæ, & indifferentis ad cognofcendum; atqui intellectus divinus eft potentia determinatiffima, & nullatenus indifferens: ergo refpectu intellectus divini non datur motivum. R. N. M. Nam etiam potentia determinatiffima, & divina habet objectum formale, quia habet rationem affentiendi, & cognofcendi objectum.

Objic. 4. Si effentia divina cognita movet ad cognitionem aliorum, tunc intellectus divinus difcurreret a cognitione effentiæ ad cognitionem aliorum; atqui difcurfus in Deo non datur: ergo. R. N. M. In Deo eft tantum unus fimpliciffimus actus intellectus, qui effentiam divinam, & omnia cognofcibilia intelligit, cum aliquo tamen ordine fignorum in intelligendo, ita, ut in priori figno rationis intelligat effentiam, deinde attributa, 3tio prædicata relativa, 4to creaturas poffibiles, 5to fuppofito decreto divino creaturas futuras, exiftentes, & præteritas.

Objic. 5. Si creaturæ in effentia divina cognofcuntur, debent pro eo inftanti cognofci, quo cognofcitur effentia divina; Sequela eft

eſt contra dicta, & contra Scotum 1. d. 35. q. Un. §. *ad iſta.* ubi Doctor vult, in priori inſtanti cognoſci eſſentiam, in poſteriori creaturas: ergo. ℞. D. M. Pro eodem inſtanti reali, & temporis c. M. pro eodem inſtanti, vel potius ſigno naturæ in intelligendo ſubd. niſi eſſentia divina repræſentaret objecta cognoſcibilia cum aliquo ordine c.M. ſecus n.M. Natura divina repræſentat ſimul quidem omnia cognoſcibilia, ſed cum ordine naturæ in intelligendo: prius quidem ſecundum noſtrum modum intelligendi repræſentat ſe ipſam tanquam objectum primarium, & radicem attributorum: deinde attributa radicata in eſſentia: 3. prædicata relativa &c. Neque iſte ordo ſignorum naturæ eſt abſurdus in divina ſcientia, ut oſtendetur in Tractatu de Deo Trino.

Objic. 6. Primarium, & motivum objectum intellectus divini debet eſſe ſimpliciter infinitum, quia ſcientia ejus eſt ſimpliciter infinita; ſed eſſentia divina non eſt ſimpliciter infinita, quia præſcindit ab attributis, quæ etiam ſunt infinita: ergo. ℞. D. M. Debet eſſe ſimpliciter infinitum in ratione repræſentandi, ſicut intellectus divinus debet eſſe ſimpliciter infinitus in ratione cognoſcendi c. M. ſecus n. M. Atqui eſſentia divina eſt ſimpliciter infinita in ratione repræſentandi, quia repræſentat omnia objecta cognoſcibilia tam infinita, quam finita, & quidem modo infinite perfecto.

Objic. 7. Si ſola eſſentia eſſet objectum primum intellectus divini, hic poſſet attingere ſolam eſſentiam divinam, quin attingeret attributa, & creaturas; ſequela eſt abſurda: ergo. ℞. N. M. Nam 1. eſſentia divina non ſolum ſe ipſam, ſed & omnia cognoſcibilia repræſentat. 2. Ipſa cognitio divina eſt comprehenſiva, & infinita, adeoque neceſſario cognoſcit omnia, quæ intra & extra Deum ſunt.

Objic. 8. Illud eſt primarium objectum intellectus divini, ex cujus cognitione procedit Verbum divinum; atqui Verbum divinum procedit non ſolum ex cognitione eſſentiæ divinæ, ſed & attributorum: ergo. ℞. N. Suppoſitum majoris, quod Verbum divinum ex cognitione ullius objecti procedat; ſolum enim procedit *ex memoria fœcunda* Patris: memoria autem fœcunda non conſtituitur per actum ſecundum cognitionis, ſed per intellectum in actu primo, & objectum intelligibile, non autem actualiter intellectui præſens: nempe per ſolam eſſentiam divinam ut intelligibilem, non vero ſimul per attributa, ut habet Scotus.

90 Quæres: quomodo ergo creaturæ in effentia divina cognofcantur? ℞. 1. Non cognofcuntur in ea tanquam caufa. Maftrius cum pluribus contra D. Thomam, & TTas. Ratio eft: 1. quia creaturæ in Deo tanquam fua caufa productiva tantum virtualiter, & eminenter, uon autem fecundum propriam fpecificam effentiam creatam, & gradus individuales formaliter tales continentur: ergo non apparet, quomodo in Deo tanquam caufa poffint clare, & intuitive videri effentiæ creatæ, & gradus individuales rerum creatarum, vel creabilium formaliter tales: atqui Deus in fe, & fua effentia debet etiam intuitive & clare videre omnes effentias creatas, ac individuationes earum formaliter tales. 2. Poffibilitas logica rerum creabilium datur independenter a Deo, & Deus hujus poffibilitatis nullatenus caufa exiftit: ergo faltem creaturæ ut logice poffibiles non poffent videri in Deo tanquam caufa.

Nec obftant SS. PP.; hi enim loquuntur folum de effentia, ut caufa continente creaturas in effe repræfentativo, non autem in effe entitativo.

℞. 2. Neque creaturæ videntur in effentia divina tanquam idea, & caufa exemplari earum, quatenus fcilicet effentia imitabilis, & participabilis eft a creaturis fecundum varios perfectionis gradus. Maftrius, Herincx, ac SS. communiter. Ratio eft: quia ideæ repræfentant folas res factibiles, & poffibiles: ergo faltem creaturæ futuræ, & actu exiftentes non repræfentarentur per ideas. Dein ideæ funt res poffibiles jam cognitæ: ergo debet ante ideas præfupponi objectum motivum, movens ad cognitionem talium rerum poffibilium,

℞. 3. Neque videntur in effentia tanquam fpecie expreffa creaturarum; etenim fpecies expreffa eft actualis cognitio: atqui effentia divina in fuo quidditativo conceptu diftinguitur ab actuali cognitione divina, ut fuperius dictum eft. 2. Species expreffa tanquam actus fecundus præfupponit objectum ex parte actus primi: ergo fpecies expreffa non eft ejusmodi objectum motivum.

℞. 4. Effentia divina, prout repræfentat creaturas cognofcibiles, fub aliqua confideratione habet rationem fpeciei impreffæ, fub alia eam non habet. Maftrius, Du Pafquier. Ratio primæ partis eft, quia effentia divina quadam ratione obit munus fpeciei, quatenus fupplet vicem objecti, fcilicet creaturarum, quas per fe repræfentat intellectui divino.

Ratio

Ratio secundæ partis: Species impressa est tantum ratio ut quo cognoscendi, & non movet ad sui cognitionem; species enim impressa intelligibilis non cognoscitur, dum objectum ab ipsa repræsentatum attingitur, nec species impressa visiva videtur. Ast essentia divina prius movet ad sui ipsius cognitionem, ac deinde primum ad cognitionem creaturarum.

℞. 5. Essentia, repræsentans creaturas, in aliquo sensu habet rationem speculi, in alio non habet. SS. communiter. Ratio primæ partis: quia PP. Concilium Senonense, & ipse Scotus sæpe utuntur exemplo speculi ad explicandum, quomodo videantur creaturæ in Deo. 2. Speculum est medium videndi alia *ut quod*, seu est medium prius visum, & cognitum: & tale etiam est essentia divina, quæ prius movet ad cognitionem sui, quam aliorum.

Ratio secundæ partis est, quia speculum non repræsentat, nisi objecta existentia, & præsentia in proprio esse; atqui essentia divina etiam præsentat res possibiles, futuras, & absentes: ergo.

℞. 6. Videt ergo Deus creaturas in essentia, tanquam in objecto primario prius cognito, quod omnium rerum, & creaturarum cognoscibilitatem in se continet, continentia saltem eminentiali, & virtuali. Ita SS. communius cum Smising, Herincx, Du Pasquier &c. Ratio hujus est: quia perfectionis est, quod essentia divina tanquam entitas sub omni ratione prima omnium primo moveat ad sui cognitionem, & deinde tanquam medium prius jam cognitum etiam moveat ad cognitionem cæterorum.

§. III.

An sola Essentia Divina sit objectum motivum scientiæ divinæ, quatenus per hanc cognoscuntur creaturæ?

Quæstio etiam aliter proponi potest: an Deus videat creaturas 91
immediate *in se ipsis?* seu, an Deus non solum *in se ipso*, id est in sua essentia, tanquam medio cognito, vel tanquam specie impressa, idea, aut speculo, & consequenter *mediate*, seu mediante essentia creaturas cognoscat: verum etiam illas intelligat *immediate in se ipsis* per pro-

propriam intelligibilitatem creaturarum, tanquam rationem motivam, vel determinativam formalem immediatam?

Nota vero: RR. illos, qui dicunt, quod craturæ immediate, & directe in se ipsis cognoscantur, nullatenus negare, sed simul admittere mediatam earum cognoscibilitatem in essentia divina. Imo Martinez Controvers. 2. disp. 6. sect. 1. & disp. 7. sect. 21. fol. 229. & alii RR. volunt, cognitionem divinam possibilium immediatam in se ipsis, præsupponere, ac essentialiter includere cognitionem eorundem mediatam in essentia: quia videtur, esse clarum, quod Deus prius pro signo rationis se ipsum cognoscat, tanquam objectum primarium, & in hoc creaturas, antequam creaturas in se ipsis intelligat. Ita Martinezio quidem, & aliis, quamvis non omnibus RR. placet; ut videre est apud Herman in suo Deo sciente n. 63.

92 Assero 1. Creaturæ, seu possibiles, seu futuræ, & actu existentes, non cognoscuntur a Deo in se ipsis tanquam in ratione motiva, sed cognoscuntur solum in essentia divina tanquam medio, & motivo cognito. Ita Mastrius in 1. d. 3. n. 37. Smising, Herincx, & alii SS. communiter cum TT. quibus ex RR. subscribit Haunoldus l. 1. Tract. 1. n. 233. 235. & seqq. contra plurimos RR. & nostrum Poncium. Nostræ sententiæ etiam est Scotus, ut patet ex textibus superius n. 88. citatis.

P. 1. Authoritate D. Dionysii c. 7. de divin. Nominibus. ibi ait: *Divinam mentem ea, quæ sunt, non ex iis, quæ sunt, discere, aut nosse, sed ex se, & N. in se per causam rerum omnium, non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat.* Et inferius: *Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui.*

93 Respondebis 1. S. Dionysius tantum vult citato textu ostendere, quod creaturæ a Deo cognoscantur, antequam sint, & existant. Contra est: quamvis hoc intentum fuerit S. Dionysii, tamen ut illud probaret, & ostenderet, quod Deus creaturas intuitive cognoscere potuerit, antequam fuerint, ostendit, quod illæ non in se ipsis, sed in sola essentia divina, quæ semper exstitit, videantur.

Respondebis 2. S. Dionysius tantum negat, creaturas cognosci in se ipsis effective influentibus in cognitionem divinam: vel negat solum, quod Deus quasi speciem impressam a creaturis debeat desumere: non vero negat, quod ad creaturas immediate terminetur cognitio divina. Contra est: S. Doctor absolute negat, quod creaturæ in se ipsis cognoscantur; id enim indicant verba: *non quod singula*

con-

consideret; non rerum notitia sed sui. Et absolute, ac illimitate affirmat, quod Deus non solum *ex se*, seu per cognitionem, quae solum a Deo ut principio, & radice emanat, sed etiam *in se* tanquam objecto primario, & motivo cognoscat unice res creatas, quod confirmant termini: *non notitia rerum, sed sui.* & iterum: *uno causae complexu.*

Respondebis 3. S. Dionysius in fine cit. textus comparat hanc notitiam Dei cum notitia illa, quam Angeli habent ex sensibilibus; atqui Angeli res creatas immediate in se ipsis cognoscunt. Contra est 1. ibi S. Doctor tantum adducit similitudinem, quae claudicare solet, & argumentatur a minori ad majus, quasi diceret: si Angelus, etsi sensibus careat, potest mentis suae vi sensibilia intelligere, quidni & Deus infinito suo intellectu sensibilia quaevis, ac omnia creata in sua essentia infinite repraesentativa intelliget?

Contra est 2. S. Doctor ibi non solum vult ostendere, quod Deus noscat omnia in essentia sua, sed & quod cognoscat entia materialia, & sensibilia, quamvis ipse sit immaterialis, & insensibilis; ait enim inter alia: *Se ipsam igitur noscens divina sapientia novit omnia sine materia, ea quae materia constant.*

Haec autem authoritas D. Dionysii adeo clara est, ut eam omnino pro nobis efficaciter stare etiam Vasquez, quamvis Adversarius existimet: & confirmatur ex D. Augustino, qui l. 84. quaestionum q. 46. ait: *Deum nihil extra se intueri, sed in se tanquam causam omnium.*

P. 2. Esset maxima imperfectio, si Deus ad cognoscendum ob- 94
jectum moveretur, & determinaretur a re creata, ut recte advertit Scotus q. 3. Prologi n. 22. & alibi saepius. Ergo Deus non potest immediate moveri a creatura, vel determinari ad cognoscendum aliquod objectum. a. constare videtur: quia sic Deus in sua cognitione a creatura dependeret, & cognitio divina a creatura tanquam motivo specificaretur: quae sunt absurda.

Nec dicas: intellectum divinum ex se jam esse determinatum ad cognoscendum quodvis cognoscibile, adeoque eum non *determinari*, sed tantum *extrinsece terminari* a creaturis, quae cognoscuntur. Contra est: quamvis intellectus divinus sit infinitus, tamen necessario debet determinari objective, & motive: ergo nulla est responsio. a. constat; si enim in divino intellectu non est necessaria determinatio objectiva: ad quid Theologi assignant objectum formale, & motivum

tivum in Deo? Adde, quod essentia divina sit ratio motiva determinans intellectum ad se ipsam primo cognoscendam: ergo simile motivum determinans etiam erit necessarium, ut Deus determinetur ad alia objecta Deo extrinseca cognoscenda, & quidem a fortiori.

P. 3. Deus perfectissime in se, & sua essentia jam cognoscit creaturas: ergo superflua est altera scientia in creaturis ipsis: atqui in Deo non datur superfluum; nam omne superfluum est imperfectum, & non habet utilitatem, aut finem. Ex hac ratione

Deduces: neque attributa divina, quamvis infinita, in se ipsis immediate cognosci. Ratio est: licet attributa divina ratione infinitatis suæ possint per se movere intellectum divinum, si per impossibile ab essentia divina non repræsentarentur: quo in casu statim possent esse objectum motivum intellectus divini; attamen quia essentia divina de facto attributa divina clare jam repræsentat, adeoque ipsa sola, & prius jam movet ad cognitionem attributorum; & sic attributa manent intra latitudinem objecti secundarii. ita Coën. Neque hic attenditur, quid fieret in hypothesi per impossibile, sed quid actu fiat, ut observat Haunoldus: actu autem esset superfluum duplex motivum intellectus divini actu movens complete ad cognitionem attributorum, vel etiam creaturarum.

55 Objic. 1. Intellectus divinus vi infinitatis suæ est necessitatus ad cognoscendas creaturas omni modo, quo possunt cognosci; atqui etiam possunt cognosci immediate: ergo intellectus divinus est necessitatus ad eas cognoscendas immediate. ℞. D. M. Omni modo, quo possunt cognosci sine imperfectione c. M. secus n. M. esset autem modus imperfectus, si Deus creaturas immediate in se ipsis, tanquam in ratione motiva cognosceret.

Objic. 2. Non est imperfectio, si Deus cognoscat creaturas mediate, & mere terminative: ergo neque si cognoscat immediate; nam & ab objecto mediato specificatur cognitio, & accipit perfectionem ab eo. ℞. N. c. & paritatem; nam cognitionem mediatam in essentia tanquam motivo Deus non emendicat a creaturis; sed hanc habet ex plenitudine essentiæ suæ divinæ infinite cognoscibilis, & creaturarum cognoscibilitatem eminenter continentis, adeoque ad cognitionem creaturarum determinantis: aliud foret, si creaturæ immediate in se ipsis cognoscerentur, quia tunc Deus per cognoscibili-

tatem

tatem creaturarum moveretur, & ab ea tanquam motivo cognitionem creaturarum haberet.

Objic. 3. Creaturæ futuræ, præsertim eventus tantum conditionate futuri, cognoscuntur immediate in se ipsis, non vero in essentia: ergo etiam creaturæ possibiles. ℟. N. a. Nam & futura, seu conditionata, seu absoluta, etiam a Deo videntur in essentia sua supposito decreto divino, non vero ante decretum; quia ante decretum non habent determinatam veritatem, & sic ab essentia repræsentari nequeunt. Sed de hoc plura inferius.

Objic. 4. Omnipotentia divina est immediate productiva creaturarum: ergo & intellectus divinus est immediate cognoscitivus creaturarum. ℟. D. a. Ita tamen, ut voluntas, quæ est ipsa omnipotentia divina, prius per essentiam divinam, tanquam objectum motivum, moveatur ad productionem creaturarum c. a. secus n. a. &c. Universa propter semet ipsum operatus est Deus, & operatur etiamnum: adeoque hoc argumentum est potius pro nobis. Igitur & voluntas divina saltem amando debet prius attingere essentiam divinam, antequam producendo tendat in creaturas.

Objic. 5. Cognoscere objectum cognitione directa, & immediata in se ipso, est perfectius, quam tantum cognoscere in alio tanquam medio: ergo modus hic perfectior, cognoscendi creaturas immediate in se ipsis, non debet Deo denegari. ℟. D. a. Et hoc est verum, quando medium, in quo mediate cognoscuntur res creatæ, est limitatum, c. a. quando medium est illimitatum, & infinitæ perfectionis, n. a.

Objic. 6. Si Deus creaturas non cognoscit in se ipsis, non habet cognitionem intuitivam eorum; sequela est absurda: ergo. m. constat; quia alias haberet cognitionem abstractivam, quæ est imperfecta. M. p. cognitio intuitiva debet terminari ad objectum in se ipso. ℟. D. M. Si neque mediate, & terminative in se ipsis cognosceret creaturas c. M. secus n. M. Juxta dicenda Deus mediante sua essentia tanquam medio cognito etiam creaturas cognoscit in se ipsis secundum earum existentiam, quam vel habent, vel habebunt, vel habere possunt in aliqua temporis differentia. Vide etiam dicenda inferius, ubi hoc argumentum denuo recoquetur.

Objic. 7. Beati, præter visionem beatificam, qua in Verbo, vel essentia divina vident creaturas, cognoscunt etiam creaturas in se ipsis, vel in proprio genere: item anima Christi præter visionem

beatificam habet fcientiam infufam, & experimentalem: ergo etiam Deus præter fcientiam mediatam creaturarum in Verbo, vel effentia divina, habet etiam immediatam in ipfis creaturis. ℞. N. c. & paritatem: quod creaturæ, v.g. Beati, & anima Chrifti poffint alias creaturas in fe ipfis immediate cognofcere, eft quidem perfectio, fed mixta imperfectione, adeoque entibus creatis, non autem Deo poteft competere. Sicut & plures alias perfectiones mixtas in fe habent anima Chrifti, & Beati, v.g. habitum charitatis, lumen gloriæ, actus amoris, & vifionis, qui funt accidentia, adeoque folis creaturis, non autem Deo convenire poffunt. Videri poteft Maftrius, qui optime hanc objectionem folvit 1. difp. 3. n. 39.

96 Affero 2. Quamvis creaturæ poffibiles, futuræ, & exiftentes, folum in effentia, tanquam in medio, & motivo-cognito intelligantur, tamen formaliter cognofcuntur fecundum totum fuum effe fpecificum & individuale, quod extra Deum vel habere poffunt, vel habebunt, vel actu habent. Communis SS. cum Maftrio, Smifing, Fraffen, Blafio a Benjumeja: adeoque terminative & mediate creaturæ a Deo cognofcuntur, & attinguntur in fe ipfis. Patet ex Scoto, qui 1. d. 35. q. un. §. *contra opinionem primam.* ℣. *præterea.* n. 8. ubi ait: *Etfi effentia ut cognita fit ratio deveniendi in notitiam lapidis, tamen videtur pofteа, quod intellectus D. poffit lapidem cognofcere in fe.* & eadem q. §. *ad ifta.* ℣. *ad tertium.* n. 15. docet, quod effentia divina fola fit objectum motivum divini intellectus, non autem fit folum objectum terminativum, cum & objecta creata terminent cognitionem divinam.

P. 1. Si Deus tantum cognofceret creaturas fecundum effe increatum, quod habent in Deo, quatenus in ipfo eminenter continentur, tunc non tam creaturæ, quam ipfe Deus, & perfectio divina cognofceretur; atqui hoc eft abfurdum, & contra omnes: ergo.

P. 2. Effentia divina eft motivum, & ratio intelligendi ipfas creaturas formaliter in fe fpectatas: ergo creaturæ media effentia in fe, a Deo cognofcuntur.

P. 3. Omnipotentia divina attingit ipfas creaturas, producendo eas fecundum fuum effe formale: ergo & omnifcientia divina attingit creaturas, cognofcendo eas fecundum fuum effe formale.

Reliqua, quæ de objecto fcientiæ fimplicis intelligentiæ dicenda fuperfunt, refolventur tract. feq. de Omnipotentia divina, ubi de poffibilitate creaturarum, & Ideis divinis agemus.

Diſſertatio II.

DE
SCIENTIA VISIONIS, SEU FUTURORUM.

Pertractamus hic ſcientiam Dei non in ſenſu latiſſimo, prout ſe etiam 97
extendit ad objecta neceſſario actu exiſtentia, ſeu prædicata divina, neque prout ſub ſe complectitur prædicata contingentia jam exiſtentia, vel creaturas exiſtentes, in qua latitudine eam ſuperius accipi poſſe dixi: ſed tantum agimus de ſcientia viſionis, prout ea attingit objecta contingentia futura; de his enim eſt controverſia, quomodo poſſint a Deo præſciri ſine læſione noſtræ libertatis.

Porro *futurum* illud eſt, *quod necdum exiſtit, exiſtet autem poſtea, vel tempore ſubſequenti.* Diſtinguitur a re poſſibili, & ab actu exiſtente: *ab illa*; quia de re mere poſſibili poteſt quidem dici: *quod non exiſtat*, non vero etiam affirmari poteſt, quod ſit *exſtitura poſtea. ab hac* ſeu actualiter exiſtente differt, quia de exiſtentibus, non autem de futuris dici poteſt: *nunc exiſtunt.*

Futuritio alia eſt *cauſalis*, per quam res aliqua non exiſtens, & poſſibilis determinatur ad exiſtendum poſtea, ſeu ad eſſe futurum formale: alia eſt *formalis*, quæ eſt ipſa exiſtentia poſtea, & negatio exiſtentiæ pro præſenti, de quo plura in ſubſequentibus.

Aliqua futura ſunt *neceſſaria*, alia *contingentia*. Futura *neceſſaria* ſunt, quæ pendent a cauſis neceſſariis, & neceſſario agentibus: talia ſunt dierum, & noctium viciſſitudines, Lunæ, & Solis Eclypſes &c. quæ, cum certam, & neceſſariam connexionem habeant cum ſuis cauſis, etiam demonſtrative ſciri poſſunt, antequam contingant. Futura *neceſſaria* vocantur quoque futura *a caſu.*

Futura *contingentia*, quæ etiam dicuntur futura *a propoſito*, ſunt illa, quæ dependent a cauſa libera, quæ proinde poſſunt eſſe, vel non eſſe. Si entia creata ſpectantur in ordine ad cauſam primam, ſeu Deum, tunc ea omnia ſunt contingentia, quia Deus illa liberrime produxit, ita, ut potuiſſet non producere: ſi vero conſiderentur in ordine ad cauſas ſecundas, tunc aliqua ſunt neceſſaria, de quibus jam eſt dictum; alia ſunt contingentia, quæ dependent a cauſa creata libera v. g. a voluntate humana. Sic actus amoris

moris in via, odium, peccata, *actus morales boni* &c. ſunt mera entia contingentia.

Ex his futuris contingentibus iterum alia ſunt *conditionata*, quæ tantum eſſent, vel forent, ſi certa conditio poneretur, de quibus differt. ſeq. Alia ſunt *abſoluta*, quæ abſolute ſunt futura, v. g. actus amoris Petri abſolute, & actualiter futurus, atque ponendus.

Inter hæc iterum alia ſunt, *ſoli Deo libera:* ſic Deo ante mundum hunc conditum, creatio ejus fuit futura, ſed futuritione ſoli Deo libera: alia ſunt etiam *nobis libera*, ſcilicet actus noſtræ voluntatis futuri. De abſolutis itaque futuris, contingentibus nobis liberis præcipue hac Diſſertatione diſputabimus: quod ut ordinate fiat, primo indagabitur, an Deus infallibiliter cognoſcat futura contingentia: iterum: an ea cognoſcat independenter ab omni decreto? 2. An in Decreto prædeterminante, vel 3. tali, quod per ſcientiam mediam dirigitur? 4. An in decreto condeterminanti Scotiſtico? 5. Tandem modus cognoſcendi futura ſuccincte declarabitur, ubi etiam de futuritione formali, & cauſali rerum.

Articulus Unicus.

An Deus infallibiliter cognoſcat futura contingentia, & quidem independenter ab omni decreto?

§. I.

An Deus infallibiliter cognoſcat futura contingentia?

98 Aſſero, & Reſpondeo affirmative. Eſt de Fide P. 1. ex S. Scriptura. Pſal. 138. dicitur: *Intellexiſti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidiſti.* & Eccli 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.*

P. 2. Ratione cognoſcere infallibiliter futura eſt perfectio absque imperfectione; atqui Deo competit omnis perfectio, quæ ſine imperfectione eſſe poteſt: ergo & Deo competit cognoſcere infallibiliter futura.

99 Objic. 1. Scriptura de futuris contingentibus loquitur ſubinde modo dubitativo: atqui hoc non fieret, ſi Deus haberet certam ſcientiam futurorum: ergo &c. M. p. Jerem. 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte*

te audiant. ℟. n. m. per particulam *forte* non significatur dubia de rebus futuris cognitio in Deo: sed ideo adhibetur 1., ut ostendatur liberum hominis arbitrium, quo potest verbum divinum audiri, vel non audiri. ita observat D. Hieronymus in cit. Textum Jeremiæ. 2. Ut significetur maxima hominis malitia, a quo vix aliquid boni possit expectari. ita D. Augustinus tract. 37. in Joannem super hæc verba: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* 3. Ut indicetur eventus futurorum esse hominibus (non autem Deo) incertos. Quare Scriptura more humano loquitur dubitative sicut homines loqui solent de futuris, utpote quæ humano intellectui incerta sunt. 4. Particula *forte* in Sacra Scriptura idem significat, ac *utique*, vel *certe* juxta Authorem Glossæ Interlinearis Anselmum Laudenensem apud Herincx Disp. 6. n. 30. unde Matth. 11., ubi de Sodomitis, dicitur: *forte mansissent:* in græco ponitur *utique* pro *forte*, ut observat Titelmannus ibidem.

Objic. 2. Præscientia futurorum esset necessario vera, & æterna: ergo omnia necessario fierent, prout Deus prævidit, & in tempore nihil libere posset fieri; si enim non omnia necessario fierent in tempore, prout fuerunt prævisa ab æterno, tunc Divina præscientia posset falsificari.

℟. d. a. Esset necessario vera necessitate consequente, proveniente a causis se libere determinantibus cum Deo ad talem eventum c. a. necessitate antecedente, proveniente a solo Deo n. a. Deus actus nostræ voluntatis prævidet tantum supposito Decreto condeterminante, & supposita nostra determinatione virtualiter jam ab æterno facta cum Deo.

§. II.

An Deus futura contingentia libera cognoscat in Ideis, vel in Dispositione proxima nostræ voluntatis, aut efficacia suæ scientiæ?

Assero 1. Deus non cognoscit infallibiliter futura contingentia 100
in Ideis. communis contra Ægydium Romanum.

P. Ideæ repræsentant res tantum ut factibiles, & possibiles, seu quomodo fieri possint, aut debeant: ergo non repræsentant futuritionem rerum.

Objic.

Objic. 1. Ideæ funt infinitæ in repræfentando: ergo repræfentant omnem creaturam etiam futuram.

℞. d. c. Repræfentant omnem creaturam, eo modo, quo illa eft repræfentabilis ante omne Decretum Divinum c. a. alio modo n. a. ante Decretum creatura tantum eft repræfentabilis ut poffibilis.

Objic. 2. Ex noftra fententia fequitur, quod futura non habeant caufam exemplarem & Idealem in Deo: fequela eft abfurda: ergo. M. conftat, fi enim futura haberent caufam Idealem, ceu Ideam in Deo, tunc in ea deberent cognofci.

℞. n. M. ad Prob. d. a. futura deberent cognofci in fua Idea fecundum fuam effentiam & poffibilitatem c. a. fecundum ftatum futuritionis n. a. Idea debet tantum oftendere, quomodo aliqua res poffit fieri, non autem debet repræfentare, quod ea res fit determinate & infallibiliter futura.

101 Affero 2. Neque Deus infallibiliter cognofcit futura contingentia libera in Difpofitione proxima vel in actu primo proximo noftræ voluntatis.

P. Non poteft in medio indifferenti ad actum & non actum videri potius actus, quam non actus: ergo futura libera non poffunt a Deo infallibiliter prævideri in actu primo proximo noftræ voluntatis; etenim totus hic actus primus proximus eft indifferens ad actum & non actum, & eo pofito poffumus etiam omittere actum v. g. amoris: quomodo ergo Deus in tali difpofitione proxima mere indifferenti prævidere poterit actum amoris?

Ex hoc fequitur, Deum in actu primo proximo videre quidem hominem effe proxime difpofitum v. g. ad amorem, non autem videre amorem ut futurum; quia amor non fit futurus per folam difpofitionem proximam, fed actualem determinationem voluntatis ad amorem, quæ determinatio voluntatis fæpe non ponitur etiam tunc, dum totus actus primus proximus eft pofitus.

Objic. Intellectus humanus ex actu primo proximo & ex difpofitione pofita, fæpe colligit, quid fit futurum: ergo & Intellectus Divinus.

℞. d. a. Colligit conjecturaliter, & fallibiliter c. a. infallibiliter & certo n. a.

102 Affero 3. Deus non prævidet futura in efficacia fuæ fcientiæ. Communis contra aliquos TT.

Prob. Scientia Divina nullam habet efficaciam ſciendi futura contingentia, niſi ea præſupponantur tanquam objecta ſcibilia tali ſcientiæ: ſed præſupponuntur primum per hoc, quod vere ſint futura (quomodo autem ſint futura, & quidem ſalva libertate tam Divina, quam humana, ſequentibus declarabitur) ergo &c.

§. III.

An Deus cognoſcat futura contingentia ex eo, quod illa ſint realiter præſentia æternitati?

Not. Certum eſſe, quod Deus futura omnia habeat ab æterno præſentia intentionaliter, & objective, quatenus omnia ſimul ab æterno cognoſcit, quæ ſucceſſive erunt. Solum dubitatur, an futura habuerint ab æterno in æternitate Divina non ſolum præſentiam objectivam & intentionalem declaratam, ſed etiam realem ac phyſicam? Thomiſtæ communius affirmant cum Cajetano q. 14. art. 13. Gonet, Joanne a S. Thoma. Ex quo inferunt, Deum ab æterno cognoviſſe futura libera, ſi minus in Decreto prædeterminante, ſaltem in præſentia eorum, quam habent in æternitate. RR. & Scotiſtæ cum Doctore ſuo 1. diſt. 39. q. un. n. 8. §. *aliter ponitur*, ſententiam negativam amplectuntur. Cum quibus

Aſſero: Futura & temporalia non fuerunt ab æterno phyſice & 103
realiter præſentia æternitati Divinæ, atque adeo Deus non cognovit ab æterno certo & infallibiliter futura libera ob eorum præſentiam in ſua æternitate.

P. Futura & res in tempore exiſtentes non extiterunt ab æterno: ergo non coextiterunt æternitati Divinæ ab æterno. a. eſt certum, c. patet; quia coexiſtentia pro fundamento habet exiſtentiam rei, & in terminis implicare videtur, quod aliquid nondum exiſtens coexiſtat alteri jam exiſtenti. Hæc concluſio magis roborabitur reſponſionibus dandis ad objectiones Adverſariorum. Hinc

Objic. 1. Æternitas Dei eſt duratio indiviſibilis ac tota ſimul: 104
ergo illa, quæ æternitati Dei coexiſtunt aliquando, eidem toti coexiſtunt: ergo quia futura v. g. Antichriſtus futurus coexiſtet aliquando æternitati Dei, eidem toti, conſequenter ſemper coexiſtit; nam coexiſtere toti æternitati, nihil aliud eſt, quam ſemper coexiſtere, ſicut æternitas ſemper exiſtit.

℞. 1. Ret. arg. verbis ipfius Scoti citati pro conclufione, qui n. 9. ad finem allegati §i ita loquitur: *Præterea ifti* (fcilicet noftri Adverfarii) *ponunt, quod ævum Angeli fit omnino fimplex coexiftens toti tempori: ergo Angelus, qui eft in ævo, præfens eft toti fluxui temporis, & omnibus ejus partibus:* confequenter omnia futura coexiftunt Angeli æviternitati indivifibili: *ergo* (ut pergit Scotus) *Angelus poteft naturaliter cognofcere futura contingentia,* & quidem omnia, quia omnia fibi habet phyfice præfentia & coexiftentia. ℞. 2. d. c. coexiftunt æternitati toti, fed non totaliter c. c. etiam totaliter n. c. quamvis pes hominis eidem animæ rationali coexiftat toti, non tamen coexiftit eidem totaliter; & hinc anima poteft etiam effe in capite, & aliis membris, ac locis, in quibus non eft pes: fic etiam, quia res creatæ coexiftunt quidem eidem indivifibili æternæ durationi Dei, non vero coexiftunt eidem totaliter, feu æternitas Dei exiftit ab æterno, & in omni reali ac etiam cogitabili temporis differentia, non vero femper, & ab æterno neceffario coexiftit æternitati Dei creatura futura.

Objic. 2. Omnis locus, & omne locatum eft præfens, & coexiftit toti Immenfitati Divinæ: ergo etiam omne tempus, & omnis res in tempore exiftens, aut futura coexiftit toti æternitati.

℞. 1. Invert. Arg. & affumendo pro nobis paritatem, in qua Thomiftæ alias triumphare folent: nullus locus, vel nullum locatum particulare coexiftit toti Immenfitati, & totaliter: ergo neque tempus aliquod, vel res aliqua temporanea coexiftit æternitati Dei toti & totaliter. Vel etiam quævis res creata coexiftit Immenfitati Dei toti tantum in aliquo determinato, non autem in omni loco: fic Monachium coexiftit Immenfitati Dei tantum hic, non autem alibi v.g. Madriti, aut Romæ: efto enim alibi v.g. Madriti exiftat Immenfitas Dei, tamen ibi non eft præfens Monachium: ergo etiam res futura tantum coexiftit æternitati Dei pro tempore determinato, & limitato, quo talis res exiftet; non vero coexiftit eidem pro omni tempore & pro æterno. ℞. 2. In forma dift. ficut objectionem primam.

Objic. 3. Quamvis creaturæ per propriam menfuram, & durationem extrinfecam exiftant in tempore, tamen per menfuram alienam, feu æternitatem Dei coexiftunt eidem æternitati: ergo &c. a. p. æternitas Dei menfurat, & complectitur omnia tempora fimul in uno indivifibili *nunc* æternitatis, quo omnia futura fimultanee menfurantur, etiamfi fucceffive exiftant: ergo &c.

℟. d. Secundum a. in uno realiter indivisibili, æquivalenter tamen divisibili c. a. secus n. a. quamvis æternitas tota simul existat, & realiter indivisibilis sit, habet tamen latitudinem & extensionem æquivalentem, & eminentialem, quatenus infinitis quoque annis, & temporibus, & rebus invicem succedentibus coexistere potest, ut jam dictum est n. 58. Deinde Deus ab æterno sua æternitate mensurat omnes res creatas, non tamen pro æterno, sed pro illo tempore, quo existunt: denique quamvis æternitas complectatur omnia tempora, non dicitur tamen illis semper, & ab æterno coexistere; nam denominatio coexistentiæ importat necessario simultaneam & exercitam existentiam utriusque extremi coexistentis; atqui licet Deus ab æterno extiterit, tamen creaturæ non extiterunt ab æterno; ergo creaturæ non coextiterunt Deo ab æterno.

Objic. 4. Punctum centri in aliquo circulo est præsens cuilibet puncto circumferentiæ: ergo & æternitas Dei est præsens cuilibet tempori & rei temporaneæ. ℟. d. a. Et hoc ideo, quia punctum centri & puncta circumferentiæ simultaneam, exercitam existentiam habent c. a. si non simultanee existerent n. a.

Objic. 5. Quæ in tempore existunt successive, sunt simul intentionaliter præsentia intellectui Divino ab æterno, & quidem ideo, quia cognitio Divina est tota simul ab æterno: ergo a pari erunt physice præsentia æternitati Divinæ, quæ est tota simul ab æterno.

℟. d. a. Quia cognitio Divina est tota simul ab æterno, & quia etiam futura jam habent cognoscibilitatem ab æterno dependenter a Decreto Divino c. a. secus n. a. & d. c. ergo etiam creaturæ erunt physice præsentes æternitati Divinæ ab æterno, si ab æterno haberent *esse*, & existentiam actualem, vi cujus possint esse physice præsentes c. c. secus n. c. vi cognitionis Divinæ Deus debet cognoscere creaturas, si sint cognoscibiles: & vi Immensitatis suæ debet illis coexistere, si existant: ergo cum creaturæ futuræ jam ab æterno sint cognoscibiles, non autem existant ab æterno, sic bene cognoscuntur ab æterno, non autem illis Deus physice coexistit ab æterno.

Objic. 6. Juxta SS. PP. apud Deum nihil est futurum, vel præteritum, sed omnia sunt præsentia: ergo &c. ℟. Cum Scoto cit. §. ultimo, d. a. Juxta SS. PP. omnia sunt præsentia Deo objective c. a. entitative, & realiter n. a. objecta omnium rerum Deo repræsentantur ab æterno, & in æternum, nec Deus hodie habet objectum præsens intentionaliter, quod non cognovit, aut præsens habuit intentionaliter

ab æterno. Deinde, fi SS. PP. Deo potius fcientiam, quam præfcientiam tribuunt, tunc non volunt omnem præfcientiam Deo negare; hoc enim foret contra S. Scripturam, quæ ad Rom. 8. de Deo dicit: *quos præfcivit, hos & prædeftinavit:* fed denegant Ei tantum præfcientiam, & prævifionem obfcuram, qualem nos de futuris habemus, bene autem concedunt Ei prævifionem futurorum clariffimam, & intuitivam, quam proinde etiam fcientiam vocant.

Objic. 7. Juxta dicta cognitio futurorum in Deo eft intuitiva: ergo hoc ipfo creaturæ futuræ funt phyfice præfentes Deo; etenim cognitio intuitiva ex natura fua petit objectum præfens.

℟. d. c. Cognitio intuitiva petit rem præfentem in fe, vel in aliquo eminenti c. c. femper in fe n. c.; futura & præterita eminenter funt præfentia in Effentia Divina, præfuppofito Decreto, & hoc fufficit ad cognitionem eorum intuitivam.

Objic. 8. Si Deus non haberet fibi præfentes creaturas futuras ab æterno, tunc in tempore aliquid novi cognofceret; nam cognofceret in tempore has creaturas ut actu exiftentes, quas ab æterno tantum cognovit ut futuras: fequela eft abfurda: ergo &c.

℟. n. M. Nam has creaturas etiam jam ab æterno ut actu exiftentes cognovit, non quidem ut exiftentes pro æterno, fed pro illo tempore, quo exiftent.

Objic. 9. Impoffibile eft Deo cognofcere aliquam rem ut futuram fibi: ergo cognofcit eam ut præfentem in æternitate.

℟. d. a. Ut futuram fibi objective c. a. ut futuram realiter & phyfice n. a.

Objic. 10. Nequit aliquid refpectu æternitatis Dei effe futurum, vel præteritum: ergo &c. a. p. fi aliquid effet futurum refpectu æternitatis Dei, tunc refpectu totius æternitatis effet futurum: atqui hoc implicat: ergo &c. M. eft certa; quia æternitas eft indivifibilis. m. p. quod eft refpectu totius æternitatis futurum, eft extra totam æternitatem, ficut illud, quod eft refpectu totius diei hodiernæ futurum, eft extra totam hanc diem: atqui implicat aliquid effe extra totam æternitatem Dei, ut ex terminis liquet: ergo &c.

℟. d. a. Nequit aliquid effe futurum refpectu æternitatis totius totaliter acceptæ c. a. refpectu æternitatis totius non totaliter, fed tantum inadæquate fumptæ n. a.

Dissertatio III.

QUOMODO DEUS SCIAT FUTURA CONTINGENTIA LIBERA.

Articulus I.

Quid sit futurum, & futuritio?

Futurum differt a re mere possibili, & existente. A mere possibili, 105
quia de hac solum est verum, quod possit existere, non autem, quod aliquando sit extitura: ast res futura non tantum potest existere, sed etiam existet postea. Ab ente actu existente discriminatur, quia de hoc, non vero de re futura potest dici, quod nunc, & de praesenti existat.

Porro futuritio alia est causalis, & alia formalis. *Causalis* est illa ratio, per quam aliquod ens possibile, & nondum existens determinatur ad esse futurum, seu ad existendum postea. Futuritio *formalis* est ipsa existentia pro tempore subsequenti, danda dependenter ab aliquo Decreto, & negatio existentiae pro praesenti. Quae statim amplius patebunt.

§. I.

De Futuritione causali actuum liberorum nostrae voluntatis.

Assero 1. Nullus actus liber nostrae voluntatis potest esse abso- 106
lute futurus, nisi dependenter a Decreto aliquo divino. Communissima inter Thomistas, Recentiores, & Scotistas: & clare docetur a Scoto in 1. D. 39. q. un. §. *viso de contingentia.* n. 23. cujus verba allegabo infra n. 134.

Prob. Nulla futuritio potest haberi sine determinatione effectus possibilis ad existentiam postea habendam; sed ejusmodi determinatio non potest esse independenter ab omni decreto divino: ergo: M. videtur esse liquida; quia omnis res possibilis ex se est indifferens, & indeterminata ad existentiam habendam, vel non habendam, seu ad

effe futurum, vel non effe futurum; hinc ut aliqua res determinate futura fit, debet dari determinatio tollens illam indifferentiam, & indeterminationem. m. vero prob. Determinatio ejusmodi debet provenire ab aliqua caufa determinante: fed non poteft provenire a fola voluntate creata, nifi cum hac agat, & concurrat voluntas Divina per fuum decretum; fiquidem voluntas creata quoad omnem actionem, & determinationem fuam effentialiter dependet a voluntate divina; hoc enim exigit fupremum Dei dominium, ut in Philofophia docetur: ubi defenditur contra Durandum, quod Deus immediate influat, & concurrat ad quemvis effectum caufæ creatæ: ergo &c.

Confirm. Authoritate D. Auguftini, qui l. 26. contra Fauftum c. 4. reddens rationem, cur nefciat, an aliquid fit futurum: *ideo*, inquit, *nefcio, quia quid habeat de hac re voluntas Divina, me latet: illud tamen me non latet, fine dubio futurum, fi hoc Dei voluntas habet.* Quibus verbis apertiffime docet noftram conclufionem, & futuritionem rerum in Decretum, & determinationem voluntatis divinæ reducit.

107 Affero 2. Futuritio caufalis infallibilis actuum noftrorum liberorum confiftit in fimultanea determinatione Dei, & voluntatis creatæ ad ejusmodi actus. Ita fentire debent Scotiftæ, fuftinentes decretum condeterminans. P. Illa eft futuritio caufalis, per quam caufatur futuritio formalis, & res poffibilis e ftatu poffibilitatis ad effe futurum elevatur, & determinatur; fed hoc fit per utramque illam fimultaneam determinationem: & quidem per determinationem voluntatis noftræ; quia ea neceffario requiritur ad actus noftros liberos: ac per determinationem, & decretum Dei; quia voluntas creata nequit agere, aut fe determinare fine Deo coagente. Quod autem utraque determinatio Dei, & creaturæ debeat effe fimultanea, hic fupponitur, & infra Art. 4. hac Differt. fufe probatur: ergo &c. Ex his

108 Inferes 1. Futuritionem caufalem non confiftere in mera difpofitione proxima noftræ voluntatis. Ratio eft; quia totus actus primus proximus noftræ voluntatis eft mere indifferens, ut v. g. actus amoris ponatur, vel non ponatur poftea: feu tunc, quando fupponitur effe pofitus totus actus primus proximus, intelligitur voluntas adhuc habere libertatem proximam ad ponendum, vel non ponendum actum e. g. amoris: ergo actus primus proximus non determinat certo,

to, & infallibiliter ad futuritionem formalem, & existentiam amoris pro tempore subsequenti.

Inferes 2. Nec consistere futuritionem causalem in Decreto generali, quo Deus paratus est concurrere ad actiones nostras liberas, seu quo statuit permittere causas secundas liberas motus suos agere. Ratio est; quia etiam hoc decretum est indifferens ad actum futurum, vel omissionem ejus, vel ad actum omnino oppositum: ergo iterum non determinat ad existentiam actus, postea certo & determinate dandam. Ex eadem & aliis rationibus probabo Differt. 4. seq. hoc Tract. non sufficere decretum ponendum ad futuritionem determinatam, sed requiri Decretum actu, & exercite positum. 109

Inferes 3. Deum non cognoscere futura contingentia absoluta independenter ab omni decreto divino. Thomistæ, & Scotistæ communiter. Ratio est; illud tantum potest cognosci a Deo ut futurum, quod revera futurum est; sed nihil est futurum independenter ab omni decreto divino. Quare cognitio futurorum semper præsupponit decretum divinum tanquam causalitatem rei, ut futuræ, & veritatis illius objectivæ, quæ ut futura cognosci potest. 110

Inferes 4. Futura quoque libera conditionata habere suam futuritionem conditionatam dependenter ab exercito decreto divino. Communior Scotistarum contra Patronos scientiæ mediæ. Ratio est; quia etiam futura conditionata debent esse actu determinata ad existentiam infallibiliter habendam, si certa conditio poneretur: quod aliter fieri non potest, nisi actuale detur decretum, quo Deus statuit concurrere ad talem actum, posito, quod ejusmodi conditio poneretur, v. g. ad conversionem Petri, posito, quod hac gratia vocandus esset. Verum de hoc, & aliis in §. isto breviter adductis plura per decursum hujus materiæ. Ideo majorem eorum declarationem hic omitto. Interea 111

Inferes, & notabis 5. Scotistas per hos terminos: *contingens est extractum e statu, & massa possibilitatis ad statum futuritionis*, nil aliud velle, quam contingens esse determinatum ad infallibiliter existendum. Quam ob rem hic modus loquendi non debet sensu quodam crasso, & mechanico accipi, ut recte monet Ulloa apud Clarissimum P. Georgium Hermann de Deo sciente n. 232. Non enim fingenda sunt quasi aliqua cubilia, & ambulacra, in quorum uno inclusæ sunt res possibiles, in altero conditionate futuræ, in tertio absolute futuræ. Neque credendum est, quod res possibiles, dum ad futuritionem 112

nem elevantur, quasi ex cubili primo extrahantur, & in secundo, vel tertio ponantur; etenim ex tam absurdo conceptu (qui tamen longe semper abfuit ab omnibus Scoti asseclis, paulo subtilius sentientibus) nil nisi chimæræ prodire possent.

§. II.

De Futuritione formali actuum liberorum nostræ voluntatis.

113 Assero. Futuritio formalis non consistit in decreto divino. Ita Ferre Thomista egregius Tom. 1. Tract. 5. de Scientia Dei n. 1245. laudans pro se plures ex suis. Communiter Recentiores: & ex Scotistis Herincx p. 1. D. 6. q. 4. n. 45. Mastrius 1. Sent. disp. 3. n. 200. ubi defendunt, præsupposito decreto, futura a Deo cognosci in se ipsis, & secundum proprium eorum esse, a Decreto distinctum, adeoque futuritionem formalem, vel rem futuram formaliter talem a Decreto distinguunt. Pro hac sententia ab Herincx allegatur quoque Theodorus Smising contra plures, Thomistas præsertim, qui futuritionem formalem in ipso decreto constituunt, indeque futura in solo decreto, non vero in se ipsis cognosci posse asserunt. Ratio hujus est; quia futuritio formalis, seu ipsa res qua futura, est potius objectum decreti divini, & est illud, quod medio decreto causatur: ergo debet distingui a decreto. c. patet; quia objectum volitionis, & decreti distinguitur a decreto, & res causata a sua causa. a. p. Illud est objectum decreti divini, & causatur a Decreto divino, quod ab hoc decernitur, & efficaciter intenditur; atqui res futura in ratione futuritionis decernitur a decreto divino, & efficaciter intenditur: ergo.

Confirm. 1. Productio rei existentis non est essentiale constitutivum rei existentis: ergo etiam determinatio rei futuræ non est formale, & essentiale constitutivum rei futuræ. c. patet; quia determinatio causæ ad dandam aliquando existentiam se habet eo modo respectu rei futuræ, sicut se habet productio respectu rei existentis; quemadmodum enim per productionem res aliqua accipit esse actuale præsens, ita per decretum, seu determinationem Dei res possibilis obtinet esse futurum.

Confirm. 2. Si futuritio formalis consisteret in decreto, tunc ideo, quia sine decreto non posset dari futurum: sed hæc ratio nulla est; nam etiam existentia actualis creaturæ pro tempore præsenti non datur sine decreto determinante illam, ut existat pro nunc: & tamen existentia ejus pro tempore præsenti non est ipsum decretum: ergo &c.

Confirm. 3. Res futura est potius esse actuale, quod nunc non est, postmodum autem dependenter a decreto divino erit: ergo non est ipsum decretum. a. p. Res præterita nihil aliud est, quam esse actuale, quod fuit aliquando ex decreto divino, & nunc non amplius est: ergo etiam esse futurum nil aliud est, quam esse actuale, quod nunc non est, & postea erit. Verbo: Res existens, futura, & præterita semper important formaliter ipsam rem actualem, pro diversa tamen temporis differentia, quam consignificant. Ex his

Resolves 1. Futuritionem essentialiter nihil aliud esse, quam *carentiam existentiæ pro præsenti, & existentiam pro subsequenti, dependenter a decreto divino, actu & exercite posito,* quod in obliquo necessario connotatur a re futura, quamvis illud in recto futuritio formalis minime importet. 114

Resolves 2. Supposito decreto divino futura in se ipsis habere veritatem objectivam, quæ etiam a Deo determinate & in se, consequenter non tantum in decreto divino cognosci potest. Videantur Mastrius & Herincx citt.

Resolves 3. Supposito decreto divino, non autem ante decretum, futura contingentia cognosci in essentia divina tanquam objecto motivo, & in se ipsis tanquam in objecto terminativo. Scotus 1. d. 39. q. Un. §. *viso de contingentia.* n. 23. ubi dicit: *Voluntas* (divina) *eligens unam partem, facit, illud determinate esse verum. Hoc autem existente determinate vero, essentia* (divina) *est ratio intellectui divino intelligendi istud verum.* Ratio hujus est; quia essentia divina juxta Lib. 1. Sent. est objectum motivum respectu omnium a Deo cognoscibilium, sive ea sint intra, sive extra Deum; ergo etiam est objectum motivum respectu futurorum: essentia autem divina non repræsentat aliquod objectum, antequam illud supponatur habere veritatem objectivam. Sed futura contingentia ante omne decretum divinum non supponuntur habere aliquam veritatem objectivam; cum ante decretum divinum non supponantur esse determinata ad existentiam aliquando habendam. Insuper Deus objecta alia ab essentia distincta,

non solum videt in essentia, tanquam in objecto motivo, sed etiam in se ipsis terminative. Sic etiam videt, & cognoscit creaturas possibiles in se ipsis: ergo etiam supposito decreto videt, & cognoscit futura contingentia tanquam objecta terminativa in se ipsis.

115 Objic. 1. Futuritio rerum jam dabatur ab æterno, existentia rerum non dabatur ab æterno: ergo existentia rerum non est essentiale constitutivum futuritionis. a. patet; jam enim ab æterno vere dicebatur: *Petrus peccabit. Christus crucifigetur.* ℞. D. a. Futuritio dabatur jam ab æterno secundum unam partem constitutivam c. a. secundum omnes partes constitutivas n. a. & suppositum, quod omnes partes futuritionis debeant esse ab æterno, ut ab æterno vere possit dici: hæc res est futura; futurum enim est concretum successivum, quod duas partes invicem succedentes includit: hinc nunquam simul secundum omnes partes suas potest existere; importat enim carentiam existentiæ pro præsenti, & existentiam pro subsequenti. Sicut & annus quoque, eoquod sit concretum, & totum successivum, nequit simul secundum omnes suas partes existere. Quare, dum dico: *nunc datur hic annus, hæc dies*, non est sensus, quod nunc, dum hanc propositionem formo, dentur omnes partes hujus anni, hujus diei: sed solum verum est: *nunc datur aliqua pars, aliquod instans &c. hujus anni, hujus diei, & reliquæ partes jam præterierunt, vel adhuc erunt:* ita etiam, dum dico: *hæc res est futura*, non est sensus: modo dantur omnes partes, quæ futuritionem formalem constituunt, sed potius: *modo datur carentia existentiæ hujus rei, & existentia ejus dabitur postea.*

116 Objic. 2. Res juxta nos intelligitur futura per hoc, quod modo non existat, & exstitura sit postea; sed in his duobus non intelligitur aliquod decretum: ergo decretum non requiritur ad rei futuritionem, consequenter futurum etiam videri potest a Deo independenter a decreto. ℞. D. m. In his duobus non intelligitur aliquod decretum, prærequiritur tamen ad illa c. m. non prærequiritur n. m. quia existentia pro tempore subsequenti non potest haberi sine determinatione ad illam, hinc ad omnem futuritionem formalem prærequiritur quidem decretum determinans, tanquam causa, vel causalitas futuritionis formalis: non tamen ejusmodi decretum ipsam essentiam, & quidditatem futuritionis formalis ingreditur.

Articu-

Articulus II.

An Deus videat actus noſtros futuros, vel exiſtentes liberos mediante aliquo decreto prædeterminante?

§. I.

Præmittuntur Notanda.

Poſtquam in priori Articulo vidimus, nullam futuritionem dari, aut 117
concipi poſſe ſine aliquo decreto præſuppoſito, merito pergimus inquirere, quale illud ſit decretum. Sunt autem quoad hoc punctum tres præcipue ſententiæ, duæ extremæ, & tertia media inter illas. Inter extremas eſt communis Thomiſtarum, & aliquorum Scotiſtarum opinio, admittens decretum aliquod præcedens noſtram determinationem. Cui immediate opponitur alia, a Doctoribus Societatis Jeſu, & quibusdam aliis defenſa ſententia, adſtruens decretum ſubſequens determinationem creaturæ, conditionate præviſam per ſcientiam mediam directam. Has inter via media incedunt plurimi Scotiſtæ, ſuſtinentes decretum nec prædeterminans, nec ſubſequens, ſed mere concomitans. De decreto prædeterminante nunc, de reliquis poſtea controvertetur. In hunc finem

Nota: per decretum prædeterminans intelligi illud, quod præ- 118
cedit omnem præviſionem futuritionis etiam conditionatæ noſtrorum actuum, & omnem determinationem voluntatis noſtræ. Unde ejusmodi decretum etiam cauſalitate antecedit actus noſtræ voluntatis, eosque decernit pro priori ſigno, antequam voluntas noſtra ſupponatur ſe determinare ad eos. Duplex autem decretum antecedens a Theologis aſſignatur, quorum alterum vocari poteſt *intrinſece*, alterum *extrinſece* prædeterminans. Prius, ſeu *intrinſece* prædeterminans eſt, quod effectum ſuum operatur mediante prædeterminatione phyſica, voluntati creatæ in tempore impreſſa. Et hoc aſſeritur a Thomiſtis: qui proinde ſolent dicere, quod prædeterminatio phyſica ſit *executio, & cauſalitas decreti prædeterminantis*, ut loquitur Doctiſſimus M. Gonet tom. 3. diſp. 6. Art. 1. n. 50. Poſſet ad noſtrum captum hujus decreti tendentia iſta aſſignari: *Ex mera libertate mea, ac me ſolo, ſeu ſine ulla prævia, vel ſimultanea determinatione voluntatis creatæ*

decerno hunc actum a voluntate creata, mediante prædeterminatione physica infallibiliter ponendum.

119 Alterum, seu *extrinsece* prædeterminans est, quod quidem determinationem creatæ voluntatis antecedit, effectum tamen suum immediate in tempore operatur absque qualitate prædeterminante impressa, utpote quam Patroni hujus decreti non admittunt. Sustinetur tale decretum extrinsece prædeterminans a pluribus, & egregiis Scotistis, ut a Francisco Macedo L. 1. Sent. Collat. 10. Different. 1. sect. 6. Lamazares in suis qq. Theol. q. 13. n. 20. Brizeno, Coën, & aliis. Tendentia hujus decreti ita exponi potest: *Ex mera libertate mea, sine prævia, vel simultanea determinatione creaturæ, decerno actum amoris a Petro in tempore infallibiliter eliciendum.*

120 Differentia inter hæc duo decreta præcise in hoc consistit, quod prioris Patroni, seu Thomistæ præter decretum antecedens adstruant in tempore prædeterminationem physicam intrinsecam, quam tamen Scotistæ, qui tuentur decretum prædeterminans extrinsecum, constanter negant, tanquam repugnantem principiis Doctoris sui.

Quamvis in hoc puncto differant, tamen in aliis duobus apprime conveniunt. 1mo Utrumque hoc decretum est essentialiter, & indispensabiliter connexum cum actu voluntatis creatæ, qui decernitur, & præordinatur; alias enim ejusmodi decretum esset frustrabile, & in eo non posset infallibiliter prævideri actus decretus, tanquam certo futurus. 2do Utrumque hoc decretum non est in potestate, & libertate creaturæ, seu non potest impediri a creatura. Ratio hujus est; quia illud non est in potestate nostræ voluntatis, quod ejus liberum exercitium, & determinationem antevertit; atqui utrumque hoc decretum (ut fatentur illius defensores) antevertit omne liberum exercitium, & determinationem nostræ voluntatis: ergo non est in potestate nostræ voluntatis. Quod de decreto prædeterminante extrinseco specialiter patet ex verbis nostri Lamazares cit. qui n. 21. ad aliquam instantiam ita respondet: *Posse efficere, ut Deus alios actus prædeterminet, aut ejus prædeterminationem impedire, non est necessarium ad libertatem causæ secundæ: imo est implicatorium, ut causa superior subjiciatur, vel impediatur ab inferiori.*

§. II.

§. II.

Sequitur Concluſio.

Aſſero: Deus non videt actus noſtros liberos mediante decreto 121
aliquo intrinſece, vel extrinſece prædeterminante. Ita communis RR. cum Scotiſtis plerisque contra citatos. P. Decretum iſtud utrumque videtur evertere libertatem actuum noſtræ voluntatis: ergo in Deo non datur: conſequenter mediante tali decreto Deus non videt actus noſtros liberos. a. p. Stante ejusmodi decreto voluntas noſtra non habet in ſua poteſtate actus ſuos liberos; nam illos pro ſua libertate in hoc ſyſtemate non poteſt elicere, ſed tantum debet, & poteſt illos ponere, ad quos ſine aliqua prævia, aut ſimultanea determinatione eſt præordinata a Deo: ergo decretum prædeterminans videtur evertere libertatem creaturæ.

Confirm. Prædefinitio illa per decretum intrinſece, vel extrinſece prædeterminans ex una parte indiſpenſabiliter connectitur cum actu noſtro prædefinito: & ex altera parte non eſt impedibilis, nec eſt in poteſtate noſtra, ut talem prædefinitionem habeamus, vel non habeamus: ergo neque eſt in noſtra poteſtate, ut habeamus noſtrum actum; ſi enim nobis non eſt liberum antecedens, ex quo neceſſario, & indiſpenſabiliter ſequitur actus aliquis tanquam conſequens, tunc neque nobis liberum eſſe videtur conſequens, ſeu ille actus.

Neque dicant Scotiſtæ adverſarii, quod eorum decretum non ponat qualitatem prædeterminantem in voluntate creata; ſufficit enim, quod ipſum decretum antecedenter prædeterminet modo ſuperius indicato. Unde ad propoſitum ſolum eſt diverſitas materialis inter decretum Thomiſticum, & extrinſece prædeterminans illorum Scotiſtarum; conveniunt enim adhuc quoad hoc, quod utrumque pariat eandem neceſſitatem antecedentem, unum quidem mediate per qualitatem phyſicam, alterum immediate per ſe ipſum.

De cætero obſervandum eſt, prædeterminantes ſuum decretum 122
præcipue fundare in hoc principio: Deus eſt liberum, & agens omnino primum, cui creatura libera in actibus ſuis neceſſario ſubordinatur. Ex quo deducunt, quod determinatio, & concurſus Dei prævius ſit neceſſarius, ut ratio cauſæ primæ, & primi liberi in Deo conſervetur. Ex eodem inferunt, quod concurſus, & determinatio Dei non ſit impedibilis a creatura, nec exiſtat in poteſtate creaturæ;

 quia

quia secus subordinatio creaturæ ad Deum tolleretur, & Deus esset subordinatus creaturæ in agendo, utpote cujus actionem & determinationem semper expectare, & ei se accommodare deberet. Ex hoc igitur principio prædeterminantes efficaciter urgeri debent, si per suas responsiones declinare videantur ad nostras partes, & explicite, aut saltem æquivalenter, prout aliqui faciunt teste Clarissimo P. Antonio Mayr in Theol. Scholast. Tract. 1. n. 455. dicant, quod decretum prædeterminans sit in nostra potestate, sit a nobis impedibile. Hæc enim primo eorum mox adducto principio repugnant, ut consideranti liquet.

Plura equidem de hoc decreto dicenda forent; quia tamen eas, & non alias patitur difficultates, quas prædeterminatio physica, quæ in Philosophia tam a RR. quam SS. solide refutatur: & quia passim reperiuntur Tractatus egregii, quibus & decretum, & qualitas prædeterminans impugnatur: ideo hæc paucula adduxisse sufficiat, maxime quia finis meus præcipuus est, decretum condeterminans contra suos adversarios tueri.

Articulus. III

An Deus prævideat futura contingentia absoluta mediante aliquo decreto, præsupponente scientiam mediam?

§. I.

Præmittuntur Notanda.

123 Præprimis observandum est, etiam RR. ac Patronos scientiæ mediæ admittere, quod contingentia absolute futura habeant determinatam veritatem objectivam mediante aliquo decreto: ut clare habet acerrimus scientiæ mediæ Defensor, doctissimus Martinez de Deo sciente controver. 3. Disp. 4. Sect. 1. ubi inscriptio ita sonat: *Demonstratur, determinatam veritatem non convenire propositionibus de futuro absolute contingenter libero creaturæ ante, sed post decretum divinæ voluntatis.* Unde Clarissimus P. Georg. Hermann de Deo sciente n. 109. duos non nostræ, sed alterius Scholæ Theologos reprehendit, eoquod

eoquod doctrinam oppositam audeant affingere Doctoribus Soc. Jesu. Quam ob rem laudati celeberrimæ Societatis Theologi, quamvis dicant, futura absoluta a Deo cognosci *in se ipsis*, negant tamen illa, etiam in se ipsis cognosci ante omne decretum, ut iterum testatur jam laudatus Martinez controv. 3. Disp. 7. Sect. 6. V. 3. *dico.* ubi de se, & suis ita loquitur: *Nos omnia futura absoluta a Deo cognosci dicimus in se ipsis juxta S. Thomam: sed non omnia dicimus a Deo cognosci ante decretum. Nam ex futuris alia sunt prædefinita, alia non: quæ prædefinita sunt, cognoscuntur tum in decreto, tum in se ipsis, sed post decretum. Quæ autem non sunt prædefinita, ut sunt omnia peccata, non cognoscuntur in Decreto prædefinitivo, sed in se ipsis independenter a decreto prædefinitivo, sed dependenter a permissivo.*

Licet in hoc RR. conveniant cum TT. & SS. quod admittant decretum aliquod prædefiniens, vel permittens actus nostros liberos, tamen multum se distinguunt ab illis quoad alia puncta. Ut reliqua taceam, dicunt, Deum non prædefinire aliquem actum liberum nostræ voluntatis, nisi dependenter a scientia media directa.

Quare juxta hos Doctores, prout videre est apud Viva curs. Theol. part. 3. disp. 2. q. 4. & Clarissimum Hermann de Deo volente n. 313. & seqq. Triplex apud Scholasticos datur decretum prædefiniens actus liberos. Unum est omnino independens a scientia media: & hujusmodi est decretum prædeterminans, ac concomitans, quod utrumque sine omni usu scientiæ mediæ (utpote quam prædeterminantes, & condeterminantes constanter negant) intendit, & determinat actus voluntatis creatæ. Secunda prædefinitio est, quæ *in essendo* præcedit scientiam mediam, non vero *in operando:* & daretur tunc, si Deus independenter ab omni scientia media, seu quin prius exploraret, quid creatura esset actura in his circumstantiis, præordinaret actum amoris e. g. in talibus circumstantiis infallibiliter a creatura eliciendum: postea tamen, priusquam ista prædefinitio operaretur suum effectum, seu antequam vi illius auxilium efficax conferretur ad actum illum infallibiliter eliciendum, Deus antecedenter consultaret per scientiam mediam, quodnam auxilium esset efficax in ordine ad actum prædefinitum infallibiliter obtinendum. Atque hanc prædefinitionem, quæ solum in essendo, non vero in operando præcedit scientiam mediam directam, propugnat R. P. Martinez cum nonnullis aliis: refutatur tamen a Clarissimo P. Hermann de Deo volente n. 314.

Tertia

Tertia prædefinitio, quæ a plerisque RR. adstruitur, tam *in essendo*, quam *in operando* sequitur scientiam mediam. Hinc per ejusmodi decretum, si datur, Deus non ordinat, aut intendit aliquem actum bonum, in tempore a creatura eliciendum, neque vi talis decreti confert auxilium efficax ad actum intentum, & præfinitum, nisi post scientiam mediam, qua prius prævidit illum ipsum actum sub conditione aliqua futurum. Unde istud decretum præfiniens nec *est* in Deo, nec *operatur* collationem gratiæ efficacis ante scientiam mediam. Tendentiam ambarum harum prædefinitionum, quæ a scientia media dependent, Viva cit. explicat sequenti modo: prioris quidem, quæ solum in essendo antecedit mediam scientiam, tendendi modum ita proponit: *Volo consensum per auxilium, quod post consultationem scientiæ mediæ invenero efficax.* Alterius vero, quæ in essendo, & operando scientiam mediam supponit, tendentiam, ait, esse hanc: *Volo consensum per auxilium, quod per scientiam mediam vidi futurum efficax.*

124 Advertendum ulterius: Scientiam mediam esse illam, *qua Deus infallibiliter cognoscit veritates conditionatas contingentes in se ipsis, nullo præcedente decreto Dei libero, actualiter existente, & aliquid de iis decernente.* Ita describit Clarissimus P. Antonius Mayr Theol. Schol. Tr. 1. n. 396. Vocant ideo mediam, quia participat aliquid juxta suos Patronos de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis: de priori, quia antecedit omne decretum actuale, sicut cognitio possibilium: de altera habet, quod sit de objecto contingente, & libero, v. g. de consensu Petri futuro sub certa aliqua conditione. Censent, hanc scientiam esse indispensabiliter necessariam ad dirigendum Deum, ne erret, & cæco modo procedat in faciendis decretis circa actus nostros liberos, videlicet decernendo aliquem actum, a creatura ponendum, quem tamen ipsa creatura non eligeret &c.

125 Notandum insuper: per scientiam mediam solum cognosci futura conditionata contingentia, seu illa, ubi conditio cum conditionato non necessario connectitur, quamvis non debeat, nec possit esse omnino disparata, sed aliquam habere conducentiam, & proportionem tanquam causa, vel conditio, aut occasio conditionati, ut in hac propositione conditionata contingit: *Si Petrus audiret concionem, converteretur,* in qua conditio, nimirum auditio concionis, habet proportionem ad causandam conversionem, quæ est conditionatum præfatæ propositionis conditionalis. Si conditio necessario connectitur, tunc veritas condi-

tio-

tionata, tanquam neceſſaria, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcitur. Tales veritates ſunt: *Si ſol lucet, dies eſt, ſi homo exiſteret, tunc exiſteret animal rationale.*

§. II.

Statuitur, & probatur concluſio.

Aſſero. Non datur in Deo ſcientia media dirigens decreta divina: atque adeo Deus non videt futura contingentia abſoluta mediante decreto, quod præſupponit ſcientiam mediam. Ita a potiori SS. cum ſuo Doctore, cujus verba adducam art. ſeq. nec non Schola Angelica contra Doctores florentiſſimæ Societatis Jeſu: & contra noſtros Fabrum in 1. Sent. diſt. 39. Diſp. 54. c. 5. & Diſp. 55. c. 2. Cordubam in ſuis qq. L. 1. q. 55. Poncium in ſuo Curſu Theol. Diſp. 5. q. 7. & Cavellum in ſcholio 1. diſt. 39. q. un. §. *viſo de contingentia*, ubi opinionem, quæ admittit ſcientiam mediam, dicit probabilem. 126

P. 1. Talis ſcientia media, quæ dirigere deberet decreta divina, non habet objectum verificativum: ergo ea non poteſt in Deo dari. conſeq. eſt certa; nam ſcientia falſa non poteſt in Deo dari; aſt illa eſt ſcientia falſa, quæ non habet objectum verificativum. Probatur igitur antec. Objectum verificativum hujus ſcientiæ eſt actus contingens liber ſub conditione contingenti infallibiliter futurus, non præſuppoſito decreto Dei: atqui non poteſt dari, aut cognoſci aliquis actus contingens ut futurus infallibiliter ſub conditione contingenti, non præſuppoſito decreto Dei: ergo talis ſcientia media non habet objectum verificativum. M. conſtat ex Notandis. m. p. Non præſuppoſito decreto actuali talis actus eſt penitus indifferens, ut ſit futurus ſub conditione, vel non futurus: ergo non poteſt determinate, & infallibiliter cognoſci tanquam infallibiliter futurus ſub conditione, niſi præſupponatur aliquod decretum. a. p. nam actus ex ſe eſt contingens, & poteſt eſſe futurus, vel non futurus: conſequenter ex ſua natura non determinatur ad eſſe certo futurum. Pariter ad hoc ipſum non determinat conditio, quæ, licet aliquam habeat conducentiam ad futuritionem actus, tamen ſupponitur eſſe talis, quæ ſtare poſſit cum actu, vel cum omiſſione ejus, aut etiam cum actu oppoſito, ut dictum eſt N. præc. & fatentur Adverſarii; alias enim eſſet futurum neceſſarium, & non liberum contingens. Neque determinatio actualis da-

retur ex parte voluntatis creatæ, quæ fe nequit determinare, nifi condeterminet, & coagat voluntas divina, ut dixi fupra Art. 1. §. 1. atqui voluntas divina ad talem actum juxta Adverfarios fe non determinaret per decretum actuale: ergo nihil adeffet, vi cujus hic actus deberet effe infallibiliter fub conditione futurus.

Confirm. 1. Actus fub conditione infallibiliter futurus in ratione objecti cognofcibilis longe aliter fe habet, quam actus mere poffibilis: ergo debet poffe oftendi caufa hujus diverfitatis. atqui non poteft alia oftendi, quam hæc, quod actus conditionate futurus per decretum divinum fit determinatus ad exiftentiam fub conditione habendam: ergo.

Confirm. 2. Quando Deus juxta Adverfarios per fcientiam mediam prævidet, quid creatura fub hac conditione effet actura, vel tunc prævidet, quid fola creatura effet actura, vel quid fimul Deus cum creatura effet facturus? non poteft dici primum; etenim creatura non poteft agere, nifi coagat Deus, præfertim in RR. fententia, fecundum quos actio Dei, & creaturæ identificantur, ut tenet cum aliis Clariffimus P. Antonius Mayr Philof. Perip. part. 2. Difp. 3. n. 1338. Neque alterum dici poteft; nam fi Deus videret, quid effet acturus cum creatura, deberet etiam videre, fe effe determinatum ad agendum, & concurrendum ad talem, & non alium actum creaturæ, pofita conditione: atqui hoc non poteft videre, nifi etiam videat peculiare quoddam decretum, vi cujus ipfius voluntas, alias adhuc indifferens, determinetur ad peculiarem concurfum. Dixi: *peculiare decretum;* nam generale, & indifferens, quo offertur folum concurfus paratus ad agendum, vel non agendum, vel oppofitum faciendum, per fe non fufficit, ut fuperius infinuavi N. 109.

Confirm. 3. Actus contingens non eft ex fua natura, & a fe infallibiliter futurus, pofita etiam quacunque conditione mere contingente, de qua fola procedit fermo: ergo debet effe infallibiliter futurus independenter ab alio, fcilicet a determinatione caufarum, quæ non poteft haberi fine concurrente, & coagente determinatione Dei. a. videtur patere; quia quodlibet ens contingens ex fe eft indifferens ad effe futurum, & non effe futurum, quæ indifferentia minime tollitur per fuperadditam indifferentiam novam conditionis pariter contingentis, & contingenter connexæ cum actu contingente, conditionate futuro.

Reſpondebis 1. cum Clariſſimo P.Hermann de Deo ſcienten. 232. & aliis communiter. Ejusmodi actus liber, de quo eſt quæſtio, non eſt abſolute futurus, ſed ſolum eſſet, vel foret, ſi certa conditio poneretur. Unde exigit futuritionem cauſalem non abſolute exiſtentem, ſed tantum extituram conditionate. Verbo: exigit decretum extiturum, vel ponendum, ſi conditio poneretur. Rationem addit; ad verificandam hanc propoſitionem: *Si ſol exiſteret, illuminaret,* non requiritur vis illuminativa abſolute, ſed ſolum conditionate futura; quia actualis illuminatio tantum eſt conditionate futura. Ex quo vult inferre, non requiri decretum actuale ad verificandam hanc propoſitionem: *Si Petrus haberet hunc actum primum proximum, eliceret actum amoris,* ſed ſufficere decretum ſub conditione futurum. 127

Contra hanc doctiſſimam reſponſionem poſſet forte dici, quod ratio *futuri*, & *ponendi* in decretis divinis non habeat locum; quia ob immutabilitatem Dei omnia decreta ejus æterna eſſe debent. Verum quidquid ſit de hoc, aliter 128

Inſto 1. Si Deus cognoſceret actum amoris ſub conditione infallibiliter futurum mediante decreto ponendo, tunc etiam deberet cognoſcere, ſe eſſe infallibiliter determinatum ad tale decretum ſub conditione ponendum: atqui Deus non poteſt cognoſcere, ſe eſſe infallibiliter determinatum ad decretum ſub conditione ponendum, niſi actu aliquod decretum ſit exercite poſitum: ergo adhuc debet habere decretum actu, & exercite poſitum, & mediante hoc poteſt cognoſcere actum amoris eſſe ſub conditione infallibiliter ponendum. M. videtur eſſe certa; ſi enim Deus non eſſet infallibiliter determinatus ad ejusmodi decretum ponendum, ſi conditio eveniret, tunc maneret mere indifferens ad illud ponendum, & non ponendum; proindeque ipſum decretum ſtante tali indifferentia adhuc poni poſſet, vel non poni: & ſic illud non poſſet cognoſci ut determinate futurum, etiam poſita conditione contingente.

Min. prob. indifferentia voluntatis divinæ in ordine ad decreta, tanquam actus Dei contingenter liberos, non poteſt tolli, aut determinari, niſi per actuale exercitium ipſius voluntatis divinæ, id eſt, per decretum actu poſitum. Id, quod in nobis quoque oſtendi poteſt; nam & noſtra voluntas tamdiu manet indeterminata ad actum aliquem liberum ponendum, quamdiu ſe ipſam non determinat: ergo id a fortiori de voluntate divina dicendum eſt: ergo Deus independenter ab

 omni

omni decreto non potest scire, se esse infallibiliter determinatum ad decretum aliquod certo, & determinate ponendum.

Insto 2. Talis actus, quamvis non sit absolute futurus, tamen esset, & foret determinate, ac infallibiliter, si certa conditio poneretur: ergo jam est actu determinatus, ut esset potius, quam non esset: ergo actualem debet habere causam determinantem; nam actualis determinatio non potest provenire independenter a causa actu determinante: sed talis causa actu determinans est actuale decretum: ergo &c.

Insto 3. Contra rationem, & exemplum ab Eruditissimo Adversario illatum. Quamvis ad hoc, ut ista veritas: *si sol existeret, illuminaret,* sit metaphysice infallibilis, non requiratur absoluta futuritio virtutis illuminativæ, requiritur tamen decretum subjective absolutum, quo Deus decernit indispensabiliter concurrere cum virtute illuminativa ad illuminationem, purificata conditione, & existente Sole: ergo hoc exemplum potius pro nobis, quam contra nos est. a. p. Sol existens non connectitur metaphysice necessario cum illuminatione actuali; quia posset existere sol, & Deus per miraculum suspendere concursum suum ad productionem luminis necessarium: quo in casu Sol existens non illuminaret: ergo ut prædicta veritas sit metaphysice infallibilis, requiritur decretum, quo Deus indispensabiliter statuat cum Sole, si existit, ad lumen, vel illuminationem concurrere. Neque sufficit decretum generale, quo Deus decernit, causas secundas sinere motus suos agere; hoc enim est dispensabile, & subintelligitur conditio, nisi pro signo posteriori dispensem, vel miraculose denegem meum concursum, ut dicam infra Tract. 3. Diss. 2. Art. 2. §. 2.

Nota vero pro majori claritate hujus instantiæ, quod metaphysica infallibilitas requiratur ad scientiam divinam, ut præclare docet Clariss. P. Hermann de Deo sciente n. 189. *Hoc*, (ut ibi loquitur) *exigit infinita talis scientiæ perfectio.* Vide etiam dicenda infra n. 151.

Neque dicas: saltem ista veritas: *si Sol existeret &c.* est physice infallibilis sine decreto peculiari, de quo fuit sermo, & sine absoluta futuritione virtutis illuminativæ. Nam contra est 1. quia, ut immediate dixi, physica infallibilitas non sufficit ad cognitionem divinam, de qua hic loquimur. 2. Ejusmodi physica infallibilitas a decreto independens inde venit, quia hæc est veritas necessaria, & conditio, seu existentia solis, si datur, necessitate physica connectitur cum virtute

solis actu illuminante; Sol enim naturaliter nequit existere sine lumine, & virtute actu illuminante. Unde non exigitur alia determinatio ad physice infallibilem reddendam prædictam propositionem, & conditionem cum conditionato necessario, & infallibiliter connectendam. Aliud est in futuris contingentibus, in quibus conditio ex se potest existere sine conditionato, nec cum eo sine alia causa determinante infallibiliter connectitur. Igitur ut propositiones de futuris contingentibus conditionatis sint infallibiliter veræ, exigitur aliqua causa infallibiliter connectens ejusmodi conditionem cum suo conditionato. Ex his

Pro me sic argumentor: Effectus conditionate futurus tunc tantum infallibiliter prævideri potest, quando ille cum conditione habet necessariam, & infallibilem connexionem: sed ante decretum Dei nullus actus liber habet infallibilem, & necessariam connexionem cum conditione aliqua pariter contingente: ergo &c. M. & m. clarent ex hucusque disputatis.

Respondebis 2. cum P. Viva part. 1. Disp. 3. de scientia Dei q. 6. 129
n. 5. Sicut juxta Philosophum ex eo, quod res est, vel non est pro tempore importato per copulam, res aliqua dicitur vera, vel falsa: ita quoque futura conditionata habent ab æterno suum esse logicum & suam veritatem objectivam determinatam, quatenus haberent suum esse physicum determinatum pro tempore importato per copulam purificata conditione.

Contra est: Etiamsi ex hypothesi, quod res sit, vel non sit, vera, vel falsa dicatur; tamen debet posse ostendi causa, cur hæc res modo sit sub tali hypothesi, vel cur potius sit determinata ad existendum purificata tali conditione, quam non existendum: quæ causa ostendi nequit, nisi recurratur ad decretum actuale, ut colligitur ex dictis: ergo &c.

Confirm. Ex eo, quod aliqua res sit absolute futura, habet ab æterno determinatam veritatem objectivam, & affirmabilitatem, ast non independenter ab omni decreto actuali, ut ipsi AArii fatentur, citati ad initium hujus Articuli: ergo a pari ex eo, quod res aliqua sit conditionate futura, habet ab æterno suam determinatam veritatem objectivam, & affirmabilitatem: ast non independenter ab omni decreto actuali.

Tota hæc res exemplo vulgari dilucidari potest. Sponsalia conditionata nullam vim pariunt determinatam, nisi adsit promissio actua-

lis fubjective, licet poneretur conditio objectiva, vel ex parte objecti. v. g. Etfi fic dicat Paulus ad Barbaram: *Ego te vellem ducere, fi Parentes tui confentirent*, nulla exurget obligatio; quia hic actus relinquit ex parte voluntatis indeterminationem. Verum ifta indeterminatio petit tolli per actum abfolutum confenfus, quo fic dicitur: *Ego promitto, & volo te ducere, fi Parentes tui confentiant*: ergo a pari ex parte voluntatis Dei nulla habetur determinata veritas, & affirmabilitas conditionata, nifi ponatur actus fubjective abfolutus: *Ego condecerno cum Petro confenfum in auxilium A, fi illud ipfi detur*, & non fufficit fic tendere: *vellem condecernere, fi auxilium haberet.* Paucis: ut fponfalia conditionata valeant, & determinatam inducant obligationem, etiam fub conditione, requiritur determinatus confenfus ex parte voluntatis, & non folum fub conditione futurus: ergo id a pari hic dicendum.

130 P. 2. Non eft neceffaria in Deo fcientia media, quæ ipfum dirigat in condendis fuis decretis: ergo ipfius decreta, quibus mediantibus fciuntur futura contingentia abfoluta, non præfupponunt fcientiam mediam. Ant. probabitur Art. feq. quò adftruetur decretum condeterminans, penitus independens a fcientia media.

Objectiones, quia notitiam de decreto concomitanti, & de decretis fubjective abfolutis, & objective conditionatis requirunt, ideo magis commode partim mox feq. Art. 4. partim proxima Differt. 4. diffolventur.

Articulus IV.

An Deus videat futura contingentia nobis libera, ac abfoluta mediante decreto condeterminante Scotiftico?

131 Decretum *condeterminans*, vel *concomitans* eft *determinatio voluntatis divinæ, qua Deus vi perfectionis fuæ infinitæ ab æterno cum creatura libera fe fe determinante fimultaneè coincidit, & determinat actus liberos voluntatis creatæ, absque eo, quod eos prius per fcientiam mediam futuros effe cognoverit.* Si hoc decretum fit abfolutum, ita tendit: *Ego cum Petro determino, vel decerno hunc actum amoris pro hoc tempore ab eodem Petro eliciendum.*

Differt ergo iſtud decretum 1mo a Thomiſtico prædeterminante intrinſeco, & ab alio aliquorum Scotiſtarum extrinſeco; quia non eſt antecedens, ſed concomitans noſtras determinationes liberas, & ſimul exiſtit in poteſtate noſtra, ſeu eſt a nobis impedibile. 2do. Diſtinguitur a decreto RR.; quia non ſubſequitur ſcientiam mediam, nec præſupponit actiones noſtras futuras ſub conditione eſſe prævifas independenter a decreto actuali. H. N. ſit

§. I.

Ponitur, & ſtabilitur Concluſio.

Aſſero. Deus cognoſcit actus noſtros liberos abſolute futuros me- 132
diante decreto concomitante. Smiſing eximius Scotiſta Tr. 3. Diſp. 2. n. 129. Maſtrius, & alii Scotiſtæ a potiori.

P. 1. Deus cognoſcit actus noſtros liberos abſolute futuros mediante aliquo decreto, ut probatum eſt Art. 1. hac Diſſert. Nec poteſt dici, quod Deus cognoſcat in decreto prædeterminante, aut ſubſequente ſcientiam mediam, ut dixi Art. 2. & 3. Neque poteſt dici, in quonam alio decreto, quam concomitanti, illos videre poſſit: ergo cognoſcit eos in decreto concomitanti.

Confirm. Deus videt actus noſtros liberos futuros mediante tali decreto, quod 1mo ſalvat dominium ſupremum Dei in noſtras actiones liberas. 2do. Non lædit libertatem creatam: nec 3tio involvit aliud inconveniens; atqui tale eſt decretum condeterminans: ergo mediante decreto condeterminante videt Deus actus noſtros futuros liberos. Majorem puto negari non poſſe. probo ergo minorem. Inprimis ſalvatur dominium Dei; quia in hoc ſyſtemate voluntas creata non poteſt ſe determinare, niſi ſe condeterminet Deus. Deinde hac ipſa ex cauſa non læditur noſtra libertas; quia hoc decretum non antecedit, ſed tantum ſimultanee adjuvat exercitium liberum noſtræ voluntatis.

Denique inde non ſequitur aliud inconveniens; nam ſi aliquod inde oriretur, tunc eſſet hoc, quod Deus concomitanter ſe determinans ad materiale peccati, vellet, & eligeret ipſum peccatum. Verum hoc abſurdum non ſequi ex noſtra ſententia, ſatis oſtendam Tract. ſeq. Diſſ. 3. Art. 2. ubi peculiariter examinabo, quomodo Deus poſſit ſe condeterminare ad ſubſtratum materiale peccati. Neque conco-

concomitantia decreti arguit aliquam cæcitatem in Deo: quod modo oftendam.

Tunc Deus non agit cæco modo, vel imprudenter, quando ejus decretum concomitans præfupponit illam fcientiam, quam poteft, & debet Deus pro priori habere; fed decretum concomitans præfupponit illam fcientiam, quam Deus poteft, & debet pro priori habere: ergo &c. M. videtur effe extra dubium. m. p. quoad 1mum membrum. Antequam Deus actum abfolute decernit cum creatura, habet faltem fcientiam fimplicis intelligentiæ; fed nullam aliam tunc poteft habere, nifi concedatur aliquod decretum determinatum abfolutum fubjective, & conditionatum objective, quod Adverfarii nolunt admittere: ergo tunc habet fcientiam illam, quam poteft habere. M. ab adverfariis admittitur. m. colligitur ex Art. præc.

P. etiam 2dum membrum minoris principalis, nimirum quod Deus non debeat aliam fcientiam habere, quam fimplicis intelligentiæ, qua cognofcit actum poffibilem, & a fe cum creatura producibilem. 1mo. Quia tali modo actus jam eft præcognitus, adeoque Deus non decernit cæco modo aliquid incognitum. 2do. Neque ulla ratio poteft oftendi, ob quam actus creaturæ non poffit a Deo condecerni ut futurus, nifi ejus futuritio, & determinatio creaturæ ad talem actum fuerint prævifæ. Tum, quia fecundum Patronos fcientiæ mediæ Deus per fuum decretum prædefiniens determinat actum creaturæ abfolute futurum, & tamen eum antecedenter non cognofcit ut abfolute, fed tantum conditionate futurum: ergo a pari poteft Deus condecernere cum creatura aliquem actum ut futurum, etfi eum prius non cognoverit ut futurum, fed tantum ut poffibilem. Tum, quia determinatio creaturæ eft folum ratio volendi, & decernendi: ergo ea non debet effe a Deo prævifa, ut deducitur ex Scoto 1. Dift. 10. q. un. §. ad 3. ℣. *ad ultimum* n. 14. ubi afferit: quod ad actum volendi, & decernendi tantum objectum, quod aliquis velle, vel decernere poteft, debeat effe præcognitum, non vero ipfa volitio, aut determinatio ad volitionem. Patet in nobis: dum enim aliquid amamus, folum objectum amabile præcognofcimus, non vero actum amoris, ac determinationem ad eum.

Nec dicas: hoc effe verum, fi quis fe determinat ad proprium actum fibi foli liberum; tunc enim fufficit prævidere folam poffibilitatem actus &c. non autem hoc fufficit, fi quis determinare debeat infallibiliter actum alterius liberum, & quidem falva ejus libertate; nam

in tali caſu oportet, prius explorare per ſcientiam mediam, quid alter acturus ſit, ne forte determinetur ad actum aliquem, quem nunquam vellet eligere ſibi relictus.

Contra eſt: In Deo nullum eſt periculum errandi, & actum determinandi, quem ipſa creatura non eligit libere: ergo &c. a. p. Voluntas divina habet ſpecialem perfectionem infinitam coincidendi ſimultanee in omnes actus liberos creaturæ, ſine ullo periculo erroris: de qua mox plura. Unde

P. Aſſertio 2do. Poteſt homo aliquando coincidere in determi- 133
nationem alterius, volendo id ipſum, quod alter vult, ſine ulla prævisione determinationis, & volitionis alterius, & hoc reputatur eſſe perfectio, ſecundum illud axioma: *magna ingenia conſpirant.* Ergo etiam Deus ob infinitam perfectionem ſuæ voluntatis perfecte cum creatura libera in eandem determinationem coincidere poteſt.

Confirm. Homo cum homine prædicto modo coincidere poteſt ob ſimilitudinem in complexione & genio &c. ergo a fortiori ita coincidere nobiſcum poteſt Deus, & ejus voluntas; quia omnem perfectionem, poteſtatemque libere agendi omnium voluntatum creatarum modo infinite perfecto, ſaltem eminenter in ſe continet, ita, ut D. Auguſtinus L. de corrept. & grat. c. 14. circa finem affirmet: *Deus habet magis in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas.*

Nec obſtat, quod hæc coincidentia apud creaturas ſæpe ſoleat fieri *caſu*, qui involvit imperfectionem; ſiquidem etiam alias perfectio, quæ in creatura habet admixtam imperfectionem, in Deo eſt ſine imperfectione: ergo & iſta perfectio, ſeu poteſtas coincidendi cum determinatione alterius ſine ejus determinata prævisione eſt in creatura quidem cum imperfectione, & ſæpe caſu accidit, non vero in Deo, qui eam infinite perfecto modo poſſidet.

Ex quo ulterius colligis, alias quoque imperfectiones, quibus facultas coincidendi cum alio in hominibus miſcetur, a Deo eſſe alienas: ſic homo poteſt cum homine coincidere in factum formaliter peccaminoſum, id autem Deo repugnat. 2. Coincidentia in rebus creatis interdum oritur ex ſympathia neceſſaria, præveniente omnem uſum libertatis: aſt hæc imperfectio iterum eſt limitans libertatem, quæ ideo Deo non convenit; Deus enim poteſt quidem coincidere cum creatura, ſi vult, poteſt tamen etiam pro libertate ſua ut abſolutus Dominus ſaltem miraculoſe ſuſpendere ſuum concurſum, vel etiam antecedenter noſtras voluntates ad aliquem actum moraliter bo-

num necessitare, prout juxta probabilem sententiam facit in Beatis, eos absolute necessitando ad actum amoris beatifici. Quæ, & alia ejusmodi, si bene advertantur, servient ad plures adversariorum objectiones diluendas.

Confirm. 2. Deus juxta decretum suum generale, quo statuit, se permissurum causas secundas motus suos agere, ita sibi subordinavit voluntatem creatam, ut nolit aliquid aliud decernere, nisi quod voluntati creatæ est placitum: ergo Deus juxta hoc decretum generale perfecte coincidit cum voluntate creata.

134 P. ultimo authoritate Scoti contra SS. Adversarios. Doctor 3. Dist. 17. q. un. fere circa finem ait: *Deus non operatur ad operationem* (voluntatis creatæ) *nisi voluntate libere agente, & determinante se ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea*, nempe concomitando operationem creaturæ. Deinde 4. Dist. 49. q. 6. §. *Dico ergo*. n. 11. ait: *Nunquam causa præventa a causa superiori agente ad unum oppositum, potest potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Hic aperte rejicit decretum antecedens, postquam jam 1. Dist. 39. q. 1. §. *viso de contingentia rerum*. n. 23. negavit scientiam mediam his verbis: *Illo instanti* (quod præcedit decretum Dei) *non sunt vera contingentia; quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem objectivam: posita autem determinatione voluntatis divinæ jam vera sunt, videlicet pro illo secundo instanti.*

135 Quæres: Quomodo creatura possit se ab æterno condeterminare cum Deo, cum tamen non existat ab æterno? ℞. 1. Hoc non esse imperceptibile; si enim in systemate illorum, qui defendunt scientiam mediam, determinatio creaturæ pro aliquo signo logice, & quoad affirmabilitatem suam præcedere potest decretum Dei absolutum æternum, cur non etiam possint, saltem logice, esse simul decretum Dei, & determinatio creaturæ, ita, ut eodem signo, quo affirmatur decretum Dei ab æterno, simul possit affirmari determinatio creaturæ?

℞. 2. Directe ad hoc quæsitum, id facilius capi insistendo principiis Scotisticis, juxta quæ Deus ob infinitam suam perfectionem, & potestatem coincidendi cum creatura illos, & non alios actus decernit, quos ipsa creatura libere ponet in tempore. Hinc decretum Dei determinans ab æterno nostros actus liberos, æquivalenter & virtualiter est ipsum decretum creaturæ. Unde determinatio creaturæ virtualiter saltem coëxistit ab æterno decreto Dei, & pro eo-

dem signo cum illo est affirmabilis, & cognoscibilis. Vide dicenda
hoc art. n. 148.

Ex his sequitur, possibilitatem, & existentiam decreti conco- 136
mitantis in duplici fundamento quiescere. Unum suppeditat perfe-
ctio illa infinita voluntatis divinæ, qua ob in se contentam perfectis-
sime voluntatem creatam potest sine periculo erroris cum ea coincide-
re. Alterum fundamentum præbet decretum generale, quo se Deus
obligavit ad concurrendum ita cum causis liberis, ut non lædat
earum libertatem, qui concursus solum præstari potest per decretum
concomitans.

§. II.

Solvuntur Objectiones aliquæ.

Objic. 1. Decretum condeterminans est essentialiter connexum 137
cum actu, adeo, ut hic infallibiliter detur, quando datur illud de-
cretum, & simul est inimpedibile a libertate creata: ergo tollit liber-
tatem. conseq. est innegabilis; nam quando duo sunt essentialiter
connexa, ita, ut unum sine altero non possit dari, tunc, si unum
ex his non est in mea potestate, seu (quod idem est) non est a me
impedibile, neque alterum erit: adeoque si decretum indispensabili-
ter connexum cum meo actu voluntatis non est in mea potestate,
nec mihi liberum est, tunc neque actus voluntatis meæ erit mihi
liber.

Antec. quoad 1. memb. est certum; nam si decretum concomi-
tans non est infallibiliter connexum cum actu futuro libero, quomo-
do hic infallibiliter posset videri, mediante illo decreto? P. ergo
quoad 2. memb. Non possum impedire actum primum proximum,
requisitum ad hoc decretum, neque partem talis actus primi proxi-
mi: ergo neque possum ipsum decretum impedire; si enim non pos-
sum impedire in Petro potentiam proximam ad ambulandum, neque
possum impedire ipsam ambulationem Petri. a. p. Actus primus pro-
ximus metaphysicus Dei ad decretum condeterminans faciendum
constituitur solum duobus, scilicet Dei voluntate, & scientia simpli-
cis intelligentiæ; sed utrumque hoc constitutivum necessario in Deo
datur, & a nemine est impedibile; nemo enim potest facere, ut Deus
non habeat voluntatem, aut scientiam simplicis intelligentiæ: ergo
&c.

Hanc objectionem Clariſſimus P. Hermann maximi momenti eſſe judicat, & dicit eſſe argumentum Ulloæ. Unde illud non ſolum fuſe proponit in Diſp. *de Deo ſciente* n. 195. addens, ſe ejus ſolutionem hactenus non audiviſſe: ſed & illud repetit *de Deo volente* n. 326. fol. 453. ubi illud (ita loquitur) aliquanto magis deducit, & quæ ad illud ſolvendum excogitata ſunt, vel excogitari poſſunt, diluit. Pariter & ego argumentum iſtud magno in pretio habeo, præcipue, quia illius Doctor ſubtilis jam pridem meminit L. 2. D. 37. q. 2. §. 1. n. 2. & Maſtrius æquivalentibus terminis, & quoad ſubſtantiam ſibi objicit, ac ſolvit 1. Diſp. 2. n. 204. Ad quod

138 R. 1. in forma n. 2. memb. a. ad prob. n. c. & additam paritatem; nam dato, quod liberam operationem alterius hominis v. g. Petri impedire nequeam, niſi impediam actum ejus primum proximum, id tamen minime locum habet reſpectu voluntatis noſtræ in ordine ad Deum, tanquam cauſam primam; etenim una voluntas creata non continet in ſe in gradu ſummo perfectionem coincidentiæ reſpectu alterius voluntatis creatæ, nec ſubordinatur ita alteri voluntati creatæ, ſicut voluntas creata eſt ſubordinata voluntati divinæ, quæ inſuper ſibi ipſi legem poſuit, ne ageret unquam determinando aliquem actum noſtræ voluntatis, non coagente noſtra voluntate. Quare ad impediendum decretum condeterminans nil aliud requiritur, quam ut noſtra voluntas non agat, neque ſe determinet ad aliquem actum. Unde ſimiles paritates non videntur hic procedere; utpote quæ a duabus voluntatibus in operando non eſſentialiter ſubordinatis ducuntur ad alias duas voluntates, quarum una eſſentialiter alteri ſubordinatur, & una cum altera connectitur in operando.

R. 2. indirecte. Hoc toto argumento poſſet aliquis uti contra Adverſarios, dicendo: Scientia media eſt infallibiliter connexa cum actu libero ſub conditione futuro, ita, ut poſita tali ſcientia metaphyſice neceſſarium ſit, actum ejusmodi extiturum eſſe purificata conditione contingenti, & contingenter connexa cum actu: & iſta ſcientia media non eſt impedibilis a voluntate creata; ſi enim eſſet impedibilis, tunc eatenus, quatenus objectum talis ſcientiæ, v. g. conſenſus Petri ſub conditione futurus a Petro eſſet impedibilis: atqui iſte non eſt impedibilis a Petro; ſiquidem illud non eſt libere impedibile ab aliquo, quod antecedit omne liberum exercitium illius: ſed talis conſenſus ſub conditione futurus antecedit omne liberum exer-

exercitium Petri; cum Petrus ante positam conditionem nec se determinet propria voluntate per exercitium formale suæ libertatis, neque se virtualiter in decreto divino determinet: ergo &c. Unde sunt, qui dicunt, scientiam mediam esse omnino necessariam, ac præjudicare nostræ, & divinæ libertati; quia per eam aliquis actus contingenter futurus actualiter determinatur ad existentiam sub certa conditione habendam, quin præcesserit ulla determinatio actualis voluntatis divinæ, ac creatæ. Videatur Ferre insignis Thomista Tom. I. n. 1260.

Dices cum laudato P. Hermann de Deo volente n. 328. Voluntas creata non potest impedire decretum Dei condeterminans, nisi directe, vel indirecte: sed non potest impedire *directe*, & *immediate;* quia ille solum sic potest impedire actum secundum liberum, qui illum potest ponere: atqui decretum divinum homo non potest ponere; cum illud sit actus voluntatis divinæ: ergo &c. Neque potest voluntas creata impedire tale decretum *mediate*, & *indirecte;* quia non potest impedire actum primum proximum, ut jam probatum est: ergo &c. 139

℞. N. M. Non enim directe, nec indirecte, sed solum *concomitanter* nostra voluntas impedit decretum divinum condeterminans, quatenus nostra voluntate se non determinante, vi legis generalis neque Deus, habens in summo gradu perfectionem coincidendi se determinat. Si autem exempla talis concomitantis impedimenti in duabus voluntatibus, vel causis creatis desunt, id inde venit, quia non est tanta subordinatio, aut connexio inter duas causas secundas, quanta est inter unam causam secundam, & alteram primam.

Porro si aliquis nolit esse contentus hac solutione, tunc ei ℞. 2. & dico, quod homo etiam directe possit impedire decretum Dei concomitans, quatenus illud virtualiter, & æquivalenter directe cum Deo omittit; quippe secundum superius dicta decretum Dei concomitans est æquivalenter nostrum decretum, & voluntas Dei æquivalenter, & eminenter est nostra voluntas: ergo si Deus directe omittit decernere nostrum actum, tunc virtualiter cum Deo omittimus nos determinare talem actum, & si nos omittimus, tunc etiam Deus omittit.

Atque hæc sunt, quæ ad laudatum argumentum ex ipso conceptu essentiali decreti condeterminantis reponi possunt, & a Cla- 140

riffimo P. Hermann nec adducta, nec refutata funt. Nihilominus de Deo volente fol. 458. ac num. marg. 329. & feq. affert duas refponfiones, quas tamen (faltem ut ibi proponuntur) non fcio effe a Scotifta aliquo datas, nec id certo colligere poffum ex modo loquendi Clariffimi P. Hermann, qui dubitantis potius, quam afferentis videtur effe; ait enim cit. n. 329. *forte aliquis refpondebit.* & n. 330. *refpondebit forte aliquis fecundo.* Verba Clariffimi P. Hermann ita fonant:

„ Forte aliquis refpondebit fic argumentando: poteft effe, ut „ Petrus non poffit impedire actum primum proximum liberum fuum „ ad volitionem, aut decretum fuum ambulandi, quando nempe „ Deus ipfe conferret totam libertatem ad talem actum, & tamen pof- „ fet impedire actum fecundum, five decretum ambulandi: ergo et- „ iam Petrus, licet in Paulo non poffet impedire actum primum „ proximum, vel partem hujus ad decretum ambulandi, vel actum „ primum proximum ad ipfam ambulationem, tamen poterit in Pau- „ lo impedire decretum ambulandi, vel ipfam ambulationem. „

„ Refpondebit forte aliquis 2do. Poteft adhuc oftendi, quod „ Petrus poffit in Paulo impedire actum fecundum illius liberum, li- „ cet ille in Paulo non poffit impedire actum primum proximum libe- „ rum ad actum fecundum: ergo &c. P. A. in hoc exemplo: pona- „ mus, quod Paulus ita fecum decernat: ego volo ambulare, fed „ tantum tunc, quando Petrus ambulaverit. Vel: ego volo ambu- „ lare, fed fi Petrus ambulaverit. In hoc cafu poteft Petrus impe- „ dire ambulationem Pauli, licet non poffit impedire iftam volitio- „ nem, vel decretum conditionatum: ego volo ambulare, fi Petrus „ ambulaverit. „

Quemcunque authorem hæ refponfiones habeant, fi ad fenfum Scotifticum reducantur, non penitus rejiciendæ videntur. Prima enim, fi antecedenti confequentia illa, quam Patroni decreti concomitantis inferre debent, & folent, fubftituatur, erit bona; facit enim hunc fenfum: Etiamfi Petrus in fe ipfo non poffit impedire actum primum proximum ad volitionem ambulandi, tamen poteft impedire volitionem ipfam, & decretum ambulandi, nempe directe: ergo etiamfi non poffit Petrus in Deo impedire actum primum proximum ad decretum condeterminans, tamen poteft in Deo impedire ipfum decretum condeterminans ad talem volitionem ambulandi. Hæc conclufio, de qua quæritur apud SSas ex priori antecedenti illata,

bona

bona eſt, ut colligitur ex Reſponſ. 2. quam dedi num. præc. Nam voluntas Dei eminenter eſt noſtra voluntas: ergo ſi noſtra voluntas, ut eminenter contenta in voluntate Dei, præſuppoſito toto actu primo proximo omittit, vel non ponit, & ſic directe impedit determinationem ſuam, tunc & Deus ſimultanee directe omittit, vel non ponit condeterminationem. Et hoc ad primam reſponſionem laudato loco adductam. Quod attinet ſecundam,

Dico, quod etiam poſſit Petrus in Paulo directe, vel ſaltem concomitanter impedire volitionem, & decretum ambulandi, etiamſi non impediat actum primum proximum, vel partem actus primi proximi requiſiti ad tale decretum, dummodo ea quoque cum proportione ponantur in Paulo, quæ nos in Deo exigimus ad decretum condeterminans. Primo ergo, ſicut in Deo debet juxta nos dari decretum generale, ſe in omnibus accommodandi creaturæ, ita etiam in Paulo debemus ponere hoc propoſitum, vel decretum quaſi generale, & prævium: *Ego volo ambulare, ſed tantum tunc, quando Petrus ſimul voluerit ambulare.* Verum hoc ſolum non ſufficit, ſicut in Deo decretum generale ſolum non ſufficit ad hoc, ut infallibiliter ſe ſemper poſſit condeterminare cum voluntate creata, ſed inſuper, ut habeatur paritas aliquo modo adæquata, debet etiam poni, quod Paulus ob ſimilitudinem in complexione, genio &c. habeat perfectionem incidendi ſimultanee in actum voluntatis Petri non prævisum, prout ſimilis coincidentia aliquoties caſu datur, & per conſequens non videtur eſſe impoſſibilis. Jam in hoc caſu non videtur implicare, quod ſtante illæſo toto actu primo proximo Paulus directe, vel concomitanter per Petrum impediatur a decreto, & volitione ambulandi; ſi enim Petrus omittit volitionem ſuam, tunc & Paulus partim ob decretum, & propoſitum ſuum, quo non vult ambulare, niſi ſimul volente Petro, tum ob perfectionem illam coincidendi cum Petro omittit volitionem ſuam, etiamſi omiſſionem Petri non præviderit; defectum enim hujus præviſionis ſupplet perfectio coincidendi cum Petro in omiſſionem, & actum ejus etiam non præviſum. Iſta igitur dicta ſunto pro aliquali declaratione reſponſionum a Clariſſimo P. Hermann relatarum, quæ ſive ſubſiſtant, ſive non, nihil detrahitur noſtræ ſententiæ, dummodo illa, quæ ex mente propria a Num. 138. usque ad 140. excluſive dixi, & illico ulterius dicam numeris duobus ſeqq. ſuum habeant robur. Igitur

141 Si hæc exempla, & refponfa immediate adducta non arrideant, aliud affero ex principiis Adverfariorum defumptum de voluntate, & habitu charitatis, juxta eos quoque fimultanee influentibus in eundem actum fupernaturalem amoris, ut videri poteft apud R. P. Gormaz Tom. 1. N. 1044. & alios RR. Certum enim eft, quod voluntas noftra ftante, & illæfo toto actu primo proximo poffit impedire habitum charitatis, ne hic influat in actum amoris fupernaturalem. Et hoc facit voluntas, dum omittit proprium actum; dum enim voluntas non agit, pariter fimultanee non agit habitus: ergo fimiliter noftra voluntas non agens poteft impedire decretum Dei condeterminans, feu poteft facere, ne Deus per fuum decretum coagat. Confequentia ex eo liquet; quia ficut habitus charitatis ex natura fua intrinfeca tantum poteft agere agente voluntate, & debet non agere non agente voluntate: ita quoque divina voluntas ex Lege, & decreto generali eam fibi neceffitatem impofuit, ut fecundum curfum ordinarium fe nequeat determinare ad aliquem actum noftræ voluntatis, nifi coagente, & fimultanee determinante voluntate noftra. Quare, fi juxta Adverfarios voluntas influxum habitus in actum charitatis fupernaturalem impedit directe, vel indirecte, vel alio modo, tunc eadem ratione & modo voluntas creata impedit decretum Dei condeterminans.

142 Denique fi omnino nihil ex hactenus dictis placet Adverfariis, faltem difplicere non poterit refponfio, quam deduxi ex ipfis Affertis Clariffimi P. Hermann in doctiffima Difput. de Deo volente f. 207. N. 143. Ibi enim concedit. & fupponit, decreta divina effe a creatura impedibilia, fi actus Dei contingentes ita explicentur, ficut nos SSæ explicare folemus. Ipfa verba Eruditiffimi Authoris legere potes cap. 3. n. 15. Et profecto ille impedire poteft decretum Dei terminative fpectatum, qui poteft impedire neceffariam conditionem in obliquo connotatam, fine qua decretum non datur: atqui in noftro fyftemate de actibus contingentibus Dei liberis creatura poteft impedire, vel libere omittere conditionem in obliquo connotatam, fine qua decretum condeterminans non datur; nam creatura, ftante etiam toto actu primo proximo poteft impedire, vel omittere actum propriæ voluntatis, qui eft illud connotatum, & conditio neceffaria ad decretum. Vide dicenda Tract. feq. Differt. 3. Art. 1.

143 Objic. 2. cum P. Viva. Juxta hanc fententiam duo immediate libera, nimirum Deus & homo, influerent in eundem actum: fed

hoc

hoc eſt falſum; ſic enim non amplius poſſet demonſtrari Unitas Dei, quæ inde præcipue probatur, quia duo immediate libera entia non poſſunt dari: ergo. ℞. 1. Retorq. argum. in concurſum ſimultaneum Dei cum creatura ad eundem aƈtum liberum creaturæ, qui concurſus Deo eſt eodem modo liber, quo ei liberum eſt decretum condeterminans.

℞. 2. in forma D. M. Duo immediate libera, quorum unum eſſentialiter ſubordinatur alteri, tanquam ſuperiori & digniori Tr. M. ſecus n. M. Non poſſunt dari duo entia immediate libera, quorum unumquodque eſſet ens ſupremum, & ex quibus nullum ſubordinaretur alteri. Aſt hoc in noſtra ſententia haud ſequitur.

Dixi: Tranſ. Maj. quæ forte melius negari poteſt, & debet. Nam ſi accipiamus libertatem *immediatam* in eo ſenſu, in quo eam accipiunt Patroni ſcientiæ mediæ, tunc Deus ſe condeterminando cum creatura non exercet immediatam libertatem, ſaltem phyſicam, utpote per quam intelligunt illam, quæ excludit etiam neceſſitatem conſequentem. Unde volunt, Deum in tempore non concurrere immediate libere cum creatura; quia ſibi ipſi neceſſitatem conſequentem impoſuit, vel per decretum indifferens offerens concurſum paratum, vel per negationem, aut omiſſionem liberam decreti impedientis omnipotentiam a concurſu, prout advertit Clariſſ. P. Ant. Mayr Theol. Schol. Tr. 5. n. 79. Atqui in hoc ſenſu etiam juxta SSas Deus ſe non condeterminat immediate libere, ſaltem libertate phyſica; quia eſt neceſſitatus conſequenter per decretum generale ad condeterminandum juxta exigentiam creaturæ, prout omnes notant, qui decretum concomitans defendunt. Videatur Smiſing Tr. 3. Diſp. 3. q. 3. n. 82. ubi ait, Deo eſſe phyſice, & moraliter impoſſibile, ſeſe non accommodare, & non condeterminare, vel concurrere cum creatura juxta ejus exigentiam.

Objic. 3. Cum Clariſſimo P. Hermann de Deo volente n. 164. 144
Modus decernendi libertatem, ſeu aƈtum liberum, aliaque media ad illum non prælucente aliqua ſcientia de hoc, quem, & qualem eventum talia media eſſent habitura, arguit ignorantiam & præcipitantiam in Deo, & exponitur periculo fruſtrationis non prævíſæ: ergo requiritur ſcientia media, ſemper prælucens ante decreta divina. Reſponderi poſſet 1. Tranſ. ant. diſt. conſ. Requiritur aliqua ſcientia media in ſenſu RR. n. c. aliqua ſcientia media, id eſt, conditionata, ac fundata in aliquo decreto aƈtuali ſubd. requiritur talis ſcientia ante decreta Dei,

tam objective, quam subjective absoluta tr. c. requiritur talis scientia etiam ante decreta subjective absoluta, & objective conditionata n. c. Hæc responsio est conformis doctrinæ Mastrii allegandæ Differt seq. Art. 1. §. 2. n. 157.

Verum si quis sequi velit sententiam P. Smising, propositam mox cit. loc. n. 158. vel aliam cujusdam alterius Scotistæ, declaratam ibidem N. 159. debet respondere aliter 2do Neg. ant. Ratio negandi patet ex dictis n. 132. Ille non agit præcipitanter, vel ignoranter, qui eam habet præcognitionem, quam potest, & debet habere: ast vero Deus ante suum decretum, quo vel absolute, vel conditionate decernit actum liberum creaturæ, non potest aliam de eo præcognitionem habere, quam simplicis intelligentiæ; quia juxta dicta ante omne decretum Dei actus talis nec potest esse, nec cognosci futurus, seu conditionate, seu absolute: adeoque tunc solum potest cognosci ut possibilis per scientiam simplicis intelligentiæ. Nec est periculum errandi, vel frustrationis ob infinite rectam voluntatem divinam, quæ ipsa sibi est sufficientissima regula, nec indiget alia directione, emendicata ab exploratione eventus futuri creati, ut optime docet Scotus q. 4. Prol. §. *licet hæc responsio*. n. 36. Et plane videtur esse aliqua imperfectio in nostra voluntate, quod ea in agendo sit præcipitantiæ, & frustrationis periculo subjecta, nisi lucem & regulationem præviam accipiat ab intellectu, explorante prius, quid sub hac, vel illa circumstantia eventurum, vel non eventurum sit: quæ tamen imperfectio a voluntate infinite perfecta Dei longe abesse debet.

145 Dices: Deus se condeterminat determinationi creaturæ, ut determinate futuræ: ergo, ne ignoranter agat, debet determinationem creaturæ prius per scientiam mediam cognoscere ut determinate futuram. ℞. 1. Retorq. Argum. Deus per decretum suum præfiniens juxta Patronos scientiæ mediæ se determinat ad actum creaturæ absolute futurum: ergo etiam debet Deus ante decretum suum præfiniens cognoscere hujusmodi actum ut absolute futurum: quam consequentiam tamen negant Adversarii. ℞. 2. in forma n. c. ratio negandi colligitur ex dictis.

146 Objic. 4. Determinatio Dei est prior natura, quam determinatio creaturæ: ergo non est concomitans. a. p. Determinatio creaturæ dependet a determinatione Dei, non autem determinatio Dei dependet a determinatione creaturæ: ergo determinatio Dei est natura prior, quam determinatio creaturæ. conf. liquet ex conceptu priorita-

tis

tis naturæ. ℞. N. a. ad prob. d. a. determinatio creaturæ dependet a determinatione, vel decreto Dei, ita tamen, ut determinatio Dei libere expeƈtet ſimultaneam cooperationem creaturæ c. a. ſecus n. a. Quia Deus decreto ſuo generali ſtatuit, ſe cauſis ſecundis quoad aƈtiones liberas nullum velle ponere obſtaculum, ideo attemperat ſe concurſui creaturarum, & libere eum expeƈtat: & hinc excludit omnem prioritatem naturæ, & ſolam admittit prioritatem dignitatis; hæc enim ipſi convenit tanquam cauſæ primæ, & primo libero, a quo cauſa ſecunda libera & ipſam potentiam libere agendi, & concurſum ſimultaneum ad ſuos aƈtus liberos neceſſario accipere habet.

Diſtinguo etiam alterum membrum antec. Determinatio Dei non dependet a determinatione creaturæ tanquam ab aliquo priore, & ex indigentia, & neceſſitate antecedenti c. a. non dependet, id eſt, non conneƈtitur ſimultanee cum determinatione creaturæ ex mera liberalitate, & neceſſitate conſequenti, quam Deus ſibi ipſi impoſuit per decretum generale n. a. Quare ſi Deus non diſpenſet in ſuo decreto generali, datur mutua connexio inter voluntatem divinam & creatam in ordine ad decernendos aƈtus liberos creaturæ. Unde, etiamſi Deus non dependeat proprie a voluntate creata, tamen in condeterminando, & decernendo aƈtus ejus liberos, eandem vi ſuæ legis generalis coëxigit.

Objic. 5. Decretum Scotiſticum ſe tenet ex parte aƈtus primi proximi: ergo eo ipſo lædit libertatem, & eſt prædeterminans. ℞. N. a. Decretum condeterminans eſt ſimultaneum cum determinatione noſtræ voluntatis ad ſuum aƈtum: atqui determinatio noſtræ voluntatis ſe tenet ex parte aƈtus ſecundi: ergo & decretum condeterminans Dei. Deinde decretum condeterminans habet ſe eodem modo, quo cauſalitas fundamentalis in aƈtu ſecundo, quæ utique ſe tenet ex parte aƈtus ſecundi. De hoc plura Traƈt. ſeq. Diſſert. 3. Art. 1. 147

§. III.

Solvuntur Objeƈtiones reliquæ.

Objic. 6. Si Deus coincidit per ſuum decretum concomitans in noſtras determinationes liberas, tunc coincidit in eas, ut in ſe 148

exiſtentes, vel ut exiſtentes in alio? neutrum poteſt dici: ergo. m.p. non enim coincidit in determinationes noſtras, ut in ſe exiſtentes; cum decretum Dei exiſtat ab æterno, & noſtræ determinationes tantum exiſtant in tempore. Neque poteſt dici alterum; quia non poteſt oſtendi, in quo exiſtant, & contineantur determinationes noſtræ liberæ. Siquidem non continentur in eſſentia, vel voluntate divina; alias noſtra determinatio præcederet omnino pro aliquo ſigno decretum, & determinationem Dei, ſicut eſſentia divina, & voluntas præſupponitur omni decreto Dei. nec continentur in ipſo decreto divino; cum non poſſit explicari, quomodo decretum poſſit ſe condeterminare ad aliquid in ſe contentum: ergo.

℞. c. M. n. m. ac dico ſub convenienti explicatione, quod Deus coincidat in noſtras determinationes tam in ſe, quam in alio exiſtentes. Ad prob. 1mi membri, ſi ita argumentetur Patronus ſcientiæ mediæ, Retorq. argum. etiam determinatio, & operatio creaturæ in ſententia Adverſariorum tantum exiſtit in tempore, & tamen logice, & objective poteſt pro aliquo ſigno in cognitione divina præcedere æternum Dei decretum: ergo non eſt ratio, cur non etiam in noſtra ſententia determinatio in tempore extitura logice poſſit eſſe ſimul cum decreto divino, hocque in illam ut logice, & objective coëxiſtentem concomitanter incidere. ℞. 2do diſt. illud primum membrum probationis. Non coincidit in determinationes noſtras in ſe phyſice, & realiter exiſtentes ab æterno conc. ſaltem objective, logice, vel virtualiter exiſtentes, & affirmabiles ab æterno, & quidem pro eodem ſigno, quo Deus ſe determinat, neg. Deus per ſuum decretum ab æterno tantum determinat illos actus a creata libertate in tempore eliciendos, quos ipſa creatura libere determinabit. Deinde, quamvis Dei determinatio *ab æterno* ſit, non tamen eſt *pro æterno*, ſed pro tempore, & quidem pro illo determinato inſtanti temporis, & ſigno etiam naturæ, quo creatura ſe determinabit libere. Atque adeo decretum Dei in tempore ſimultanee incidit in determinationem creaturæ ut formaliter exiſtentem, ab æterno vero comitatur eam ut objective, & logice ſaltem exiſtentem; quia ab æterno jam fuit affirmabilis determinatio creaturæ pro eodem ſigno naturæ, pro quo fuit affirmabile decretum Dei determinans actum creaturæ liberum.

Ad alterum membr. probationis concedo lubens, determinationem creaturæ non contineri in eſſentia, & voluntate divina; nam eſſentia, & voluntas divina habent ſe ex parte actus primi: inde

in

in voluntate divina continetur tantum voluntas creata, ut potens ſe pro libitu determinare, non autem ut aƈtu ſe determinans. Unde decretum divinum non coincidit in determinationem creaturæ, tanquam in aliquid contentum in eſſentia, vel voluntate divina. Quo non obſtante poteſt dici, quod determinatio noſtra contineatur virtualiter in decreto Dei. Etenim quia Deus ſuo decreto determinat ſolum eos aƈtus noſtræ voluntatis, ad quos nos ipſos libere determinabimus in tempore, ideo tale decretum eſt formaliter determinatio Dei, & ſimul virtualiter, & æquivalenter determinatio noſtra: ergo poteſt decretum illud qua formalis determinatio Dei coincidere in ſe ipſum, quatenus ſimul eſt determinatio virtualis, & æquivalens creaturæ. Profeƈto Recentiores paſſim affirmant, concurſum Dei, & creaturæ in tempore eſſe ſimultaneum, quamvis aƈtio, qua Deus & creatura ſimultanee influunt, juxta ipſos a parte rei non diſtinguantur: ergo idem dici poteſt in noſtro caſu, ſcilicet Deum & creaturam per determinationem, & decretum ſuum ab æterno coincidere, quamvis determinatio Dei & creaturæ non diſtinguantur a parte rei, ſed ſint idem decretum divinum.

Objic. 7. Decretum condeterminans juxta nos fundatur in e- 149
minentiali continentia voluntatis noſtræ: ſed in hac non poteſt fundari: ergo m. p. Continentia eminentialis non ſalvat libertatem creaturæ, ſed ei potius obeſt: ergo non poteſt in ea fundari decretum condeterminans, quod ad ſalvandam libertatem creaturæ excogitatum eſt. a. p. Continentia eminentialis libertatis creatæ eſt in Deo neceſſaria: ergo non ſalvat libertatem. ℞. N. m. ad prob. d. ult. a. continentia eminentialis eſt neceſſaria in ratione eſſendi c. a. in ratione agendi n. a. ſic etiam anima rationalis neceſſario eſt libera, ſeu neceſſario habet voluntatem, tanquam potentiam liberam, non tamen voluntas neceſſario operatur, ſed ejus aƈtio eſt libera. Ita cum proportione neceſſario competit Deo continentia eminentialis noſtræ libertatis, ſalvo tamen modo libere agendi, ut partim jam explicatum eſt in ſuperioribus, partim amplius explicabitur in reſponſione ad objeƈtionem ſequentem.

Objic. 8. Quamvis Deus eminenter in ſe contineat noſtram li- 150
bertatem, & voluntatem, tamen exercitium libertatis divinæ non eſt eminenter exercitium noſtræ voluntatis, nobis imputabile: ergo ex continentia eminentiali libertatis noſtræ in Deo nihil pro no-

 bis

bis probamus. a. p. ſi exercitium libertatis, & voluntatis divinæ ſemper eſſet eminenter exercitium noſtræ voluntatis, tunc quidquid Deus decerneret, vel faceret, nos cum ipſo eminenter decerneremus; ſic cum ipſo eminenter decreviſſemus mundum, patraremus miracula &c. atqui ſequela eſt falſa: ergo. ℞. D. a. quamvis Deus in ſe eminenter contineat noſtram libertatem, tamen *omne* exercitium voluntatis divinæ non eſt eminenter noſtrum exercitium c. a. *aliquod* exercitium voluntatis divinæ non eſt eminenter, vel virtualiter noſtrum n. a. Ex eminenti continentia voluntatis noſtræ in divina minime inferimus, omnia decreta Dei eſſe virtualiter, & eminenter noſtra decreta: ſed tantum illa dicimus eſſe noſtra, & nobis imputabilia, quibus Deus vi ſuæ legis generalis ſe accommodans noſtræ libertati decernit ſolum illos actus, quos nos in tempore determinabimus, alios etiam decreturus, ſi nos in tempore alios eſſemus poſituri. Ex quo manifeſtum eſt, quod decretum condendi mundum &c. non ſit nobis imputabile, quia per illud non decernitur aliquis actus nobis liber, & a nobis libere ponendus; creatio enim mundi eſt actio ſoli Deo libera.

Dices: Saltem Deus non poſſet per omnem ſuam potentiam nos neceſſitare ad aliquem actum voluntatis noſtræ, neque Beatos ad amorem beatificum: atqui ſequela eſt abſurda: ergo & id, unde ſequitur. M. p. nam omne illud, quod Deus libere decerneret, & faceret circa actus noſtræ voluntatis, hoc & nos libere feciſſemus, & determinaſſemus ob continentiam noſtræ voluntatis in voluntate divina, ob quam omnia, quæ Deus circa actus noſtræ voluntatis decernit, nobis imputari deberent: ergo. ℞. N. M. ad prob. n. a. ut jam ſuperius inſinuavi. Continentia eminentialis tantum facit, quod Deus *poſſit* coincidere in actus noſtros liberos, illos ſolum decernendo futuros, quos in tempore libere ponemus: non autem vi hujus continentiæ Deus ſemper neceſſario, & indiſpenſabiliter *debet* ſic coincidere; nam ſi non vult agere ut author naturæ, & cauſa prima, ſed ut abſolutus Dominus, poteſt ſuſpendere ſuum concurſum, vel omnino antecedenter neceſſitare, & prædeterminare ad aliquem actum bonum, ut jam dixi, & iterum dicetur Tract. ſeq. Diſſert. 2. Art. 2. §. 1. & ſeqq.

151 Objic. 9. Deus in ſola prædeterminatione morali, ſalva noſtra libertate, videre poteſt futura contingentia nobis libera: ergo ſuperfluit decretum condeterminans. a. p. Prædeterminatio moralis conſiſtit in gratia, non quidem intrinſece efficaci, ſed tamen in tali, quæ

ſumpta ſimul cum circumſtantiis v.g. bonæ indolis illius, cui confertur: temporis, in quo confertur &c. conſtituit tale complexum, ex quo moraliter certo ſecuturus ſit conſenſus, ita quidem, ut quamvis homo ille ſtante hoc complexo gratiæ, & circumſtantiarum poſſit diſſentire, tamen non ſit diſſenſurus, ſed certo conſenſurus: atqui in tali gratia, vel complexo poteſt Deus ſalva noſtra libertate videre futura contingentia nobis libera: ergo. Atque ſic quoad rem docent, & objiciunt graves plane Theologi, ut Illuſtriſſimus Aravio Episcopus Segovienſis, & alii apud Clariſſimum P. Hermann de Deo ſciente n. 186. videndi.

℞. N. a. ad prob. nego, talem ſcientiam in Deo ſufficere; ſiquidem divino intellectui circa noſtros actus liberos futuros concedenda eſt ſcientia omnino perfectiſſima, proindeque non ſolum moraliter, vel phyſice, ſed metaphyſice, & in ſummo gradu infallibilis; hoc enim exigit infinita perfectio cognitionis divinæ. Jam vero ſcientia iſta, quam adſtruunt Adverſarii hi doctiſſimi, nec metaphyſice, nec phyſice, ſed ſolum moraliter eſt infallibilis; quia fundatur tantum in medio moraliter infallibili, ac neceſſitate morali, non autem abſoluta inferente noſtros actus liberos.

Concedo quidem, quod Deus habeat ſcientiam modificatam, & reflexam ſupra ipſam infallibilitatem moralem ejusmodi eventus futuri dependenter a prædeterminatione morali, ut eam vocant, ſeu quod cognoſcat reflexe prædeterminationem illam moralem eſſe infallibiliter, nimirum infallibilitate morali, connexam cum conſenſu humano. Neque nego, ejusmodi ſcientiam reflexam in Deo eſſe metaphyſice infallibilem; nam metaphyſice certum eſt, prædeterminationem prædictam tantum moraliter, non vero metaphyſice connecti cum conſenſu. Aſt talis ſcientia reflexa ſupra modum infallibilitatis non ſufficit in Deo; quia ad perfectionem infinitam divinæ ſcientiæ ſpectat etiam *directe* cognoſcere, quid certo & infallibiliter, infallibilitate metaphyſica homo in talibus circumſtantiis, & ſtante tali complexo ſit facturus; etenim hujusmodi cognitio directa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: hinc Deo tribui debet, maxime, quia poſſibilitas, & exiſtentia illius mediante decreto concomitanti ſatis probatur.

Res hæc explanatur exemplo. Deus ſcientia metaphyſice infallibili cognoſcit reflexe probabilitates omnium ſententiarum. Verum talis modificata, & reflexa cognitio, qua modum probabilitatis in-

telligit,

telligit, minime fufficit in Deo, fed debet infuper in eo effe fcientia directa, qua ipfa objecta, circa quæ probabilitates illæ verfantur, in fe clariffime, ac metaphyfica infallibilitate infpiciantur. Idem dic in propofito.

Differtatio IV.

QUOMODO DEUS SCIAT FUTURA CONTINGENTIA CONDITIONATA?

152 Ex titulo patet, non effe modo fermonem de futuris conditionatis neceffariis, de quibus jam fuperius dixi, nempe differt. præc. art. 3. quod per fcientiam fimplicis intelligentiæ cognofci petant. Loquendo vero de futuris contingentibus conditionatis, notandum eft, ea effe duplicis generis. Aliqua funt foli Deo libera, feu dependent unice a voluntate divina, ut ponantur, vel non ponantur, pofita certa conditione. Alia funt etiam nobis libera, & funt actus noftræ voluntatis vel imperati, vel eliciti, dependenter a certa conditione futuri, v. g. pænitentia a Petro agenda, fi ille in his, vel illis circumftantiis foret. De prioribus, feu foli Deo liberis, quæ juxta RR. cognofcuntur per fcientiam *mediam reflexam*, agam Art. 3. feq. De pofterioribus vero, feu illis, quæ nobis funt libera, & per fcientiam *mediam directam* juxta noftros Adverfarios intelliguntur, mox controverfia erit. Inde fit

Articulus I.

An futura contingentia conditionata nobis libera cognofcantur per fcientiam mediam directam, vel mediante aliquo decreto actuali?

§. I.

Advertuntur aliqua, & ftatuuntur Affertiones.

153 Nota 1. omnia, quæ dixi Differt. præc. art. 3. §. 1. præfertim, quod non loquamur de futuris conditionatis in materia mere difparata, ubi conditio ad conditionatum nullam dicit proportionem, aut conducentiam;

centiam; debet enim conditio se habere vel tanquam causa, vel ut occasio alliciens, aut movens ad conditionatum. Talia futura sequentibus propositionibus exprimuntur: *Si Petrus se junxerit malæ societati, pervertetur: Si Paulus ferventer oraverit, convertetur.* Ubi conditio habet semper habitudinem, & proportionem ad causandum conditionatum.

Nota 2. Etiam futura conditionata nobis libera, quæ non sunt in materia disparata, adhuc in duplici classe poni posse; aliqua enim ex iis sunt vere eventura, & alia non eventura. Vere eventura sunt, quorum conditio certo purificabitur. Taliter futurus erat lapsus Adami sub conditione, si poneretur in paradiso, & ei prohiberetur comestio de ligno scientiæ boni, & mali; etenim hæc conditio fuit adimpleta, & sic lapsus ille, qui sub conditione futurus erat, absolute evenit. Penitus non eventura sunt, quorum conditio nunquam implebitur. Sic 1. Reg. c. 23. Deus prædixit Davidi, Ceilitas esse eum Sauli tradituros, si apud ipsos maneret: quod quidem infallibiliter fuisset factum, si conditio impleta fuisset; quia tamen David non mansit, & conditio tali modo purificata non est, ideo traditio illius non fuit secuta.

Nota 3. Certum esse, quod futura conditionata nobis libera, seu certo eventura, seu non eventura infallibiliter a Deo cognoscantur. Ratio est 1mo. Cognitio ejusmodi futurorum importat perfectionem sine admixta imperfectione: atqui omnis perfectio, quæ non habet admixtam imperfectionem, debet Deo attribui: ergo. 2do Magna foret imperfectio, si Deus interrogatus, quid sub hac, vel illa conditione fieret, nihil posset respondere, vel deberet dicere: *Nescio.* 3tio Deus sæpius ejusmodi futura prædixit: atqui non potuisset ea prædicere, nisi ea infallibiliter scivisset: ergo &c. Major varie constat ex S. Scriptura; ut ex 1. Reg. c. 23. ut immediate antea notatum est: & ex illo Matth. 11. *Væ tibi Corozaim! væ tibi Betsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Quo in textu sub conditione virtutum & miraculorum prædicitur futura poenitentia Tyriorum, quæ tamen ob non purificatam conditionem non evenerat.

Nota 4. Quæstionem solum esse, an hæc futura conditionata videantur per scientiam mediam, vel mediante aliquo decreto jam posito, & actu existente? SSæ defendentes decretum concomitans cum

aliis plurimis asserunt, ea cognosci præsupposito decreto subjective absoluto, & objective conditionato. Hinc

Nota 5. Decretum conditionatum duplex posse a nobis concipi. Unum conditionatum *subjective*, & *ex parte actus*, quod scilicet actu non existit in Deo, existeret tamen, si certa conditio poneretur: vel est decretum tantum ponendum sub certa conditione, non vero est actu positum. Ejusmodi decretum, si possibile foret, ita tendere deberet: *Si Petrus esset in his circumstantiis, tunc decernerem ejus pœnitentiam.*

Alterum est absolutum *subjective*, seu *ex parte actus*, & conditionatum *ex parte objecti*, estque decretum actu absolute, & de præsenti existens in Deo, tendens tamen in objectum suum non absolute, sed conditionate. Tale decretum est hoc: *Decerno pœnitentiam a Tyriis agendam, si virtutes fierent apud ipsos, quæ in Corozain & Betsaida sunt factæ.* Quod decretum est quidem actuale; objectum tamen ejus, nempe pœnitentia Tyriorum non decernitur ut absolute extitura, sed tantum sub certa conditione. Quod exemplo aliquo ex contractibus desumpto illustrari potest; potest enim dari contractus actualis v. g. sponsalium, qui tamen ex parte objecti sit conditionatus: ut si duo sponsi actu promittant mutuo matrimonium certo ineundum, si eorum parentes consenserint.

Nota 6. In Deo non posse admitti decreta conditionata *ex parte actus.* Ratio est, quia decreta talia essent velleitates aliquæ, quæ sic explicari deberent: *si hæc conditio poneretur, vellem, vel decernerem hoc:* sed istæ velleitates important imperfectionem, Deo non convenientem: ergo &c. M. patet ex dictis. m. p. velleitates ejusmodi conditionatæ important suspensionem quamdam, & imperfectam inclinationem voluntatis, cum defectu sufficientis resolutionis & determinationis, qui in Deo tanquam actu purissimo implicat: ergo &c. H. N.

154 Assero 1. Dantur in Deo ejusmodi decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti. Communis TT. & SS. contra Doctores celeberrimæ Soc. Jesu. P. 1. Dantur futura conditionata libera, & quidem talia, quorum conditio nunquam purificabitur: sed ejusmodi futura necessario supponunt in Deo decretum actuale, & absolutum ex parte actus, ac conditionatum objective: ergo &c. M. est Adversariorum, qui constanter asserunt, hujusmodi futura conditionata esse objectum scientiæ mediæ. m. p. Ejusmodi

di futura ſunt actu extracta ex ſtatu poſſibilitatis, & ſunt determinata ad exiſtentiam infallibiliter habendam, ſi certa conditio poneretur: ergo ſupponunt cauſam actualem, ſeu actu exiſtens decretum, quod ea determinat ad eſſe futurum, ut colligitur ex dictis Differt. præc. art. 1. & 3. Deinde ejusmodi decretum eſt abſolutum ex parte actus; quia actu, & abſolute datur in Deo: eſtque ſimul conditionatum objective; quia decernit objectum ſuum tantum ut futurum ſub certa conditione: ergo &c.

P. 2. Deus circa omnia futura abſoluta habet decreta objective abſoluta: ergo etiam circa futura conditionata habet decreta objective conditionata. Hanc rationem adhibet, & pro more ſuo ſolidiſſime dilucidat R. P. Martinez de Deo ſciente controv. 4. Diſp. 1. ſect. 2. ubi admittit, in Deo eſſe poſſibilia decreta ſubjective abſoluta, & objective conditionata; concluſio enim ejus ſecunda ita ſonat: *Futuritio cauſalis conditionata eventus ſub hypotheſi non inferente illum determinate, ſed conjungibili cum oppoſito, poteſt deſumi formaliter a decreto Dei actu, & abſolute exiſtente, conditionato ex parte objecti.*

P. 3. Convenit perfectioni voluntatis divinæ, eam eſſe reſolutam circa quodvis objectum volibile, & eam decreviſſe, quid de quolibet objecto, vel re ſub quavis hypotheſi futurum eſſet: ergo dicendum eſt, quod ita actu jam decreverit voluntas divina. a. p. etenim ſuſpenſio, & dilatio reſolutionum noſtrarum ſemper aliquam imperfectionem adjunctam habet: adeoque ne ejusmodi imperfectionem in Deo admittamus, omnes tales ſuſpenſiones voluntatis ab eo eliminandæ ſunt.

Porro decreta illa, quibus decernuntur noſtri actus liberi ſub conditione futuri, ſunt etiam concomitantia, ne alias lædatur aut libertas noſtra, aut dominium Dei. Unde in ſenſu Scotiſtico ſic tendunt: *Decerno cum Tyriis & Sidoniis pœnitentiam ab ipſis agendam, ſi apud eos fierent virtutes, quæ in Corozain & Betſaida ſunt factæ.*

Aſſero 2. Deus futura conditionata libera, præſertim illa, quorum conditio nunquam purificabitur, cognoſcit mediante decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato objective, adeoque non per ſcientiam mediam. Ita allegati Aſſert. 1. Hæc Concluſio non indiget alia probatione, quam prior; etenim independenter ab ejusmodi decreto non habetur objectum verificativum cognitionis illius, qua

 futura

futura ista cognosci deberent; quia objectum verificativum talis scientiæ esset actus contingens conditionate futurus: sed nullus actus contingens potest esse conditionate futurus sine decreto subjective absoluto, & conditionato ex parte objecti: ergo &c. Quæ cum satis superque jam probata, & confirmata sint Dissert. præc. art. 1. & maxime art. 3. ideo ulteriori probatione supersedeo.

§. II.

Resolvuntur aliqua Quæsita.

156 Quær. 1. An duæ conclusiones præcedentes etiam intelligendæ sint de illis futuris contingentibus conditionatis, quorum conditio purificabitur, & quæ per consequens erunt absolute futura? Quæsitum istud contemnendum non est, quamvis mere domesticum, & Scotistis solvendum sit. Versatur autem status quæstionis præcipue in hoc, an Deus, antequam decernat, & videat actus nostros liberos absolute futuros, illos pro priori signo conditionate decernat, & mediante decreto objective conditionato intelligat? Claritatis gratia ponamus hanc veritatem conditionatam: *si Petrus accesserit ecclesiam, eliciet actum amoris.* Fingamus insuper, implendam esse conditionem, & accedendam Ecclesiam, proinde veritatem conditionatam transire in absolutam. Quo in casu dubitatur, an præter decretum, quo absolute decernitur actus amoris, a Petro eliciendus, prævie pro signo aliquo jam detur decretum objective conditionatum, quo determinatur conditionate actus amoris eliciendus a Petro, si accesserit Ecclesiam? Ad hoc dubium

157 Respondet 1mo. Mastrius 1. Disp. 3. n. 245. affirmative, putatque, talia decreta conditionata prævia esse necessaria in Deo. Ratio est: Ut Deus sapienter agat, & ne erret aliquid absolute decernendo circa actus nostros liberos, debet prius non solum intelligere per scientiam simplicis intelligentiæ, quid creatura possit agere in talibus circumstantiis, vel sub tali conditione, sed etiam quid re ipsa actura esset: atqui secluso decreto actuali objective conditionato Deus non posset videre, quid creatura esset determinate actura in talibus circumstantiis, & sub tali conditione, ut probatum est: ergo Deus deberet habere decretum actuale objective conditionatum.

Smising vero Tr. 3. disp. 2. n. 150. circa finem Respondet negative. Ejus verba sunt: *Non existimo, Deum præter decreta absoluta habuisse aliqua conditionata de futuris, quæ aliquando absolute erunt, ut infra ostendam, sed de his habuisse decretum absolutum: de aliis autem quibusdam bonis, aut malis sub conditione tantum, & non absolute futuris habuisse decreta conditionata.* similia alibi repetit. Unde etiam n. præc. nempe 149. ad decretum, quo absolute decernitur aliquis actus noster liber, non prærequirit aliam scientiam, quam simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit, quid homo in quavis occasione, circumstantia, & sub conditione cujusvis gratiæ possit agere. Rationes, quæ saltem ex parte hanc opinionem probant, num. seq. adducentur. 158

Alius Scotista apud Mastrium jam citatum, tacito nomine allegatus, in medio inter duas præfatas sententias incedit, dicens, etsi antecedenter ad absolutum decretum suæ voluntatis Deus futura contingentia certo cognoscat mediante aliquo decreto objective conditionato, nihil tamen ejusmodi cognitionem conferre ad decretum absolutum. 159

Igitur ultima hæc responsio admittit, vel saltem transmittit in Deo decreta conditionata etiam de illis futuris actibus liberis, qui erunt aliquando absolute futuri, additque, ejusmodi actus ut conditionate futuros mediante decreto objective conditionato a Deo cognosci, antequam absolute decernantur. Nihilominus contendit simul, talem scientiam conditionatam in decreto concomitanti objective conditionato fundatam, non esse necessariam ad absolute decernendos nostros actus liberos, adeo quidem, ut, si per impossibile, aut alia quacunque de causa Deus nihil conditionate prius decrevisset, neque præsciret, quid creatura esset determinate actura sub tali conditione, vel in tali occasione, tamen posset absolute condecernere actum nostrum infallibiliter futurum in ejusmodi occasione, sine omni læsione libertatis nostræ, & absque periculo errandi.

Ratio hujus est: supposita scientia simplicis intelligentiæ voluntas divina ob eminenter in se contentas nostras voluntates &c. potest sine periculo errandi, vel lædendi nostram libertatem coincidere decreto suo absoluto in id ipsum, quod non eligemus absolute in tempore: ergo scientia illa conditionata fundata in decreto concomitanti objective conditionato, etiamsi præcedat decretum divinum absolutum de nostris actibus liberis, tamen ad hoc non est necessaria;

per confequens, fi per impoffibile &c. fcientia conditionata, vel decretum conditionatum in Deo non effet, tamen poffet abfolute decernere actus noftros liberos.

Confirm. 1. Suppofita fola fcientia fimplicis intelligentiæ voluntas divina ob eminenter in fe contentam voluntatem humanam, & perfectionem fuam infinitam fine periculo errandi, & lædendi noftram libertatem fefe determinate, & infallibiliter conditionate condeterminat ad noftros actus liberos fub conditione futuros: ergo etiam fuppofita fola fcientia fimplicis intelligentiæ &c. fic fe condeterminare poteft ad actus noftros abfolute futuros. antec. eft Scotiftarum condeterminantium omnium, & patet; nam fi ante quodvis decretum condeterminans objective conditionatum deberet fcientia vifionis, & aliud decretum objective conditionatum præcedere, fieret proceffus in infinitum, ut confideranti patet. conf. tenet a pari; fola enim conditio, quæ in futuris conditionatis adhuc fufpenfa eft, & in futuris abfolutis jam eft impleta, non facit difparitatem; quia non determinat, nec determinare poteft voluntatem divinam, ut infallibiliter illud decernat, quod creatura eliget; fiquidem & ipfa conditio fupponitur effe contingens, & talis, quæ poteft ftare vel cum extremo, quod creatura eligit, vel cum oppofito ejus: fic auditio concionis tanquam conditio ex fe indifferenter poteft conjungi cum pœnitentia Petri, vel cum omiffione pœnitentiæ.

Confirm. 2. Decretum objective conditionatum, & decretum abfolute decernens noftros actus liberos non videntur diftingui; etenim illud ipfum decretum, quod pro priori ante impletam conditionem fupponebatur effe conditionatum, tranfit in abfolutum purificata conditione; ea quippe eft natura actuum voluntatis conditionatorum, ut purificata conditione ftatim fiant abfoluti fine novo actu alio: ut patet in contractibus conditionatis, qui pofita conditione fine novo confenfu alio abfolute obligant: ergo fi ad decretum conditionatum non requiritur alia fcientia, quam fimplicis intelligentiæ, tunc neque ad decretum abfolutum; ad hoc enim, ut actus voluntatis conditionatus fiat abfolutus, nihil aliud requiritur, quam ut purificetur conditio, non autem debet nova aliqua fcientia accedere. Deinde ejusmodi nova fcientia, qua prævideretur, quid creatura fub tali conditione effet actura, non prodeffet ulla ratione in ordine ad decretum abfolutum formandum.

Vel

Vel enim deberet Deum dirigere ad illud ipsum decernendum, quod jam conditionate decrevit? Ast ad hoc jam est sufficienter directus, & determinatus per decretum præcedens conditionatum, quod est infallibile, ita, ut posita conditione tale decretum conditionatum sit evasurum absolutum, vel saltem actus prius conditionate decretus, purificata conditione necessario sit absolute futurus. Vel deberet Deum dirigere ad aliquid aliud absolute decernendum, quam illud, quod conditionate decrevit? Ast hoc est impossibile; si enim Deus conditionate decrevit, Petrum esse acturum pœnitentiam, si audiat concionem, impossibile est, ut decernat absolute, Petrum non esse acturum pœnitentiam impleta conditione, & audita concione; secus enim foret mutabilis in suis decretis: sicut & ille homo mutabilis foret, qui aliquid sub certa conditione promittens, illa impleta promissum servare nollet, vel revocare vellet.

Vel denique scientia ista, de qua quæritur, deberet Deum dirigere, ne erret in præparando, aut concedendo auxilio efficaci infallibiliter connexo cum actu libero hominis, salva ejus libertate? Ast non debet Deum dirigere ad præparationem ejusmodi auxilii; nam præparatio medii & auxilii efficacis, ac infallibiliter connexi cum actu creaturæ libero, præsupposita sola scientia simplicis intelligentiæ jam facta est per decretum condeterminans conditionatum; siquidem eo ipso, quod Deus sub conditione auxilii, aut occasionis A se condeterminaverit ad actum amoris Petri, cum hoc actu infallibiliter connectitur auxilium, vel occasio A, ita, ut posito isto auxilio certo sit ponendus ille actus. Atque hæc præparatio medii efficacis per decretum conditionatum fit sine periculo errandi, vel lædendi libertatem creatam, ut Adversarii admittunt. Neque ejusmodi prævisio Deum dirigere potest ad concedendum absolute auxilium, vel medium efficax &c. Nam quamvis Deus prævideat Petrum in circumstantia A bene, in circumstantia B male acturum, auxilio A bene, auxilio B male usurum, tamen non tenetur, determinate Petrum ponere in circumstantia A, vel ei concedere auxilium A; quia collatio auxilii, vel medii determinate connexi cum actu libero bono est specialis, & indebitus favor, quem secundum receptam Theolog. sententiam Deus non præstat necessario, quacunque prævisione conditionata præcedente: ergo &c.

Accedit, quod SSæ qui aliter sentiunt, videantur primum principium, cui innititur scientia media, concedere, nempe hoc, quod ad

ad salvandam libertatem nostram, & cavendum periculum errandi Deus, priusquam decernat actus nostros liberos, semper indispensabiliter debeat per scientiam conditionalem explorare, & consultare, quid creatura esset in his circumstantiis, hac occasione, cùm hoc auxilio actura.

160 Diversas istas opiniones non ideo attuli, ut ipsus de illis feram sententiam, sed ut ferendam doctioribus relinquam: eligat quisque illam, quæ suis principiis magis apparet conformis. Hoc tamen puto negari non posse, quod saltem secundum nostrum cogitandi modum decreta illa, quibus determinantur nostri actus liberi, prius possint concipi ut conditionata, quam absoluta. Ratio est: Deus condecernit nostros actus liberos solum dependenter a certis conditionibus, circumstantiis, & occasionibus &c. ergo bene possumus concipere, Deum hos actus sub illa, vel ista conditione decernentem, antequam concipiamus conditionem impletam, & actus esse absolute decretos. Addi potest, quod talia decreta conditionata D. Augustinus supponat in Deo; nam (ut omittam alia) L. 1. de anima, & ejus origine c. 12. quærit, cur Deus hominem fecerit, quem præsciebat futurum esse non bonum? quæ interrogatio, ne ridicula sit, supponit in Deo scientiam conditionatam, qua ante decretum absolutum de condendo homine cognovit, *eum esse peccaturum, si conderetur.* Atqui hæc scientia conditionata non potuit dari sine decreto objective conditionato, ut satis probatum est.

Existimo ulterius, vel ipsum decretum objective conditionatum, quando purificatur conditio, transire in objective absolutum, vel saltem vi decreti conditionati debere tunc dari aliud absolutum, per quod illud absolute decernitur, quod prius sub conditione fuit decretum; secus enim prius decretum conditionatum esset frustrabile, & mutabile. Certum etiam esse judico, quod ad hoc, ut decretum conditionatum fiat absolutum, saltem requiratur decretum aliud absolutum purificans, & ponens conditionem. Ratio est: quia ex una parte decretum conditionatum non fit absolutum, nisi ponatur, & purificetur absolute, & actu conditio: ex altera parte purificari, & poni absolute non potest sine decreto Dei: ergo. a. quoad 1. memb. liquet, & quoad alterum declaratur exemplo. Hoc decretum conditionatum: *Condecerno Petri pœnitentiam, si habuerit auxilium A.* Hoc decretum, inquam, ut fiat absolutum, debet absolute decerni collatio auxilii A.

Quæ-

Quæres 2. Quomodo vocanda ſit ſcientia futurorum conditionatorum? ℞. Eam non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis. Ratio eſt: quia ſcientia futurorum conditionatorum præſupponit ante ſe aliquod decretum actuale, & eſt ſcientia libera: atqui ſcientia ſimplicis intelligentiæ non ſupponit ante ſe decretum, nec eſt ſcientia libera, bene vero ſcientia viſionis: ergo &c. 161

Quæres 3. An, & quomodo a Deo cognoſcantur futura conditionata diſparata? ℞. Diſtinguendum eſſe inter propoſitiones de futuris conditionatis diſparatis. Si enuntiant aliquam rem futuram ſub conditione tali, quæ neque ex divina ordinatione, neque ex natura ſua, vel alio ex capite habet connexionem, & convenientiam cum conditionato, tunc ejusmodi propoſitiones, in ſenſu vere conditionali prolatæ, omnino ſunt falſæ, neque ut veræ a Deo ſciri poſſunt. Talis propoſitio eſt: *Si Petrus Romæ dormiat, tunc Paulus Pariſiis ſtudebit:* Herincx part. 1. Tr. 1. diſp. 6. n. 70. Rationem ibi dat; quia particula conditionalis *Si* ſignificat aliquam dependentiam conditionati a conditione, tanquam a cauſa, vel occaſione alliciente &c. atqui hæc dependentia non datur in ejusmodi diſparatis propoſitionibus conditionalibus, in quibus conditio penitus impertinens eſt ad conditionatum: proinde tales propoſitiones, in ſenſu vere conditionali prolatæ, veræ non ſunt. Nihilominus ſi accipiantur in ſenſu non conditionato, ſed mere concomitanti, v. g. hoc: *Eo tempore, quo Petrus Romæ dormiet, Paulus ſimul Pariſiis ſtudebit:* tunc poſſunt eſſe veræ, & cognoſcuntur in decretis abſolutis, quorum unum ſomnum Petri, alterum ſtudium Pauli pro eodem tempore decernit. 162

Si vero futura conditionata diſparata ſunt talia, in quibus conditio non quidem ex natura ſua, ſed ex decreto, & ordinatione Dei habet convenientiam, & connexionem cum conditionato, tanquam hujus cauſa, occaſio, vel ſignum &c. tunc adhuc per ſcientiam viſionis mediante decreto divino cognoſcuntur. Ita Herincx cit. Viva part. 1. Curſ. Theol. diſp. 3. q. 6. n. 1. Exemplum hujus miniſtrat ſacer textus 4. Reg. 14. ubi Eliſæus Propheta ad Regem Iſrael ait: *Si percuſſiſſes* (terram ſagitta) *quinquies, aut ſexies, ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam usque ad conſumptionem.* Quo in caſu percuſſio terræ non habuit quidem ex natura rei connexionem aliquam cum effectu conditionate prædicto, habuit tamen ex ordinatione, & decreto divino, ſtatuente percuſſionem terræ quinquies, aut ſexies factam fore

ſignum infallibile percuſſionis Syriæ usque ad conſumptionem. Ex quo ſequitur, ſicut ad ſcientiam viſionis ſpectat liberum Dei decretum decernens conjunctionem hujus futuri conditionati cum tali hypotheſi, ita ad eandem ſcientiam pertinere ſaltem tanquam objectum indirectum ipſum futurum ejusmodi conditionatum. Ita diſcurrit Viva laudatus contra alios, qui exiſtimant, talia futura conditionata in materia diſparata, de quibus modo ſum locutus, cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia ſuppoſito decreto conditio cum conditionato neceſſario connectitur.

Articulus II.

Objectiones contra præcedentem Articulum.

Plura ſunt, quæ ab Adverſariis opponi ſolent noſtris concluſionibus priori articulo ſtatutis, ideo ea in plures §§. diſtribuere debeo.

§. I.

Solvuntur aliquæ Objectiones.

Nimirum illæ, quas collegi ex celeberrima diſputatione de Deo ſciente Clariſſimi. P. Georgii Hermann.

163 Igitur Objic. 1. ex iis, quæ laudatus habet n. 183. Deus videt abſolute futura in ſe ipſis: ergo & conditionate futura. ℟. 1. Retorq. argum. Juxta Clariſſimum P. Hermann, & Martinez allegatos Diſſert. præc. art. 3. §. 1. circa initium. Futura abſoluta non habent determinatam veritatem, nec poſſunt in ſe ipſis videri independenter ab omni decreto: ergo idem eſt de conditionate futuris. ℟. 2. D. a. Videt abſolute futura in ſe ipſis præſuppoſito decreto, tanquam cauſa futuritionis c. a. ſecluſo omni decreto n. a. & c. Etiam futuritio cauſalis & formalis conditionatorum non poteſt dari independenter ab omni decreto actuali.

164 Objic. 2. ex eodem num. Scientia media habet objectum verificativum: ergo ea datur. a. p. habet pro objecto conſenſum e. g. Petri ſub hac determinata conditione futurum; quia ſub illa conditione debet eſſe infallibiliter futurus, partim ex natura contradictionis,

nis, vi cujus una ex duabus propoſitionibus contradictoriis debet eſſe determinate vera, altera determinate falſa: partim ex ſuppoſitione, quod Petrus ſub tali conditione eſſet revera conſenſurus: ergo ſcientia media habet objectum verificativum.

℟. 1. indirecte. Si hic diſcurſus ſubſiſtit, tunc etiam ſcientia viſionis, qua cognoſcuntur contingentia abſolute futura, videtur ſine decreto habere objectum verificativum, partim ex natura contradictionis, partim ex ſuppoſitione, quod v. g. conſenſus Petri ſit abſolute futurus: atqui ſequela videtur eſſe contra Clariſſimum P. Hermann; qui de Deo ſciente n. 132. ad hoc, ut aliquod contingens ſit abſolute futurum, præter vim contradictionis, & illam ſuppoſitionem exigit quoque exiſtentiam actualis decreti. Verba ejus doctiſſima ſunt: *Inferimus certo, aliquid eſſe determinate futurum, & quidem inferimus determinate, aliquid eſſe determinate futurum, ſed non ex ſola natura contradictionis, ſed ex aliqua ſuppoſitione, e. g. quod nempe ex una parte Deus decretum fecerit conferendi auxilium, & concurrendi cum cauſa libera, & ex altera parte, quod creatura actu primo proximo &c. inſtructa ſe determinatura ſit ad unam partem libertatis, v. g. ad peccatum.* ergo. M. hujus reſponſionis indirectæ videtur liquere, tum, quia ipſe Clariſſimus P. Hermann cit. paritatem inſtituit inter abſolute, & conditionate futura: tum, quia aliunde non videtur poſſe quoad hoc punctum dari ſufficiens diſparitas. m. pariter ſatis clara eſt ex verbis mox recitatis doctiſſimi Adverſarii, & ex illis, quæ notavi Diſſert. præc. Art. 3. §. 1. n. 123.

℟. 2. in forma n. a. ad ejus prob. d. a. conſenſus Petri eſt ſub conditione futurus ex ſuppoſitione illa &c. quæ tamen ſuppoſitio ſine decreto actuali non datur c. a. ſecus n. a.

Objic. 3. ex num. 184. 1mo. SS. PP. clare docent ſcientiam 165
futurorum conditionalium, neque faciunt ullam mentionem decreti, in quo Deus illa videre deberet. 2do. Aliunde conſtat, dari in conditionate futuris aliquam determinatam veritatem. 3tio. Ipſi, qui negant ſcientiam mediam, concedunt a Patribus acriter eſſe defenſam humani arbitrii libertatem, quæ tamen ſecluſa ſcientia media non videtur poſſe ſalvari: ergo non poteſt negari, ſcientiam mediam eſſe agnitam a Patribus quoad rem, & ſubſtantiam.

℟. 1. indirecte: SS. PP. clare docent futura contingentia non cognoſci a Deo ſine decreto, neque faciunt ullam diſtinctionem quoad hoc inter abſolute, & conditionate futura, ut patet ex textibus il-

lorum. 2do. Efficaciter probatur aliunde, quod conditionate futura non habeant determinatam veritatem independenter ab omni decreto actuali. 3tio. Humani arbitrii libertas, a Patribus acriter defenfa, fine fcientia media per decretum concomitans optime videtur poffe falvari: ergo non poteft negari, etiam juxta SS. PP. futura conditionata folum cognofci mediante decreto conditionato.

℞. 2. Patres faciunt fufficientem mentionem decreti, quia fine diftinctione docent, quod futura contingentia mediante decreto a Deo videantur. Sic D. Auguft. L. 26. contra Fauftum c. 4. non diftinguens inter futura abfoluta, & conditionata, ait: *Non etenim futurum eft, nifi quod voluntas Dei habet, ut futurum fit.* Deinde dato, quod aliqui textus PP. qui requirunt decretum Dei, & præfcientiam futurorum contingentium, expreffe loquantur de futuris abfolutis; ex illis tamen optime ob paritatem rationis deducimus, etiam futura conditionata non poffe prævideri independenter ab omni decreto actuali. Nam ideo juxta SS. PP. non poffunt fine prædeftinatione, vel decreto præfciri futura abfoluta, quia fine decreto Dei nihil eft abfolute futurum: fed fine decreto Dei etiam nihil eft conditionate futurum: ergo. m. eft fufficienter probata Differt. præc. art. 3.

Quod fecundam, & tertiam partem attinet, jam fatis refponfum eft in fuperioribus. Breviter igitur 2dam partem dift. aliunde conftat, in conditionatis contingentibus dari determinatam veritatem, fuppofito decreto c. a. fecus n. a. Ad 3tium membrum n. a. Ratio negandi ex retorfione colligitur.

166 Objic. 4. Textus notabilis D. Auguftini L. 1. ad Simplicianum. q. 2. quem allegat Clariffimus P. Hermann n. 205. de Deo fciente. fic autem fonat: *Cujus autem miferetur* (Deus) *fic eum vocat, quomodo fcit ei congruere, ut vocantem non refpuat.* Hic textus videtur aperte fupponere fcientiam mediam: ergo. ℞. Conc. authoritatem, & eam fub diftinctione explico. quomodo fcit ei congruere, mediante aliquo decreto fubjective abfoluto, & objective conditionato *conc.* fecus *nego.* Hæc refponfio conformis eft doctrinæ Maftrii relatæ hac differt. n. 157. poteftque accommodari opinioni propofitæ n. 159. dummodo majoris claritatis gratia addatur fubdiftinctio hoc modo: *fic eum vocat, quomodo fcit ei congruere &c.* quomodo, inquam, fcit feclufo decreto objective conditionato, & fubjective abfoluto n. a. quomodo fcit mediante decreto prædicto fubd. ita tamen, ut hæc fcientia in decreto fundata

per se non sit necessaria ad congruam vocationem c. a. secus n. a. Ratio negandi colligitur ex dictis cit. n. 159.

Si autem aliquis sequi vellet systema P. Smising adductum n. 158. is deberet respondere conformiter iis, quæ habet laudatus Tr. 3. disp. 2. n. 149. deberet ergo explicare textum sub hac distinctione: quomodo scit ei congruere post decretum absolutum c. a. ante decretum absolutum subd. per scientiam simplicis intelligentiæ tr. a. per aliam scientiam n. a. Igitur secundum Smising ejusmodi textus, quorum plures refert cit. loco, solum loquuntur de ordine executionis in tempore, ac dicunt, quod Deus, antequam auxilium congruum in tempore executive concedat, jam ab æterno mediante decreto absoluto præviderit, hunc hominem infallibiliter esse convertendum per tale auxilium ei certo conferendum. Si tamen ejusmodi textus extendantur ad scientiam præcedentem omne decretum objective absolutum, tunc solum intelligendi sunt de scientia simplicis intelligentiæ, qua ante decreta sua Deus novit omnes causarum proportiones, auxiliorum congruentias, hominum dispositiones. Quid tamen ex causis sic proportionatis secuturum sit, non novit etiam sub conditione ante objective absolutum decretum suæ voluntatis de futuritione effectus. Videatur citatus. Impugnat quidem Doctiss. P. Hermann num. seq. 206. decreta hæc objective conditionata, eoquod essent inimpedibilia: verum hoc negatum jam fuit; sunt enim concomitantia, & existunt in nostra potestate, ita, ut possimus ea pro libitu impedire.

Objic. 5. Ex num. 198. SS. PP. sæpe docent, multa esse præscita, 167
quæ non sunt prædestinata: ergo potest dari præscientia saltem conditionate futurorum sine prædestinatione, & decreto Dei. a. p. D. Augustinus de Prædest. Sanctor. c. 10. dicit: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia: prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est: fecit, quæ futura sunt: præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Secundum hunc textum Deus præscit etiam actus nostros malos conditionate futuros; & tamen hi juxta eundem textum non possunt præsciri mediante aliquo decreto: ergo.

℞. Hunc textum nobis non opponi; imo enim loquitur de futuris absolutis, de quibus haud dubie intelligenda sunt hæc verba: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus &c.* ita autumat Platelius apud toties laudatum Hermann n. 201. & con-

 cedit

cedit R.P. Gormaz tom. 1. difp 11. n. 687. Nec eft ratio, cur reliqua verba non fimiliter accipiantur de abfolute futuris. 2do. Negat folum, quod Deus peccata formaliter talia prædeftinet, feu prædefiniat, non autem negat, quod ea permittat, & videat mediante decreto permittente.

§. II.

Diluuntur Objectiones aliæ.

Defumptæ ex clariffimis Thefibus R.P. Sterzinger de fcientia media, in quibus q. 6. fol. 120. num. marginali 101. ad argumentum illud, quo probatur, fcientiam mediam non habere objectum verificativum, adducit retorfiones aliquas, quas objectionum loco proponere, & folvere decrevi. Non abs re erit, verba ipfa Doctiff. Adverfarii afferre, maxime, quia Tractatus ille Oeniponti editus, & defenfus forte in noftra Patria non adeo multis ad manus eft. Sic loquitur:

168 „ ℟. Hanc objectionem, quæ fere eft omnium præcipua apud „ Bannefianos, & Scotiftas, effe quidem moleftam; fed (ita me veritas amet) nullius roboris, fed merum fophifma, quamvis ingeniofum, „ & doctum. Ad evitandas moleftias (pro quibus directe fuperandis „ opus eft potius Philofophia, quam Theologia) ℟. per retorfiones, & „ poftea per oftenfionem (ni fallor) claram, & dilucidam. ℟. itaque „ 1. retorq. argum. hæc propofitio: *Antichriftus eft animal*, feu, quod „ idem eft: *fi exiftit Antichriftus, exiftet animal*, erat ante omne decretum Dei vera: & quidem ab æterno erat vera, cum fit propofitio „ æternæ veritatis; & tamen ab æterno neque dabatur Antichriftus, neque exiftentia illius, neque animalitas illius, adeoque „ nec objectum illius actus, nec conformitas actus cum objecto: „ edic, in quonam confiftebat illius propofitionis veritas? quid dicis ad hoc?

„ Retorqueo iterum: hæc mea propofitio: *Summus Pontifex degit Romæ*, eft vera Oeniponti; & tamen Oeniponti non exiftit verificativum illius: imo fi illius verificativum (nempe illius objectum „ materiale) exifteret Oeniponti, propofitio falfa foret: quomodo ergo „ propofitio eft vera hic, cum tamen ejus verificativum non fit hic? „ quid reponis?

„ Retor-

„Retorqueo rursus: hæc mea propositio: *Judas prodidit Chri-*
„*stum*, est hodie vera; & tamen hodie non existit proditio Judæ, sed
„jam dudum præteriit; cum tamen hæc ipsa proditio Judæ sit veri-
„ficativum illius propositionis: quomodo igitur hæc propositio est ve-
„ra hodie, cum tamen hodie non detur objectum illius, adeoque nec
„conformitas illius cum objecto, adeoque nec verificativum illius?
„quid ad hoc? Solve mihi has retorsiones obvias, & solvam tibi tuum
„sophisma; est enim in utrisque par ratio.„

Hæc sunt verba ipsissima Clariss. P. Sterzinger. Ex quibus ulterius in forma ita

Objic. 6. Hæc propositio: *Si existet Antichristus, existet animal*, 169
erat ante omne decretum Dei ab æterno vera; & tamen ab æterno neque dabatur Antichristus, neque animalitas illius: ergo etiam hæc propositio: *si Petrus fuerit in concione, convertetur*, erat ab æterno vera ante decretum Dei, etiamsi ab æterno non habeat objectum verificativum.

℟. 1mo indirecte. Hæc propositio: *Si existet Antichristus, existet animal*, juxta Clariss. P. Sterzinger erat ab æterno ante decretum Dei vera, cum sit propositio æternæ veritatis: ergo hæc propositio: *Si Petrus audierit concionem, convertetur* non erat ab æterno vera ante Dei decretum, cum non sit propositio æternæ veritatis; quia est de futuro tantum contingente.

℟. 2do D. a. Hæc propositio: *si existet Antichristus &c.* erat ab æterno vera ante decretum, quia jam ante omne decretum conditio cum conditionato hujus propositionis habet determinatam, & indispensabilem connexionem c. a. secus n. a. & d. c. ergo etiam propositio conditionata contingens sic esset ab æterno vera, si etiam independenter a decreto conditio cum conditionato haberet determinatam, & indispensabilem connexionem c. c. secus n. c. Cum animalitas sit de essentia Antichristi, ideo ex se, & independenter ab omni decreto connectitur cum Antichristo, & Antichristus cum illa. Unde sequitur, ut omnipotentia divina independenter ab omni decreto sit determinata ad producendum animal, quando vult producere Antichristum; quia non potest aliquam rem producere sine suis essentialibus. Ast aliter res se habet in veritatibus conditionatis contingentibus, in quibus conditio tantum contingenter nectitur cum conditionato, adeoque sine illo produci, & existere potest, nisi accedat decretum divinum, talem conditionem infallibiliter conjungens cum condi-

tionato. Videantur inſtantiæ factæ ad 1mam reſponſionem Adverſariorum differt. præc. art. 3. §. 2. n. 128. ubi hoc argumentum jam eſt ſolutum.

Inſuper ſaltem illi Scotiſtæ, qui cum Smiſing, Herincx, Maſtrio, ac aliis defendunt, futuritionem formalem diſtingui a decreto, non aſſerunt, quod futuritio formalis debeat ſecundum omnia ſua conſtitutiva exiſtere ab æterno, ut poſſit ab æterno cognoſci: dicunt tamen, ab æterno debere dari cauſam, & determinationem rei futuræ, ſeu futuritionem cauſalem; ex una enim parte actus voluntatis contingens non poteſt eſſe futurus, & aliquando extiturus ſine cauſa influente, & determinante illum ad eſſe futurum: ex altera parte talis cauſa actu cauſans, & determinans non poteſt eſſe ſine concomitanti decreto exercite poſito, quod neceſſario æternum eſt; quia omnia Dei decreta actu exiſtentia æterna ſunt.

170 Objic. 7. Ex laudata doctrina. Hæc mea propoſitio: *Summus Pontifex degit Romæ*, eſt vera Oeniponti, & tamen Oeniponti non exiſtit verificativum ejus, ſeu objectum materiale: ergo etiam hæc propoſitio: *Si Petrus fuerit admonitus*, *obediet*, erit ab æterno vera, etiamſi ab æterno non exiſtat ejus verificativum, & objectum materiale.

℞. 1mo. Hoc argumentum iterum non pugnare contra illos TT. & SS. qui futuritionem formalem a decreto diſtinguunt. ℞. 2do retorq. argum. ut hæc propoſitio Oeniponti ſit vera: *Summus Pontifex degit Romæ*, requiritur aliquod actuale decretum, decernens ab æterno, Summum Pontificem exiſtere pro hoc tempore Romæ: ergo etiam ut hæc propoſitio: *Si Petrus fuerit admonitus &c.* ab æterno ſit vera, etiam requiritur decretum Dei actuale, ab æterno decernens futuram Petri obedientiam, ſi fuerit admonitus. ℞. 3tio D. c. dummodo ab æterno exiſtat decretum, vi cujus infallibiliter in tempore obedientia Petri eſt eventura purificata tali conditione c. c. ſecus n. c.

Ex hoc etiam ſolvitur tertia retorſio de proditione Judæ præterita. Dico enim: quamvis hodie non exiſtat proditio Judæ, tamen exiſtit etiamnum hodie decretum concomitans Dei, vi cujus aliquando actus phyſicus proditionis extitit, & nunc non amplius exiſtit: ergo a pari ab æterno reſpectu futurorum exiſtit decretum, vi cujus illa non exiſtunt ab æterno, exiſtent autem poſtea.

§ III.

§. III.

Reſpondetur reliquis Objectionibus

Depromptis ex præſtantiſſima doctrina, quam habet R. P. Viva in Curſu ſuo Theol. part. 1. diſp. 3. de ſcientia Dei. q. 6. a num. 8. & q. 7. a num. 7.

Objic. 8. Decreta iſta objective conditionata deberent juxta 171
SSas eſſe neceſſaria: ſed repugnat hujusmodi decreta eſſe neceſſaria: ergo. M. patet; neceſſaria enim ſunt hæc decreta in SSarum ſententia, quia alias daretur objectum, ſcilicet contingens conditionate futurum, de quo Deus interrogatus reſpondere deberet: *ignoro;* cum juxta SSas futura conditionata ſciri non poſſint ſine decreto actuali. m. etiam claret; quia Deus nihil omnino potuiſſet decernere de creaturis poſſibilibus; aliter non eſſet plene liber: ergo decreta non poſſunt eſſe neceſſaria in Deo.

℟. 1mo. Retorq. argum. in decreta abſoluta, quæ etiam juxta Adverſarios ſuperius citatos neceſſaria ſunt, ut futura abſoluta habeant determinatam veritatem, conſequenter ut infallibiliter a Deo cognoſci poſſint.

℟. 2. d. M. deberent eſſe neceſſaria neceſſitate conſequenti, quam ſibi ipſi imponit Deus per legem generalem condecernendi illud, quod creatura ſub quavis hypotheſi eligeret c. M. neceſſitate alia n. M. Ad prob. M. dico, ejusmodi decreta conditionata non ſolum requiri, ut videantur futura conditionata nobis libera, ſed etiam, ut ſint futura. Quare ſi Deus ut abſolutus Dominus in particulari caſu ſuſpenderet ſuum concurſum, & nollet ſe condeterminare cum creatura ſive abſolute, ſive conditionate ad aliquem actum, tunc talis actus neque conditionate, neque abſolute futurus eſſet: proinde neque ut futurus a Deo intelligi poſſet. Quare ſecluſo omni decreto Deus non deberet dicere: *ignoro, hoc eſſe conditionate futurum,* ſed potius reſpondere deberet: *ſcio, hoc non eſſe futurum,* ut patebit. Ad prob. min. ℟. quod Deus quidem nihil omnino poſſet decernere de creaturis poſſibilibus, & per conſequens habere puram omiſſionem liberam: verum tunc tales creaturæ forent eo ipſo non futuræ. Videantur dicenda n. 184.

Objic. 9. Talia decreta deberent etiam eſſe infinita, ſaltem ter- 172
minative, & virtualiter, relate ad quamcunque creaturam liberam:

ſed repugnat ejusmodi decreta eſſe infinita de quolibet individuo posſibili: ergo. M. p. de quolibet homine, vel Angelo deberet Deus ſcire, quid velit ſub infinitis diverſis circumſtantiis: ergo.

℞. 1. Retorq. argum. Scientiæ mediæ debent, & poſſunt eſſe infinitæ terminative in Adverſariorum ſyſtemate, quia per eas Deus de quolibet homine, & Angelo deberet ſcire, quid vellet ſub infinitis diverſis circumſtantiis. Cur ergo non ſic decreta conditionata posſunt eſſe terminative, & ſyncategorematice infinitá?

℞. 2. C. M. d. m. repugnat, ejusmodi decreta, quæ forent realiter diſtincta eſſe infinita c. m. repugnat, ejusmodi decreta, quæ entitative ſunt unus ſimpliciſſimus actus, & tantum terminative diſtinguuntur, eſſe infinita n. m. & conſ.

173 Objic. 10. Ejusmodi decreta ſubjective abſoluta & objective conditionata ſunt eſſentialiter ſuperflua: ergo non dantur in Deo. a. p. Ejusmodi decreta non requiruntur tanquam cauſa futurorum conditionatorum: ergo ſunt ſuperflua. a. p. Talia decreta non poſſunt cauſare actus noſtros conditionate futuros ante purificatam conditionem; nam ante impletionem conditionis decretum conditionatum nihil ponit in re; neque enim cauſat exiſtentiam actus ſub conditione futuri, neque cauſat aliquam formam, vel entitatem, quæ ſit conditionata futuritio. Nec decreta ejusmodi cauſant noſtros actus futuros impleta conditione; quia poſt purificationem conditionis non dantur amplius decreta conditionata, ſed mere abſoluta: atqui ſi tunc non dantur amplius talia decreta, tunc neque aliquid cauſare poſſunt: ergo &c.

℞. 1. indirecte, hoc argumentum probare nimium; probat enim, etiam contractus conditionate initos eſſe ſuperfluos. Etenim tales actus conditionati neque poſſent abſolutam, & principaliter intentam obligationem cauſare ante conditionem impletam, neque poſt eam. Ante impletam per ſe clarum eſt: poſt impletam autem conditionem (ſi hoc argumentum probat) non dantur amplius contractus conditionati, ſed mere abſoluti. Unde iſta objectio iterum retorqueri poteſt.

℞. 2. in forma ad 1mum membrum diſtinguendo. Ejusmodi decreta nihil cauſant phyſice ante impletam conditionem *conc.* nihil cauſant intentionaliter, & objective *nego.* Gratis admitto, quod decretum objective conditionatum ante impletam conditionem nihil phyſicum producat in re conditionate decreta, eam tamen objective, & intentionali-

tionaliter immutat; quia poſt decretum ejusmodi longe aliter, quam ante decretum res illa decreta objicitur intellectui; poſito enim decreto objective conditionato eſt infallibiliter determinata ad exiſtentiam ſub tali conditione habendam, & ad eſſe futurum: aſt ante decretum non concipitur ſic eſſe determinata, nec eſſe conditionate futura. Id ipſum concedit nobis profundiſſimus Martinez Controv. 4. diſp. 1. ſect. 4. proponens adductum argumentum contra nos. ubi ita loquitur: *quod decretum conditionatum Dei* (ante impletam conditionem) *in genere cauſæ formalis denominet rem decretam, conditionate futuram futuritione cauſali, non negamus, imo aſſeruimus ſect. 2. præc. Concl.* 1.

Ad alterum membrum iterato ℞. verbis laudatiſſimi Martinez, quæ ſic habent allegato loco: *In noſtra ſententia decretum conditionatum* (ſcilicet objective, & ſubjective abſolutum, de quo ibi loquitur) *eſt ſufficiens, ut conſenſus Petri ponatur abſolute, ſive in ſtatu abſoluto purificata conditione: vel ſaltem poteſt exiſtere cum conditione purificata, & ſuo modo determinare decretum abſolutum convertendi Petrum.* Id eſt: vel decretum conditionatum, poſita conditione, tranſit in abſolutum, vel ſaltem determinat Deum ad condendum decretum aliud abſolutum, quo cauſet una cum creatura actum ejusmodi abſolutum: atque adeo decretum conditionatum etiam poſt conditionem impletam operatur, & cauſat. Adde: ſi actus & contractus humanæ voluntatis ſub conditione initi, purificata conditione poſſunt parere effectum abſolutum, cur hoc denegetur actibus voluntatis divinæ? Hinc in forma D. M. poſt impletam conditionem non dantur amplius decreta conditionata, ſed mere abſoluta, ita tamen, ut vel ipſum decretum conditionatum tunc tranſeat in abſolutum, vel ſaltem Deum determinet ad aliud decretum abſolutum c. M. ſecus n. M.

Objic. 11. Actus liber Petri dependet non ſolum a decreto Dei, ſed etiam ab arbitrio creato ipſius Petri: atqui ad hoc, ut actus Petri liber poſtea exiſtat purificata conditione, non requiritur, ut ab æterno, & ante purificatam conditionem exiſtat liberum arbitrium Petri: ergo ad hoc, ut actus liber Petri exiſtat purificata conditione, non requiritur, ut ab æterno exiſtat abſolute decretum Dei. 174

℞. C. M. d. m. ad hoc, ut actus liber Petri exiſtat poſtea &c. non requiritur, ut ab æterno ante purificatam conditionem exiſtat liberum arbitrium Petri in ſe formaliter c. m. eminenter, vel virtualiter in vo-

luntate divina n. m. Quia liberum arbitrium humanum ante impletam conditionem eminenter exiſtit in voluntate divina, & cum hac per decretum ipſius ſe determinare poteſt, ideo non requiritur, ut antea formaliter exiſtat. Aſt decretum divinum antecedenter jam debet formaliter exiſtere in ſe, quia nihil poteſt oſtendi, in quo eminenter contineatur. Deinde ſi decretum divinum ab æterno, & conſequenter ante impletam conditionem non formaliter exiſteret, nunquam amplius exiſtere poſſet; quia decreta divina, quæ ab æterno non ſunt, penitus non dantur. Aliud eſt de arbitrio humano, quod in tempore producitur.

Articulus III.

An, & quomodo Deus ſciat futura conditionata ſibi ſoli libera?

§. I.

An talia futura ſciat?

175 Hactenus egimus de illis futuris conditionatis, quæ a voluntate noſtra dependent: modo quærimus, quid ſentiendum de illis, quæ unice a voluntate divina pendent, & ſoli Deo ſunt libera. Inquirimus ergo, an, & quomodo Deus cognoſcat, quid ipſe facturus fuiſſet ſub quavis conditione: v. g. an, & qua ratione ſciat, *ſe voluiſſe incarnari, ſi Adam non peccaſſet: ſe velle hos, & illos homines condere, ſi alter mundus produceretur.* ubi ex parte conditionati ſemper importatur aliquid ſoli Deo liberum, & dependens a ſola ejus voluntate, eſto, hypotheſis, vel conditio etiam creaturæ poſſit eſſe libera, ut in primo exemplo.

Dubium vero præcipue in eo verſatur, an ejusmodi futura conditionata ſoli Deo libera cognoſcantur independenter a decreto actuali, ac immediate in ſe ipſis *per ſcientiam medium* (ut vocant) *reflexam*, vel an mediante aliquo decreto ſubjective abſoluto, & objective conditionato? Majoris claritatis gratia ponamus exemplum ex S. Textu deſumptum. Deus ab æterno habuit hunc actum ſcientialem: *Si inter incolas Sodomæ tali tempore fuerint inventi* 10. *Juſti, dimittam*

propter eos toti civitati pœnam temporalem everſionis. quæ dimiſſio pœnæ ſub conditione futura, fuit ſoli Deo libera, ut patet. Quæritur ergo, an iſta, & ſimiles veritates a Deo ſint cognitæ ſine omni decreto?

In qua controverſia ipſi Patroni ſcientiæ mediæ directæ inter ſe ſcinduntur. Nam, ut referunt Clariſſimus P. Hermann de Deo ſciente n. 257. ac R. P. Viva part. 1. Curſ. Theol. diſp. 3. q. 7. n. 1. in tres diverſas ſententias abeunt. Prima tenet cum Molina, Haunoldo, Mauro &c. Deum cognoſcere futura conditionata ſibi ſoli libera per ſcientiam viſionis in decreto ſubjective abſoluto, & objective conditionato: quibus accedit R. P. Sterzinger in ſua ſcientia media q. 7. n. 109. Cum his etiam ſentiunt TT. & SS. communiſſime.

Altera docet, Deum ea cognoſcere duplici modo, nimirum ſcientia media reflexa independenter ab omni decreto abſolute exiſtente, & ſimul ſcientia viſionis mediante ejusmodi decreto: pro qua Viva allegat P. Ruiz, & alios. Tertia tandem communior inter Defenſores ſcientiæ mediæ directæ cum Fonſeca, Suario, Vasquez, Amico &c. docet, ea cognoſci per ſcientiam mediam reflexam independenter ab omni decreto abſolute exiſtente, & objective conditionato, cui etiam adhæret Viva.

Advertendum autem, duplicem a ſuis Aſſertoribus diſtingui ſcientiam mediam reflexam. Una eſt *ſtricte talis*, quæ aſſumit pro conditione ſcientiam mediam directam, & reflectendo ſe ſuo modo in illam videt, quale conditionatum ſequatur. Unde ſic tendit: *Si viderem Petrum in his circumſtantiis cum hoc auxilio bene acturum, darem illi hoc auxilium.* vel clarius: *ſi haberem ſcientiam mediam directam de actu bono Petri in his circumſtantiis, vel ſub conditione talis auxilii futuro, tunc darem ipſi hoc auxilium.*

Alia ipſis eſt ſcientia media reflexa *minus ſtricte talis*, quæ cognoſcit quidem conditionatum futurum ſoli Deo liberum, pro conditione tamen non habet ſcientiam mediam directam de actu creaturæ ſub certa hypotheſi futuro, ut iſta: *ſi producerem alterum mundum, crearem in eo tot homines:* quæ ex parte hypotheſis non importat prævisionem conditionatam, quid creatura ageret in tali, vel tali circumſtantia. H. N.

Aſſero: Deus cognoſcit infallibiliter, quid ipſe ſub quavis hypotheſi cogitabili eſſet, vel fuiſſet acturus. Eſt certa, ac communis. Hæc 176

 Aſſertio

Assertio probatione opus non habet; si enim Deus infallibiliter scit, quid creatura esset sub quavis hypothesi actura, debet utique etiam scire, quid ipse esset acturus sub qualibet conditione. Profecto maxima foret imperfectio, si Deus interrogatus, quid sub hac, vel illa conditione certo esset facturus, deberet respondere: *Ignoro.* Accedit, quod Deus Abrahamo certo prædixerit, se esse remissurum pœnam excidii Sodomæ, si in ea reperirentur 10. Justi Gen. 18. v. 32. quod facere non potuisset, nisi infallibiliter præscivisset, se ita esse facturum, si talis conditio subsisteret.

177 Objic. Ex hac scientia Dei conditionata, qua cognosceret, quid ipse esset sub quavis hypothesi acturus, sequeretur manifesta contradictio: ergo talis scientia non potest in Deo admitti. a. p. sequeretur hæc contradictio, quod Petro esset a Deo dandum hoc beneficium, & non esset dandum: ergo. a. p. Ponamus, quod Deus habeat hunc actum scientialem: *si Petrus esset abusurus hoc beneficio, tunc hoc illi non darem.* Ponamus quoque, quod Deus habeat etiam hanc scientiam: *si Petro darem hoc beneficium, tunc illo esset abusurus:* atqui ex his duabus scientiis, quæ in nostra sententia sunt possibiles, sequeretur ista contradictio, quod Deus daret, & non daret hoc beneficium Petro: ergo. m. p. sequitur ex his duabus scientiis syllogismus conditionalis iste legitimus: *Si Petro darem beneficium hoc, tunc illo abuteretur: sed si Petrus beneficio hoc abuteretur, tunc illud ipsi non darem: ergo si darem Petro beneficium hoc, tunc illud non darem:* ergo sequeretur prædicta contradictio.

℞. Neg. suppos. quod iste syllogismus conditionalis sit bonus, & legitimus; est enim simillimus huic certe non bono syllogismo: *Si Petro darem gladium, occideret Paulum: sed si occideret Paulum, non darem ei gladium: ergo si Petro darem gladium, non darem.* Ratio responsionis est; quia nihil infertur ex duabus præmissis conditionalibus, quarum altera est negativa, & simul invertit priorem, seu habet pro conditione id, quod altera habuit pro conditionato: ut præclare notant cum Ulloa Clariss. PP. Antonius Mayr Tr. 1. Theol. Schol. n. 499. & Hermann de Deo sciente n. 267. Ratio est; quia juxta Summulas omnis syllogismus hypotheticus bonus debet posse reduci ad unum, vel plures syllogismos categoricos bonos. Ast hic syllogismus in objectione allatus ita reduci nequit ad unum vel plures syllogismos categoricos, in quo, vel quibus prædicta contradictoria conclusio æquivalenter inferatur: ergo &c.

§. II.

§. II.

An talia futura cognoſcantur per ſcientiam mediam reflexam, vel mediante aliquo decreto?

Aſſero: Deus ejusmodi conditionate futura ſibi ſoli libera videt 178
mediante decreto objectíve conditionato, & ſubjective abſoluto, non vero per ſcientiam mediam reflexam ſtricte, vel late talem. Ita ſuperius citati. Probatur Aſſertio argumento allato ſuperius diſſert. 3. præ. n. 126. quo probavi, non poſſe cognoſci futura conditionata nobis libera per ſcientiam mediam directam ſine decreto actuali. Nam antequam Deus decernat, quid velit in his, vel illis circumſtantiis ad extra facere, eſt omnino indeterminatus ad aliquid faciendum, vel non faciendum: ergo non apparet, quomodo poſſit infallibiliter ante decretum cognoſcere, quid determinate eſſet facturus.

P. 2. Hæc ſcientia media reflexa videtur lædere libertatem Dei: ex una enim parte ea eſt indiſpenſabiliter connexa cum actu Dei conditionate præviſo: e. g. ſi Deus præſcit conditionate, ſe producturum eſſe hos homines, ſi alterum mundum crearet, tunc deberet determinate, & neceſſario hos homines producere purificata conditione, & creato altero mundo. Ex altera parte talis ſcientia non eſt impedibilis a Deo: ſeu, Deus non poteſt facere, ut ipſe non habeat hanc ſcientiam mediam reflexam: ergo ea lædit libertatem Dei, & neceſſitat eum antecedenter ad hoc determinate ad extra agendum, poſita aliqua conditione contingenti. Ant. quoad 1. membr. eſt certum; alias enim, ſi Deus illud infallibiliter non faceret purificata conditione, quod ſub ea ſe facturum prævidit, poſſet falſificari illa ſcientia, & ſic Deus haberet ſcientiam fallibilem: quod non eſt dicendum. Alterum vero membrum, quod hæc ſcientia a Deo impediri nequeat, probatur. Illa, quæ in Deo dantur ante exercitium actuale voluntatis ſuæ, id eſt, ante poſitum decretum, vel ejus liberam omiſſionem, ſunt neceſſario in Deo, ita, ut nulla ratione ab eo abeſſe poſſint: atqui ejusmodi ſcientia media reflexa daretur in Deo ante omne exercitium actuale voluntatis divinæ, uti fatentur ipſi Adverſarii: ergo &c. M. p. Quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo datur ante omne decretum &c. ideo in eo neceſſario exiſtit. Idem eſt de aliis: ergo &c.

Nec

Nec iterum recurratur ad decretum ponendum; nam ſi Deus cognoſceret tale decretum eſſe neceſſario ponendum purificata conditione, tunc deberet etiam cognoſcere, ſe jam ante decretum actuale, & exercitium voluntatis ſuæ eſſe determinatum ad tale decretum ponendum impleta conditione cæteroquin indifferente: atqui tali ratione jam iterum aliqua determinatio, & neceſſitas antecedens omne liberum exercitium divinum admitteretur: ergo.

Hoc argumentum etiam adhiberi poteſt contra ſcientiam mediam directam, & eo probari, quod ſcientia media directa lædat libertatem creatam, eoquod ſit infallibiliter connexa cum actu voluntatis creatæ ſub conditione determinate fururo, & ſimul antecedat omne exercitium liberum voluntatis creatæ; antevertit enim exercitium, & decretum voluntatis divinæ, ſine quo coagente voluntas creata neque agere, neque ſe determinare poteſt. Id jam reſponſionis indirectæ loco inſinuavi Differt. 3. præc. n. 137.

P. 3. Ex una parte talia decreta objective conditionata, quibus decernuntur actus ſoli Deo liberi, revera dantur: ex altera parte iis mediantibus optime cognoſcuntur futura ſoli Deo libera: ergo &c. a. p. a pari de aliis decretis objective conditionatis circa actus creaturæ liberos. Nihilominus

179 Deduces 1. Futura ſoli Deo libera non decerni per aliquod decretum concomitans; hoc enim in rigore eſt ſolum illud, quo Deus nobiſcum noſtros actus decernit, non autem, quo Deus ipſe ſolus aliquid ſtatuit, ut patet.

Deduces 2. Etiam probabiliter illa futura conditionata ſoli Deo libera, quorum conditio certo purificabitur, & ſic abſolute erunt, pro priori ſigno a Deo cognoſci ut conditionata, & in poſteriori primum ut abſoluta. Ratio eſt: quia prius eſt, rem cognoſci conditionate, quam abſolute. Et quoad hoc eſt paritas inter futura ſoli Deo libera, & inter illa, quæ nobis quoque ſunt libera. Proinde prius Deus decrevit, & conditionate cognovit, Filium divinum venturum in carne paſſibili, ſi Adam peccaret: deinde primum, poſtquam mediante decreto permiſſivo peccati abſolute prævidit, Adamum peccaturum, etiam abſolute decrevit, & cognovit adventum Filii ſui in carne paſſibili.

Deduces 3. Tendentiam ejusmodi decreti eſſe hanc; *Decerno dimittere toti civitati Sodomæ, ſi in ea fuerint* 10. *Juſti reperti.*

Objic.

Objic. Si Deus poſſet decernere conditionate futura ſibi libe- 180
ra, tunc etiam hoc decretum facere poſſet: *Decerno creare Antichriſtum, ſi cognoſcam, eum eſſe poſſibilem:* atqui hoc decretum certe non poteſt facere, ut conſideranti patebit: ergo. ℞. N. M. Vel enim tale decretum deberet fieri, antequam Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoverit, Antichriſtum eſſe poſſibilem, vel poſt talem cognitionem? non primum: quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ vi naturalis præſuppoſitionis in Deo præcedit omnia decreta etiam objective conditionata. Non ſecundum: quia decretum non poteſt fieri ſub conditione jam actu exiſtente, & actualiter impleta; adjectio enim talis conditionis in Deo nihil operaretur, nec redderet decretum conditionatum, cum conditio purificata perinde ſe habeat, ac ſi non ſit adjecta: atqui indignum eſt Deo condere aliquod decretum ſub conditione mere inutili, & nihil operante. 2do. Conditio addita decreto attingitur quaſi ſuſpenſive, ita, ut non ſupponatur exiſtentia talis conditionis, ſed ab ea (ſecundum noſtrum captum) quaſi præſcindatur: atqui pro ſigno poſteriori ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ in Deo non poteſt dari ejusmodi ſuſpenſio, vel quaſi præciſio; quia pro illo ſigno jam ſupponitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ: ergo &c.

Neque dicas: homines poſſe prudenter facere contractus ſub conditione de præſenti, v. g. *contraho tecum ſponſalia, ſi ſis Virgo, nobilis* &c. id enim in hominibus locum habet, qui ſæpe non cognoſcunt, an hæc conditio de præſenti, ſub qua contrahunt, ſubſit. Aſt Deus pro illo ſigno, quo facit decretum illud conditionatum, jam ſupponitur ſcire, quod ſubſit talis conditio: ergo &c.

Ex quo recte infers, hoc quoque decretum conditionatum non poſſe in Deo dari: *Decerno creare Petrum, ſi habeam potentiam illum creandi;* nam omnipotentia, & cognitio ejus in Deo eſt prior omni decreto. Quare tendentia ejusmodi decretorum ſine abſurdo in ſenſu conditionali exponi nequit. Igitur potius ſic explicari debent decreta illa: *Petrum, quem ſcio eſſe poſſibilem, decerno creare.* Item: *Antichriſtum, quem vi omnipotentiæ meæ producere poſſum, decerno producere.*

Articulus IV.

An, & quomodo Deus cognoscat non futura?

§. I.

Notanda, & Assertio.

181 Connexio materiæ exigit, ut etiam perpendamus, an, & qua ratione cognoscantur non futura, sive ea sint absolute, sive dependenter a certa conditione non eventura. Quæstio autem unice consistit in hoc, *an Deus infallibiliter mediante aliquo decreto, vel independenter ab illo sciat, alterum mundum non esse futurum, Petrum non esse convertendum, nisi a tali homine fuerit admonitus &c.* Atque hoc dubium facile ex dictis expediri posset, respondendo, ideo Deum cognoscere, alterum mundum non esse futurum, quia non decrevit, eum esse futurum: ideo cognoscere, conversionem Petri sub tali conditione non esse extituram, quia sub tali hypothesi se Deus per decretum concomitans non determinavit ad conversionem illam. Et sic de aliis. Verum ex hoc nova oritur difficultas, an Deus non decernendo mundum, vel conversionem Petri, habuerit puram omissionem liberam, vel positivum aliquod decretum, quo statuit non condere mundum alterum &c. ac proinde, an mediante pura omissione libera, vel mediante positivo decreto Deus viderit ejusmodi non futura tam absoluta, quam conditionata? Pro hujus rei clariori notitia

Observandum est, quod Deus non possit omittere, vel suspendere ipsum actum suæ voluntatis entitative spectatum; entitas enim talis est unica, & simplicissima, & voluntati divinæ realiter identificata, adeoque necessario inexistit Deo. Controversia ergo præcipua solum est de terminatione actus voluntatis divinæ, & tendentia actuali in objectum aliquod ad extra, an talem terminationem Deus possit suspendere, ita, ut nec positive velit, nec positive nolit tale objectum, nec decernat ejus existentiam, nec positive statuat illius non existentiam, sed mere negative se habeat. Hanc igitur quæstionem prius resolvam, deinde ex illa deducam modum, quo Deus cognoscit non futura. Unde

Assero:

Assero: In Deo est possibilis pura omissio libera modo explicato. 182
Ita videtur docere Doctor subtilis 1. Disp. 47. q. un. §. *Respondeo.* n. 3. ubi ait: *Præsentato sibi Juda primo Deus habet, non velle sibi gloriam, & non primo nolle.* Doctorem suum sequuntur Frassen Tom. 1. Tr. 2. Disp. 2. a. 2. q. 1. Henno &c. Habet hæc conclusio etiam alios Patronos extra Scholam Scotisticam, atque inter hos Clarissimum P. Hermann de Deo volente n. 88. Doctiss. D. Augustinum Erath in Unione Theol. n. 1454.

P. 1. Non videtur Deo deneganda libertas contradictionis ad extra: atqui libertas contradictionis est, vi cujus Deus potest agere, vel non agere, ac suspendere terminationem suæ volitionis ad extra per puram omissionem liberam: ergo &c. M. videtur patere; quia est major libertas, & excellentior perfectio, si præter libertatem contrarietatis etiam in Deo sit libertas contradictionis, ita, ut possit omne decretum suæ voluntatis ad extra suspendere.

P. 2. Si Deus non posset penitus suspendere suæ libertatis exercitium ad extra, tunc ideo, quia per talem suspensionem aliquid perfectionis decederet Deo: sed per eam nihil perfectionis Deo decederet: ergo &c. m. p. Decederet ei solum terminatio ad creaturas: sed hæc non est aliqua perfectio: ergo. m. p. Si terminationes decretorum essent aliquæ perfectiones, tunc Deus defacto innumeris careret perfectionibus; quia potuisset decernere productiones innumerarum creaturarum, quas tamen non decrevit. Neque talis terminatio, ut dicam Tract. seq. Dissert. 3. Art. 1. aliquid entitative, & intrinsece addit voluntati divinæ, vel ejus actui, sed tantum in obliquo creaturam extrinsece connotat: ergo ea non potest esse aliqua perfectio voluntatis, vel volitionis divinæ.

Neque dicas, requiri terminationem positivam voluntatis divinæ ad quasvis creaturas, ne ea circa has suspensa & irresoluta maneat. Contra est: Voluntas divina satis resoluta est per immutabilem suspensionem omnis terminationis positivæ; siquidem ejusmodi suspensio eundem effectum operatur, ac positiva nolitio; si enim Deus omittat aliquid decernere circa rem contingentem, tunc hæc æque non erit futura, ac si Deus positive statuisset illam nunquam producere. Unde omissio pura potest *æquivalenter* dici decretum, tum ob rationem mox datam, quia eundem effectum operatur, ac positivum decretum, seu positiva nolitio: tum, quia est exercitium actuale negativum voluntatis divinæ, & importat determinationem actualem ne-

gativam ejusdem voluntatis, ficut decretum dicit determinationem actualem positivam.

183 Dixi in Assertione, possibilem esse puram omissionem liberam in Deo; non enim necessario datur circa omnia objecta non futura. Ratio est: Deus habet libertatem contradictionis, & specificationis circa talia objecta: ergo vel libere potest omittere omnem terminationem positivam, vel si libuerit, positive nolle existentiam eorum pro tempore aliquo futuro. Atque hoc videtur esse clarum, si sermo sit de non futuris, a sola voluntate divina pendentibus, vel soli Deo liberis, sive deinde absolute non sint futura, sive conditionate: si vero loquamur de non futuris a nostra voluntate dependentibus, tunc judico, conformius esse systemati decreti condeterminantis, si dicatur, saltem tunc concomitanter Deum habere puram omissionem liberam, quando creatura aliquem actum liberum pure omittit; Deus enim condeterminando se accommodat creaturæ: si ergo hæc positive se determinat, tunc & Deus positive condecernit: quando vero creatura tantum negative exercet suam libertatem, suspendendo omnem determinationem positivam, tunc & Deus ita suspendit suam positivam terminationem. Ex his

184 Deduces: pro priori ante omne decretum, & ante omnem omissionem puram liberam nullum ens contingens esse determinate non futurum, proinde neque ut tale infallibiliter cognosci posse. Ratio est; ante omne decretum, & ejus omissionem liberam res contingens supponitur, & intelligitur esse in statu meræ possibilitatis, in quo est indifferens, ut sit futura, vel non futura: ergo tunc solum ut indifferens ad futuritionem, & non futuritionem, non vero ut determinate futura, neque ut determinate non futura cognosci potest. Pro signo autem, quo supponitur decretum positive decernens, hanc rem non esse extituram aliquo tempore, vel saltem habetur omissio pura omnis decreti decernentis aliquid circa existentiam, aut non existentiam, pro tali, inquam, signo potest infallibiliter a Deo cognosci talis res tanquam non futura; quia tunc jam supponitur esse positive, vel saltem negative determinata ad nunquam existendum. Obiter solum ex Philosophia adverte, tunc omissionem puram liberam dari, quando totus actus primus proximus ad agendum sufficiens existit, & tamen libere omittitur omnis actus positivus. Unde in Deo tunc solum concipi potest pura omissio decreti, quando supponitur adesse scientia simplicis intelligentiæ, & totus actus primus proximus

ximus sufficiens ad decretum positivum condendum: in prioribus autem signis habetur solum præcisio, non vero omissio vera decreti.

§. II.

Solvuntur aliquæ Objectiones.

Objic. 1. In voluntate creata non est possibilis pura omissio li- 185
bera: ergo neque in divina. ℞. N. a. Contrarium enim tam in Philosophia, quam in Tractatu de actibus humanis a plurimis docetur. Deinde, quamvis transmitteretur, in voluntate creata non esse possibilem puram omissionem liberam, ea tamen adhuc in Deo posset admitti; quia in Deo longe perfectior, liberiorque datur voluntas, quam in creaturis, quæ proinde etiam penitus potest suspendere omnem terminationem ad extra, nihil decernendo circa creaturam.

Objic. 2. In homine reputatur esse imperfectio, si suspendat o- 186
mnem actum voluntatis, & se non resolvat positive: ergo etiam in Deo talis suspensio est imperfectio. ℞. N. c. & parit. In homine omissio pura est carentia, & privatio actus positivi, qui importat aliquam perfectionem voluntatis: ast in Deo omissio pura est mera negatio terminationis, non dicentis aliquam perfectionem voluntatis divinæ. 2do. Suspensiones nostrarum volitionum proveniunt ex ignorantia, hæsitatione, & timore errandi: sed suspensio exercitii libertatis divinæ ex tali causa non oritur; pro priori enim signo, antequam voluntas divina suspendat terminationem suam, supponitur præcedere perfectissima scientia simplicis intelligentiæ, qua comprehenditur objectum voluntatis divinæ cum omnibus suis circumstantiis. Abest etiam a Deo omne periculum errandi; quare neque datur in divina voluntate suspensio talis, quæ esset hæsitatio; etenim pro illo signo, quo supponitur totus actus primus proximus ad liberum exercitium voluntatis divinæ, absque hæsitatione Deus aut positivam habet terminationem, aut puram omissionem liberam omnis terminationis, & sic satis, & immutabiliter est resolutus circa quodcunque objectum volibile.

Objic. 3. Intellectus divinus non potest se negative habere cir- 187
ca objectum debite propositum, sed necessario est in sua actualitate: ergo & voluntas divina. ℞. 1. Retorq. argum. Intellectus divinus est

est ita necessario in sua actualitate, quando objectum rite proponitur, ut neque habeat libertatem specificationis: ergo & voluntas divina. ℞. 2. N. c. & parit. Intellectus divinus est potentia necessaria, & unice determinata ad agendum, si objectum debite fuerit propositum: voluntas vero ad extra est potentia libera, quæ potest agere, & non agere, etiam positis omnibus requisitis.

188 Objic. 4. Voluntas divina est actus purus: ergo ea debet quoque esse in sua ultima actualitate. ℞. D. c. Debet esse in ultima actualitate, quæ importat perfectionem aliquam c. c. quæ nullam dicit perfectionem n. c.

189 Objic. 5. Nihil potest esse futurum, & ut tale cognosci sine voluntate divina, se actu determinante: ergo etiam nihil potest esse non futurum sine voluntate divina, actu se determinante; etenim etiam esse determinate non futurum, jam dicit aliquid ultra esse mere possibile; siquidem ens mere possibile est indifferens ad esse futurum. Verum non sic est mere indifferens illud, quod jam est determinate non futurum; hinc debet dari causa actualis, scilicet decretum, determinans talem rem possibilem ad non esse futurum.

℞. D. c. Sine voluntate divina, se positive determinante n. c. se determinante negative per puram omissionem liberam c. c. Res aliqua non potest esse certo futura sine decreto positivo: ergo ex opposito, si non datur aliquod decretum decernens existentiam talis rei, illa eo ipso erit non futura. Adde, quod talis pura omissio in Deo æquivaleat decreto, quia eundem fere effectum operatur, quem habet decretum positivum, quo Deus positive statuit rem aliquam non producere, ut dixi n. 181. ad finem. Quare potest æquivalenter dici decretum, quamvis inter decretum positivum, & omissionem puram adhuc sit ista diversitas, quod videlicet decretum importet positivam terminationem ad non existentiam pro tempore sequenti, eamque in obliquo tanquam objectum suum connotet, omissio vero pura neque ad existentiam, neque ad carentiam ejus terminetur, eamque in obliquo non connotet. Ob dictam igitur causam, quia omissio pura libera quoad effectum æquivalet decreto positivo, & quia est actuale exercitium negativum, ac negativa, actualis tamen, determinatio voluntatis divinæ, sicut decretum est determinatio positiva: ideo bene dicitur, quod per ejusmodi puram omissionem tollatur indifferentia entis possibilis, & ejus indeterminatio ad esse futu-

futurum, & non esse futurum, seu quod per illam ens possibile e statu possibilitatis, & indifferentia extrahatur, & in statu determinatæ non futuritionis ponatur.



Tractatus III.

DE

VOLUNTATE, VOLITIONE, ET DECRETIS DEI.

Dissertatio I.

DE NOTIONE, OBJECTO AC OMNIPOTENTIA VOLUNTATIS DIVINÆ.

Articulus. I.

§. Unicus

De Natura, & objecto voluntatis divinæ.

Suppono 1. Dari in Deo voluntatem; hæc enim est appetitus rationalis, qui tanquam perfectio simpliciter simplex Deo omnino tribui debet. Accedit, quod Sacra Scriptura, uti & SS. PP. passim Deo attribuant voluntatem, seu ea spectetur in actu primo pro potentia volitiva, & electiva, seu ea sumatur in actu secundo pro volitione, amore, odio, decreto &c. 190

Suppono 2. Voluntatem Dei dividi in voluntatem *beneplaciti*, & *signi*. Voluntas *beneplaciti* est vere, & proprie dicta voluntas; est enim ipse actus volendi, seu volitio in Deo formaliter, & actu existens. Voluntas *signi* non est vera volitio, sed tantum est aliquod signum extrinsecum, indicans nobis volitionem divinam: adeoque volun- 191

voluntas *signi* eſt aliquis effectus creatus connotans, & significans nobis Dei voluntatem: ſicut & teſtamentum ſolet dici ultima voluntas teſtatoris, non quod tabulæ teſtamentales ſint ipſa formalis, & actualis volitio teſtatoris, ſed quod ſint ſignum authenticum hujus ultimæ voluntatis, quam habuit teſtator. Similia ſigna divinæ voluntatis a S. Thoma, & Bonaventura ſolent quinque ſtatui, ſcilicet *præceptum*, *prohibitio*, *permiſſio*, *conſilium*, *operatio*, quæ complectitur antiquus verſiculus:

Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.

Hæc voluntas ſigni non ſemper eſt conjuncta cum voluntate beneplaciti. Sic Deus præcepit Abrahæ immolationem Iſaaci, quem tamen abſolute noluit occidi: ſolet tamen cum voluntate ſigni eſſe conjuncta aliqua ſaltem voluntas beneplaciti. e. g. voluit Deus non quidem mortem Iſaac, ſed tamen obedientiam Abrahæ, iter ejus, & reliquam præparationem &c.

Voluntas *beneplaciti* ulterius dividitur in *antecedentem*, & *conſequentem*. Voluntas *antecedens* eſt, qua Deus vult, & decernit aliquod objectum ſecundum ſe præciſe, ac ſecundum intrinſeca ſua prædicata ſpectatum, præſcindendo a particularibus circumſtantiis. Voluntas *conſequens* eſt, qua Deus vult aliquid in particulari, prout hoc eſt veſtitum ſuis particularibus circumſtantiis: & ideo voluntas conſequens ſemper eſt abſoluta, & in actu ſecundo efficax, non vero voluntas antecedens, niſi conjungatur cum conſequente. Sic voluntate antecedente Rex poteſt velle ſimpliciter ſalutem omnium ſuorum ſubditorum, præſcindendo a particularibus circumſtantiis, voluntate tamen conſequente poteſt velle mortem aliquorum ſuorum civium, quia id exigit circumſtantia juſtitiæ vindicativæ. Et hinc

Voluntas divina iterum dividitur in *efficacem ſimpliciter*, ſeu illam, quæ *tam affective, quam effective* eſt efficax, & abſolute ac infallibiliter obtinet ſuum intentum effectum: & in illam, quæ tantum eſt *efficax affective*, non autem *effective*, quæ etiam ab aliis dicitur *ſeria voluntas*, quæ quidem in ſe ſincere, & ſerio vult, non tamen ſemper obtinet ſuum intentum effectum, eoquod poſſit aliunde impediri. *Primo modo* voluit Deus ſalutem prædeſtinatorum, ſecundo modo vero ſalutem reproborum; quamvis enim voluntas Dei ſalvandi omnes ſit efficax, & ſincera, quantum eſt ex parte Dei: ſit tamen inefficax per ipſos reprobos, & cauſas ſecundas. His præſup.

Aſſero 1.

Aſſero 1. Objectum motivum voluntatis divinæ in ordine ad quodlibet volendum eſt ſola bonitas divina, & eſſentialis. Scotus 3. d. 32. ubi ſic habet: *Sola eſſentia divina poteſt eſſe prima ratio agendi tam intellectui divino, quam voluntati.* & communis. Intelligitur autem Aſſertio de bonitate eſſentiali, quæ eſt ipſa Dei eſſentia: non vero debet intelligi de bonitate attributali formaliter diſtincta ab eſſentia. 192

P. *tum:* quia perfectiſſima volitio, quæ datur in Deo, debet habere perfectiſſimum motivum: atqui eſſentia divina eſt perfectiſſimum motivum. *Tum:* quia in eſſentia divina tanquam infinito pelago, & radice omnis perfectionis, habetur perfectiſſima, & ſufficientiſſima ratio movendi voluntatem divinam ad quævis volenda, vel nolenda. *Tum:* quia & ipſa eſſentia ratione ſuæ infinitæ repræſentativitatis eſt intellectui divino objectum motivum ſufficiens reſpectu omnium intelligibilium: ergo & eadem eſſentia ratione ſuæ infinitæ bonitatis, & perfectionis intrinſecæ eſt ſufficiens motivum voluntati divinæ reſpectu omnium volibilium.

Objic. 1. Deus movetur ad nos prœmiandos a noſtris meritis: ergo non ſola bonitas eſt motivum voluntatis divinæ, ſed & merita noſtra. ℞. D. a. Deus movetur a noſtris meritis, quatenus ea in ſe ipſis ſpectantur n. a. quatenus ea eminenter in bonitate divina continentur c. a. Deinde demerita noſtra Deum non immediate movent ad nos puniendos, ſed bonitas divina, cui demerita opponuntur. 193

Objic. 2. Deus amat creaturas amore amicitiæ: ergo eas amat propter bonitatem propriam creatam. ℞. N. c. Etſi Deus amet propter ſe ipſum creaturas, tamen illas ordinat ad ſe propter commodum ipſarum creaturarum, quibus maximum eſt bonum, ad Deum referri: adeoque intendit Deus ſic amando etiam commodum creaturarum, & eas amat amore amicitiæ.

Aſſero 2. Amat Deus ſe ipſum ſimul neceſſario, 2. & libere libertate eſſentiali. P. ima pars 1mo. Deus neceſſario eſt beatus: ergo etiam neceſſario per actum amoris beatifici fertur in objectum beatificum, nempe ſuam divinam eſſentiam. 2do. Infinitas actus amoris divini, & objecti beatifici, ſeu eſſentiæ divinæ neceſſitant ad hunc actum amoris. 194

P. etiam 2da pars. Amor hic eſſentiæ divinæ eſt actus voluntatis: ergo debet eſſe liber libertate ſaltem eſſentiali, ſeu voluntarius,

ficuti libera dicitur fpiratio Spiritus Sancti, de qua plura in Tract. de Deo Trino.

195 Affero 3. Deus amat omnes creaturas, etiam futuras, & poffibiles. Ratio eft: quia hæ creaturæ omnes habent cognofcibilitatem: ergo etiam habent bonitatem: ergo ficut propter cognofcibilitatem a Deo cognofcuntur, ita etiam propter bonitatem fuam a Deo amantur. De creaturis actualibus etiam conftat ex S. Scriptura; nam Sap. 11. ad Deum dicitur: *diligis omnia, quæ funt.*

Dices: Fundamentum bonitatis eft exiftentia: fed creaturæ poffibiles non habent exiftentiam: ergo nec bonitatem. ℞. d. M. exiftentia vel actualis, vel poffibilis c. M. femper actualis n. M.

Amat autem Deus creaturas actuales, & futuras amore benevolentiæ; hic enim eft efficax volitio Dei, qua aliquid operatur circa creaturas futuras, & actuales. Creaturas autem poffibiles Deus folum profequitur fimplici complacentia; fi enim efficaciter a Deo amarentur, tunc producerentur.

Petes: an Deus neceffario, vel libere amet creaturas poffibiles? ℞. De hoc non convenire DD. Ego falvo meliori dico, quod Deus tales creaturas poffibiles amet neceffario. Ratio eft: quia amor divinus tantum libere, libertate fcilicet contingentiæ, & accidentali, videtur terminari ad objectum contingens, non autem ad objectum neceffarium: fed creaturæ poffibiles non funt objectum contingens, fed neceffarium: ergo. Neque hæc neceffitas provenit a creaturis, fed ab infinita bonitate divina, & ab infinitate amoris divini.

Articulus II.

De Potentia Dei operativa ad extra: feu de Omnipotentia.

§. I.

Quid fit Potentia Dei operativa ad extra?

196 Non abs caufa hic agitur de Omnipotentia; hujus enim notitiam fi quis non habuerit, nec probe intellexerit, quomodo applicetur, & concurrat, perfecte nunquam decreti condeterminantis natu-

ram

ram cognoscet. Quam ob rem Articulo isto quidditas potentiae Dei operativae ad extra, sequenti vero ejus applicatio, & concursus explanabitur.

Porro Deum esse vere omnipotentem, nos fides docet: sic Eccli. 1. dicitur: *unus est altissimus Creator omnipotens.* & Apocal. 19. *Dominus Deus noster omnipotens.* Scripturae consonat Symbolum S. Athanasii: *omnipotens Pater* &c. Ratio est: quia posse omnia producere, maxima perfectio est, adeoque Deo tribuenda. Consistit autem omnipotentia divina in hoc, quod Deus possit facere omne illud, quod non involvit contradictionem. Quare omnipotentia divina pro objecto suo terminativo respicit omnia entia possibilia, non autem impossibilia, vel chymaeras; hae enim, quia involvunt contradictionem, non possunt a Deo effici.

Est autem ante omnia supponendum, Potentiam Dei, qua produ- 197
cit creaturas, identificari realiter cum essentia, & omnibus attributis Dei; quia, ut habet communis omnium Theologorum, omnia in divinis sunt eadem realiter, inter quae non est oppositio relativa. Quaestio ergo unice est, an potentia ista operativa in Deo sit formaliter ipsissima voluntas Dei, vel an distinguatur ex natura rei formaliter, aut saltem per rationem ratiocinatam a voluntate divina? Sunt multi, qui affirmant, potentiam hanc in Deo esse distinctum attributum a voluntate, adeoque tres per rationem ratiocinatam saltem distinctas potentias in Deo adstruunt, scilicet intellectum, voluntatem, & omnipotentiam, dicuntque, intellectum divinum in operando ad extra dirigere, voluntatem movere, & applicare per suum decretum, omnipotentiam vero exequi ea, ad quae intellectus dirigit, & voluntas applicat, ut notat Tannerus Tom. 1. disp. 2. de Deo. q. 11. dub. 2. n. 3. Alii e converso etiam RR. qui tantum distinctionem rationis, vel ad summum virtualem inter attributa admittunt, concedunt quidem, aliquam distinctionem rationis etiam ratiocinatae intervenire inter voluntatem, & omnipotentiam, simul tamen negant, hanc distinctionem esse tantam, ut propter eam omnipotentia debeat dici esse aliud attributum, vel alia potentia, quam sit voluntas divina. H. N.

Assero: Omnipotentia Dei est formaliter ipsa voluntas divina: a- 198
deoque Deus ad extra producit creaturas immediate per voluntatem absque alia potentia executiva superaddita. Ita plures Doctores celeberrimae Soc. Jesu, qui saltem negant potentiam executivam intellectui, & voluntati superadditam, in quo est praecipua difficultas: quam-

 vis

vis aliqui eorum conftituant omnipotentiam partialiter in intellectu, & partialiter in voluntate. Favent autem Affertioni Vasquez in 1. part. D. Thomæ difp. 102. n. 6. ubi etiam pro fe allegat Scotum 1. dift. 37. q. un. Becanus part. 1. Theol. Scholaft. c. 17. q. 2. n. 2. Valentia Tom. 1. difp. 1. q. 19. punct. 6. & qu. 25. punct. 1. Quibus addit Maftrius 1. difp. 4. n. 107. Molinam, & Amicum. SSæ communiffime contra noftrum Fraffen, qui Tom. 1. tract. 3. difp. 1. art. 3. q. 4. Concl. 3. in refponfione ad aliquam objectionem circa finem fupponit, non tamen probat diftinctionem formalem inter voluntatem divinam, & omnipotentiam, ac contra plures RR.

P. 1. authoritate. Gen. 1. dicitur: *Dixitque Deus: fiat lux, & facta eft lux.* Pfal. 148. *Ipfe mandavit, & creata funt.* ubi imperio Dei, quod eft actus voluntatis, adfcribitur creatio rerum, quæ eft actus omnipotentiæ. Idem dicunt SS. PP. apud Herincx, & Maftrium allegati. S. Athanafius ferm. 3. contra Arianos ait: *Patris voluntas efficax eft, & Architectrix, eaque per fe fufficit ad res creandas.* & ferm. 4. contra eosdem afferit, *Deum folo nutu voluntatis agere.* S. Damafcenus L. 2. de fide c. 29. *Ipfius Dei potentia nihil aliud eft, quam bona Ipfius voluntas.* S. Auguftinus L. de fpec. c. 7. & L. Meditat. c. 29. *Voluntas tua opus eft, cui velle eft poffe, quæ omnia, quæ ex nihilo creafti, fola voluntate fecifti,* Obvius plane, & proprius fenfus horum textuum (in quo accipi debent, nifi aliquid obftet) indicat, voluntatem non effe meram potentiam motivam, & applicativam caufæ effectivæ, & creativæ rerum, fed ipfam voluntatem divinam effe Potentiam, & caufam productivam earum. His authoritatibus etiam fubfcribit Doctor fubtilis, a Vasquez citatus, dicens: *Omnipotentia eft voluntas, ad cujus velle fequitur rem effe.*

P. 2. ratione. Attributa divina non debent in Deo multiplicari, quando ex tali multiplicatione derogatur alicui perfectioni, aut virtuti in Deo: atqui fi intellectui & voluntati adderetur alia Potentia tanquam fpeciale attributum, & fic multiplicarentur attributa, tunc derogaretur alicui perfectioni, ac virtuti in Deo: ergo. M. vix negari poteft; nam ideo non admittuntur in Deo aliquæ formalitates fuperadditæ intellectui, & voluntati, quæ haberent rationem habitus, quia per eas derogaretur virtuti, & perfectioni intellectus, & voluntatis divinæ. m. p. Per talem multiplicationem derogaretur efficaciæ, & perfectioni voluntatis divinæ; non enim foret ita efficax, fi indigeret aliqua

liqua virtute ſuperaddita executiva, quam ſi per ſe ſolam absque alia virtute poſſet efficere id, quod efficaciter intendit.

Confirm. 1. Voluntas divina eſſet perfectius efficax, ſi non ſolum moraliter movendo, & quodammodo imperando, ſed & phyſice influendo poſſet efficere ſuum objectum efficaciter intentum: ergo ſi voluntas non poſſit per ſe ipſam efficere res creatas efficaciter volitas, tunc derogatur ejus efficaciæ.

Confirm. 2. Quod noſtra voluntas non poſſit per ſe ipſam aliquid ad extra efficere, vel producere, & indigeat potentia executiva alia, provenit ex limitatione ejus: ergo ne etiam in divina voluntate admittamus limitationem, debemus dicere, quod illa per ſe ipſam poſſit ad extra aliquid efficere, ſine potentia executiva ſuperaddita.

Confirm. 3. argumento Vasquezii. Potentia executiva importat eſſentialem imperfectionem, eoquod debeat eſſe ſubjecta voluntati, ei obedire, & ad nutum ipſius operari, quod in Deo non poteſt habere locum: ergo talis potentia executiva non poteſt dari in Deo. Ex his

Deduces 1. Deum ad extra non agere immediate per ſuam es- 199
ſentiam, concurrente ſolum voluntate per modum applicantis, vel non impedientis illam. Laudati pro noſtra Aſſertione contra Suarez. Ratio eſt: quia S. Scriptura, & PP. vim immediate effectivam creaturarum voluntati, non vero eſſentiæ divinæ attribuunt. 2do. Quia esſentia etiam in hoc ſyſtemate deberet eſſe potentia executiva, diſtincta a voluntate, tanquam potentia movente: atqui hoc indicaret imperfectionem in voluntate, & eſſentia divina; quia hæc tanquam potentia executiva eſſet ſubdita potentiæ moventi, & applicanti: illa vero, ſeu voluntas non foret infinite, & perfectiſſime efficax; indigeret enim alia potentia exequente.

Deduces 2. Neque Omnipotentiam conſiſtere proxime in intelle- 200
ctu, tanquam potentia executiva per actum imperii, & voluntate tanquam potentia applicante, & determinante intellectum. Smiſing tr. 3. diſp. 7. n. 34. contra doctiſſimum D. Mezger tom. 1. tr. 1. diſp. 12. ar. 1. n. 7. & alios. Ratio noſtra eſt 1mo quia iſta etiam ſententia admittit aliquam potentiam miniſterialem executivam a voluntate applicante diſtinctam: & ſic derogat efficaciæ infinitæ voluntatis divinæ &c. 2do. Hæc ſententia ſupponit, imperium eſſe actum in-

 tellectus;

tellectus; cum tamen juxta probabiliorem fententiam fit actus voluntatis.

201 Deduces 3. Neque in folo intellectu, neque in intellectu & voluntate fimul poffe ftatui omnipotentiam divinam; nam intellectus divinus folum oftendit, & cognofcit creaturas, non autem eas efficit: omnipotentia vero debet eas producere.

202 Quæres 1. An Omnipotentia divina effentialiter connectatur cum creaturis poffibilibus, adeo, ut omnibus creaturis poffibilibus implicantibus omnipotentia divina non maneret? ℟. negative. Ita Scotus 1. dift. 30. q. 2. in principio: quem fequuntur SSæ paffim: eft tamen contra multos RR. dicentes, quod vel una creatura, quæ modo eft poffibilis, implicante Deus neceffario non foret omnipotens, imo & ipfe implicaret. Ratio eft 1mo. Deus eft magis neceffarius, quam creaturæ: ergo etiam implicante omni creatura, Deus non ftatim implicaret. 2do. Videtur per fe abfurdum, quod Deus ita dependeat a poffibilitate unius mufcæ, ut ea implicante & Deus ipfe cum fua omnipotentia implicaret.

Dices: Si omnes creaturæ implicarent, tunc Deus non amplius diceretur omnipotens: ergo omnipotentia neceffario pendet ab objecto poffibili. ℟. D. c. neceffario pendet ab objecto poffibili fecundum effe fuum intrinfecum, & entitativum n. c. fecundum denominationem extrinfecam omnipotentiæ, & refpectum rationis, quem dependenter a creaturis poffibilibus habet c. c. Si omnes creaturæ implicarent, haberet Deus voluntatem æque infinite perfectam, ac nunc eft, licet ceffaret in ea denominatio extrinfeca omnipotentiæ, defumpta ex creaturis poffibilibus. Quamvis itaque implicaret creatura poffibilis, omnipotentia nihilominus non effet limitata, fed totus defectus fe haberet ex parte termini, & objecti implicantis: ficut & modo potentia Dei non eft minus perfecta, quod non poffit producere chymæram, quia totus defectus non ex parte potentiæ, fed chymæræ fe tenet.

203 Quæres 2. An entia poffibilia fuam poffibilitatem a Deo, & divina omnipotentia habeant? ℟. negative. Ratio eft 1. prius debet effe res in fe, quam ad aliud: ergo prius debet res in fe effe poffibilis, quam refpicere omnipotentiam divinam. 2. Intellectus divinus non facit objectum fuum intelligibile, fed illud præfupponit: ergo & omnipotentia divina non facit objectum fuum poffibile, fed illud præfupponit aliunde effe poffibile. 3. Si poffibilitas rerum totaliter penderet ab

omnipotentia divina, tunc non poſſet dari ſolida ratio, cur homo ſit poſſibilis, & hircocervus impoſſibilis; nam omnipotentia divina eſt infinita: ergo quantum eſt ex ſua parte, poteſt ſe extendere ad quæcunque, & propterea extrinſecum quid, nempe natura hircocervi non obſtaret; cum juxta AArios nec hominis, nec hircocervi natura importet poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem.

Nec obeſt, quod ſic daretur aliquod eſſe ſine Deo; nam ſufficit, quod non detur aliquod eſſe actuale ſine Deo, & quod omnia, quæ exiſtunt, quoad actualem exiſtentiam & eſſe dependeant a Deo.

Dices: Creaturæ poſſibiles ſunt veræ creaturæ: ergo dependent a Deo. ℞. D. a. ſunt veræ creaturæ actu exiſtentes n. a. non actu exiſtentes c. a. Creaturæ tantum dependent a Deo quoad eſſe actuale, non quoad eſſe poſſibile; cum enim eſſe poſſibile a parte rei non dicat aliquid actu exiſtens, ſic neque dicit actualem dependentiam a Deo, ſed tantum fundamentalem. De hac re plura in Philoſophia.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Attributa, & Potentiæ, quæ in creatis diſtinguuntur realiter, vel realiter ſunt plura, ſolent in Divinis diſtingui ex natura rei formaliter, vel ſaltem ſunt plura per diſtinctionem rationis ratiocinatæ: ſed voluntas, & potentia executiva in creatis diſtinguuntur realiter: ergo in divinis diſtinguuntur ex natura rei formaliter, vel ſaltem ſunt plura attributa per diſtinctionem rationis ratiocinatæ. ℞. D. M. quando tali diſtinctione, & multiplicatione attributorum non derogatur alicui perfectioni divinæ c. M. ſecus n. M. Multum autem derogaretur voluntati divinæ, ſi per ſe ipſam non eſſet efficax, & indigeret potentia alia executiva, ſicut voluntas creata, & limitata. Vide n. 198. Prob. 2. 204

Objic. 2. Voluntas tantum intentionaliter fertur in ſuum objectum, appetendo, vel nolendo illud: ergo potentia illa, quæ etiam phyſice, & executive tendit in objectum, illud efficiendo, non poteſt eſſe formaliter voluntas. ℞. D. a. voluntas creata, & limitata tr. a. voluntas increata, & infinita n. a. Voluntas infinita non ſolum 205

lum potest velle, & nolle, sed etiam volendo producere objectum aliquod ad extra; alias enim non esset potentia infinite efficax.

Dixi: *Trans. Ant.* Nam in creatis etiam voluntas in actu primo spectata non solum intentionaliter fertur in objectum, sed etiam physice producit suos actus volitionis, & nolitionis, & actus secundus voluntatis creatae in probabili sententia efficere potest habitum in voluntate. Neque obest, quod voluntas creata saltem extra se non producat aliquem actum, vel effectum; id enim ex limitatione voluntatis creatae provenit: ast limitatio in voluntate divina non potest habere locum.

206 Objic. 3. Intellectus, & voluntas sunt duae potentiae juxta SSas ex natura rei formaliter distinctae: ergo & voluntas, ac omnipotentia. ℞. N. c. & parit. Si intellectus & voluntas non essent diversa, ac formaliter distincta attributa, non posset amplius ratio dari, cur Filius divinus, non autem Spiritus S. generaretur, & per intellectum procederet: tale autem absurdum non sequitur, quando voluntas divina formaliter est omnipotentia. 2do. Intellectus & voluntas habent oppositos modos agendi: ille agit naturaliter, ista libere, ad intra quidem libertate essentiali, ad extra etiam libertate contingentiae, non vero omnipotentia & voluntas, quae ambae ad extra libere agunt.

207 Objic. 4. Deus voluit creaturas ab aeterno: ergo si voluntas est potentia productiva, creaturas produxit ab aeterno. ℞. 1. Retorq. Argum. ergo si voluntas sit potentia applicativa, tunc potentiam executivam ab aeterno applicavit ad creaturas producendas, consequenter eae ab aeterno debuerunt produci. ℞. 2. D. a. Deus voluit creaturas ab aeterno, sed non pro aeterno c. a. voluit etiam eas, & earum existentiam pro aeterno n. a. & c.

208 Objic. 5. contra Illationem num. 199. propositam. Solus intellectus, & sola voluntas divina sine essentia non sufficiunt ad producendas Personas Filii & Spiritus S. ergo neque sola voluntas divina sine essentia sufficit ad producendas creaturas. a. constat; nam intellectus per essentiam debet foecundari ad generandum Filium, & voluntas per eandem essentiam foecundatur ad spirandum Spiritum S. ℞. 1. Retorq. Argum. Respectu processionis Filii, & Spiritus S. intellectus divinus, & voluntas non sunt principia applicantia, sed vere productiva ut quo: ergo etiam respectu productionis creaturarum voluntas divina non solum applicat essentiam tanquam potentiam productiva

ductivam, ut putant Adversarii, sed ipsa voluntas est principium productivum.

℟. 2. in forma. D. a. Intellectus & voluntas se solis non sufficiunt &c, sed requirunt essentiam tanquam objectum foecundans c. a. requirunt essentiam tanquam potentiam executivam n. a. & d. c. ergo etiam sola voluntas ad extra non sufficit, sed requirit essentiam, tanquam objectum motivum, quod etiam in nostra sententia movet voluntatem ad creaturas libere producendas c. c. requirit essentiam tanquam potentiam executivam n. c.

Objic. 6. contra eandem illationem. Omnipotentia divina con- 209
venit soli Deo, quatenus est infinitus in omni genere entis, & continet saltem eminenter perfectiones omnium creaturarum: atqui Deus solum sub ratione essentiæ est infinitus in omni genere entis &c. non vero in ratione voluntatis, quæ tantum est infinita in ratione potentiæ volitivæ: ergo omnipotentia divina convenit Deo in ratione essentiæ, non in ratione voluntatis.

℟. D. M. Omnipotentia convenit Deo, quatenus est infinitus in omni genere entis &c. id est, Deus, quatenus sic in omni genere entis est infinitus, est radicaliter, & fundamentaliter omnipotens c. M. est formaliter omnipotens n. M. & concessa m. d. c. ergo omnipotentia convenit Deo ratione essentiæ, id est, essentia divina est radix, & fundamentum omnipotentiæ c. c. est formaliter ipsa omnipotentia n. c. Concedo equidem, Deo non posse competere omnipotentiam, nisi essentia divina, a qua voluntas, & omnipotentia promanat, sit infinita in omni genere entis, & creaturas saltem eminenter contineat: nego autem, quod ipsa omnipotentia debeat continere in se eminenter, vel formaliter creaturas producibiles. Ratio est: quia requiritur quidem, ut *principium quod*, ac remotum, quale in proposita materia est Deus, & essentia divina, in se contineat perfectiones sui effectus; non tamen exigitur, ut illas contineat *principium quo* proximum realiter identificatum principio quod. Tale principium quo proximum respectu creaturarum in Deo est voluntas.

Ex his inferes: Voluntatem adæquate conceptam, & entitative 210
esse ipsam omnipotentiam, inadæquate autem, seu per rationem voluntatem distingui ab omnipotentia; quia voluntas, considerata in ratione omnipotentiæ, importat unice principium efficax immediate productivum creaturarum, & abstrahit a reliquis prædicatis eidem voluntati divinæ competentibus. Unde voluntas, & omnipotentia se

mutuo habent ficut includens & inclufum; voluntas enim, utpote quæ fe latius extendit ad omne bonum increatum, & creatum, includit in fe omnipotentiam, attingentem folum bonum creatum, illi pro libitu fuo dando exiftentiam.

Articulus III.

De Applicatione, & concurfu Omnipotentiæ.

§. I.

De Applicatione ejusdem.

211 Hæc quæftio de applicatione Omnipotentiæ divinæ celeberrima eft apud Patronos fcientiæ mediæ, quos in diverfas, & plures fententias dividit. Pro quo notandum eft, hos terminos: *Omnipotentiam divinam effe applicatam*, apud ipfos idem fonare, ac: *Omnipotentiam divinam effe præparatam, & proxime expeditam ad agendum*; nam omnis caufa conftituens, vel ingrediens actum primum proximum debet effe applicata, feu proxime expedita ad agendum: ergo etiam omnipotentia divina conftituens actum primum proximum noftrorum actuum, utpote fine qua concurrente nihil agere poffumus, debet effe ita præparata, & applicata. Videatur Clariffimus P. Antonius Mayr Theol. Shol. tr. 1. n. 578. Quæritur autem unice de applicatione omnipotentiæ divinæ ad concurrendum cum voluntate creata.

Plures circa hanc materiam opiniones enumerat Clariffimus P. Hermann de Deo volente a n. 190. quas brevitatis gratia omittens, affero folum illam, quam ipfe Clariffimus Author propugnat ut fuam n. 287. ubi *formalem*, & *paffivam* applicationem omnipotentiæ in tribus conftituit: 1mo in omnipotentia divina ex fe femper parata, & prompta ad concurrendum pro exigentia creaturarum; nam juxta Defenfores hujus fyftematis omnipotentia divina ex fe, & conceptu caufæ primæ ita eft conftituta, ut neceffario agat, agente aliqua creatura: ficut & immenfitas Dei neceffario exiftit, ubicunque eft locus, prout Clariffimus P. Antonius Mayr laudatus difcurrit n. 582. 2do confiftit in ipfo actu primo proximo creato completo, qui exigit concurfum paratum omnipotentiæ divinæ cum voluntate creata, ita quidem, ut talis concurfus absque miraculo negari nequeat voluntati creatæ. 3tio

conſiſtit in negatione impedimenti, præſertim in abſentia decreti miraculoſi, quo Deus ſuſpenderet ſuum concurſum, & nollet coagere. In his cum laudatiſſimo P. Hermann applicationem *formalem*, & *paſſivam* conſtituunt Munieſſa, Ant. Mayr, & hoc teſte communiter illi authores, qui decretum Dei virtualiter indiviſibile ſtatuunt; quamvis applicationem *cauſalem*, & *activam* conſtituant in aliquo decreto, juxta ipſos ſe tenente ex parte actus primi remoti, quo Deus ſaltem non vult impedire omnipotentiam, vel concurſum ſuſpendere &c.

Ex hac doctiſſima explicatione SSæ poſſunt aliqua cum proportione admittere; 1mo enim etiam juxta SSas requiritur totus actus primus proximus creaturæ ad hoc, ut omnipotentia ſit proxime expedita ad concurrendum cum creatura; quippe Deus concurrendo ſe accommodat creaturæ: ſi ergo hæc non eſt proxime diſpoſita ad agendum, neque Deus eſt proxime paratus ad coagendum. 2do. Etiam ſecundum SSas requiritur abſentia omnis impedimenti antecedentis, quo prævie impediretur voluntas creata, ne pro libitu ad unum ex oppoſitis ſe determinare poſſit, ſcilicet ad agendum, vel non agendum. Eapropter exigitur excluſio omnis decreti miraculoſe prædeterminantis, vel antecedenter denegantis concurſum paratum; niſi enim talia impedimenta abſint, voluntas creata nequit libere agere, proinde nec Deus concurrere ad actum liberum creaturæ. Verum, quod omnipotentia ex ſe, & ſua quidditate ſit ita prompta ad concurrendum, ut AArii volunt, non ſolum SS. ſed & multi RR. negant. Ideo 212

Aſſero: Omnipotentia divina non eſt ex ſe, & ſecluſo decreto divino prompta ad neceſſario concurrendum juxta exigentiam creaturarum. Ita R. P. Gormaz Tom. 1. Diſp. 18. n. 1034. cum aliis. 213

P. 1. Omnipotentia divina eſt potentia libera ad extra, imo juxta dicta eſt ipſa voluntas libere agens ad extra: ergo non eſt potentia ex ſe neceſſario determinata ad agendum juxta exigentiam creaturarum, ſicut immenſitas ad coëxiſtendum omni loco: ſi ergo determinata eſt ad coagendum, hoc provenit ex obligatione, & neceſſitate, quam ſibi omnipotentia libere per proprium decretum imponit.

P. 2. Per ſuam explicationem AArii incurrunt difficultatem, quam maximopere fugiunt, & non raro aliis objiciunt: ergo hæc explicatio ab ipſis non poteſt admitti. A. p. AArii ſic explicantes omni-

potentiæ applicationem maxime laborant, ne admittant in Deo aliquam propenſionem ad peccatum; ex hoc enim capite acriter noſtrum decretum condeterminans impugnant. Ex eadem cauſa non admittunt, poſſe omnipotentiam applicari per decretum, ſic tendens disjunctive: *Volo concurrere vel ad actum bonum, vel ad actum malum creaturæ*; quia hic tendendi modus indicat, Deum eſſe æque propenſum ad actum malum creaturæ, ac ad bonum, ut doctiſſime argumentantur Clariſſimi Ant. Mayr Tr. 1. n. 584. ac Hermann de Deo volente n. 192. atqui hanc difficultatem etiam incurrere videntur AArii: ergo. m. p. Omnipotentia divina juxta AArios promiſcuam videtur habere promptitudinem, & inclinationem naturalem ad actus bonos, & malos, & quidem tantam, ut, niſi omnipotentia aliquo miraculoſo decreto, quaſi fræno cohibeatur, cum creatura neceſſario concurrere, & prorumpere debeat in actum quoque malum, poſito, quod creatura male agat: ergo eandem, vel ſaltem æqualem difficultatem incurrere videntur AArii. Quod & R. P. Junius, ſcientiæ mediæ Patronus inſignis apud Clariſſimum P. Hermann cit. n. 289. advertit, ac contra dictam explicationem opponit.

214 Neque dicas cum Clariſſimo P. Hermann. Omnipotentia divina non eſt volitiva, atque adeo non poteſt habere affectum ad actus peccaminoſos. Nam contra eſt: Ex hoc ſolum ſequitur, quod omnipotentia divina non habeat affectum, vel inclinationem volitionis, quam in creatis elicitam appellamus; quo tamen ſtante adhuc manet, quod in AAriorum ſententia habeat inclinationem naturalem, ſicut intellectus divinus naturalem propenſionem habet ad cognoſcendum omne verum: atqui etiam hoc eſt maxime imperfectum, Deum habere inclinationem, & propenſionem naturalem ad actus malos, & quidem tantam, ut haud aliter impediri valeat, quam per decretum miraculoſum: ergo.

Adde, quod Articulo nupero jam efficaciter probatum ſit, omnipotentiam divinam eſſe volitivam, ſeu eſſe ipſam voluntatem. Contra quod oppones forte illa, quæ Clariſſimus P. Hermann de Deo volente n. 289. contra R. P. Junium affert, probans, quod omnipotentia in ſuo ſyſtemate neque realiter accepta, ſeu prout eſt realiter identificata cum voluntate, habeat affectum ad actus malos. Verba ejus doctiſſima ſic habent: *Si omnipotentia ſpectetur realiter, divina voluntas non habet affectum ad illos*, id eſt, *actus malos; cum actum* pri-

primum proximum liberum det quidem creaturæ ad actus malos, cum intentione tamen, ut eos non ponat, imo per illustrationem & inspirationem ab illis etiam absterreat. Ast ita quoque respondere possunt illi, qui admittunt decretum sic disjunctive tendens: *Volo concurrere vel ad actum bonum, vel ad actum malum creaturæ;* possunt enim dicere, quod Deus habeat quidem hoc decretum, cum intentione tamen, ne actus malus ponatur a creaturis, quas etiam juxta ipsos per illustrationes &c. a malo absterret. Similem quoque Responsionem cum proportione dant Scotistæ, dum ipsis imputatur, quasi admittant in Deo affectum ad peccatum formale &c. ut videre est Dissert. 2. seq. Art. 2. §. 1. specialiter in Responsione ad object. 6. N. 254. ergo vel hæc responsio non videtur solvere difficultatem istam, vel si eam solvit, tunc neque admittentes illud decretum disjunctive tendens, neque Scotistæ efficaciter impugnari possunt ex hoc capite, quod admittant in Deo affectum ad malum. Ex his

Colligis, ad hoc, ut Omnipotentia fiat expedita ad concurren- 215
dum cum creatura, requiri præter alia decretum aliquod offerens concursum paratum. Ratio hujus jam est data; quia omnipotentia, tanquam potentia libera, ex se non est determinata ad concurrendum, sed debet se ipsam per propriam, & liberam determinationem applicare.

§. II.

De Concursu Omnipotentiæ divinæ.

Duo quæri possunt: 1mo. in quo consistat concursus Dei ad actus nostros liberos? 2do. An Deus ad hunc concursum a creatura agente determinetur? Ad primum

Assero 1. Actio omnipotentiæ divinæ, & ejus concursus ad a- 216
ctus nostros liberos est volitio Dei efficax, seu est decretum condeterminans, quo ab æterno cum voluntate creata in se eminenter contenta efficaciter condecernit actum liberum futurum in tempore. Est communis SSarum condeterminantium.

P. Actio, sumendo eam pro influxu, & concursu actuali, universaliter est id, quo potentia reducitur ad actum secundum, seu quo ex potente agere est, vel fit actu agens: atqui omnipotentia divina reducitur ad actum secundum per volitionem efficacem, & de-

cretum divinum: ergo &c. m. p. omnipotentia divina fecundum dicta eft ipfa voluntas: fed voluntas divina reducitur ad actum fecundum ad extra per volitionem efficacem, & per decretum, quo efficaciter vult, talem effectum accipere exiftentiam pro determinato tempore: ergo.

Debet autem hoc decretum effe concomitans, fi loquamur de concurfu ad actus noftros liberos; alias enim, fi effet antecedens, læderet noftram libertatem: fi foret fubfequens, non conveniret altiffimo Dei dominio. Qui plura de hac Affertione fcire defiderat, confulat noftros Philofophos, qui hanc materiam pertractare folent. Videri etiam poteft Marinus Panger in Phyf. Univerf. Difp. 7. q. 1. fect. 1. n. 3.

217 Affero 2. In aliquo fenfu poteft admitti, quod creatura determinet Deum ad coagendum cum ipfa. Smifing Tr. 3. Difp. 3. n. 75. & 81. Herincx part. 1. Tr. 3. Difp. 1. 2. 22. cum aliis præfertim RR.

P. 1. Creatura eft ratio, quare Deus cum ea agat: ergo in aliquo fenfu determinat Deum ad coagendum. a. p. Deus ex mera liberalitate, & ne impediat libertatem noftram, non agit, nifi creatura agat: ergo creatura agens eft ratio, cur Deus coagat; fi enim creatura non ageret, neque Deus concurreret.

P. 2. Deus per decretum generale fibi ipfi legem, & neceffitatem impofuit expectandi creaturam, & illius electionem: adeoque in concurrendo cum ea non utitur libera electione, quam creaturæ relinquit, neque agit immediate libere, fcilicet libertate phyfica; quia non poteft fine miraculo non agere in illis circumftantiis, in quibus creatura ageret, fi concurfum divinum haberet, bene vero creatura immediate, & phyfice libera eft ad agendum, & non agendum: ergo electio, & determinatio *libera* eft penes creaturam, non vero poteft Deo adfcribi, utpote qui non immediate & phyfice liber eft in tali concurfu. Unde fi per determinationem hanc nihil aliud intelligitur (ficut RR. nihil aliud intelligunt) quam, quod creatura agens fit ratio, cur Deus coagat cum creatura libere agente, admitto gratis, quod creatura determinet Deum ad concurrendum.

218 Affero 3. Hæc tamen determinatio creaturæ, qua Deum determinat ad concurrendum, pro nullo figno præcedit, fed fimultanee coincidit cum concurfu, & determinatione Dei. Ita SSæ condeterminantes.

P. Quam-

P. Quamvis Deus reliquerit creaturæ poteſtatem eligendi, & determinandi ipſum Deum, tamen non reliquit, neque relinquere potuit ei poteſtatem determinandi ſine Deo ſimultanee concurrente; cum impoſſibile ſit, creaturam agere, & determinare, niſi Deus ſimultanee concurrat: ergo.

Confirm. & explicatur Aſſertio. Etiamſi materia prima, & forma ſubſtantialis ligni ſimultanee concurrant ad conſtituendum compoſitum ligni, tamen forma eſt ratio determinativa materiæ ad conſtituendum tale eſſentialiter compoſitum: ergo etiamſi Deus & creatura ſimultanee concurrant ad actum creaturæ, hæc tamen poteſt eſſe ratio determinans Deum, ut ad hunc actum concurſum ſuum præſtet.

In hoc ſenſu etiam R. P. Gormaz Tom. 1. n. 1044. cum aliis RR. dicit, quod voluntas noſtra determinet habitum charitatis ad producendum actum ſupernaturalem amoris, eatenus nempe, quatenus noſtra voluntas ſolum eſt libera, & libere agit, non autem habitus, qui tantum neceſſario coagit; item quatenus habitus charitatis non poteſt agere, niſi voluntas agat, quamvis voluntas non prius agat, vel determinet, quam ipſe habitus concurrat; nam concurſus voluntatis, & habitus eſt ſimultaneus. Ita etiam loquitur Clariſſimus P. Anton. Mayr Theol. Schol. tr. 1. n. 491.

Objic. 1. Creatura habet jus, & poteſtatem eligibilitatis; ergo 219
debet pro priori eligere, & determinare, antequam Deus concurrat. ℟. D. a. Habet poteſtatem & jus eligibilitatis, ut ſe ſola ſine concurſu Dei ſimultaneo poſſit aliquid eligere n. a. ut ſolum Deo ſimultanee concurrente poſſit eligere c. a. & n. c. Ratio diſtinctionis habetur ex probatione Aſſertionis præced.

Dices: Sed hoc ipſum eſt imperceptibile, quod Deus & creatura ſimultanee influant in eundem actum, & electionem voluntatis creatæ, & tamen ſola voluntas creata dicatur eligere: ergo nulla reſponſio. ℟. 1. indirecte. Deus & creatura ſimul influunt in actum vitalem creatum, & meritorium, quin tamen Deus per hunc actum vivat, aut mereatur: ergo a pari poteſt Deus & creatura ſimul influere in eundem actum electionis, quin Deus dicatur eligere.

℟. 2. directe. N. m. ſubſumpt. ad hoc, ut Deus dicatur eligere, requiritur, ut ſpeciali & requiſito modo influat ad hanc denominationem recipiendam, ſcilicet ut influat ſine neceſſitate, & cum libertate phyſica ac immediata: ſicut ideo non dicitur mereri, quia in actum

actum meritorium quidem influit, ast non modo requisito ad rationem meriti; non influit enim ut viator, neque ex intentione deferendi Deo obsequium, quod tamen ad meritum requiritur. Taliter influit quoque Deus in actum vitalem creatum, & per eum non vivit; quia ad illum non concurrit immanenter. Aliud exemplum ex opposito habes in productione individui; Deus enim cum causa creata simultanee concurrit ad individuum creatum, & tamen solus Deus dicitur determinare ad individuum, vel (quod idem est) eligere hoc determinatum individuum; quia ipse solus requisito modo ad determinationem hanc, id est, cum cognitione discernente individua influit, & sic ipsi, non autem creaturae coagenti imputatur electio, & determinatio individui.

220 Objic. 2. Qui determinat alterum, habet aliquam prioritatem respectu determinati: ergo debet prius operari. Atqui creatura non potest prius operari, quam Deus: ergo creatura non potest determinare Deum. R. 1. Retorq. Argum. in habitus voluntatis; nam voluntas determinat suos habitus ad agendum; cum nullus talis habitus agere possit, quin voluntas agat: & tamen voluntas & habitus simultanee influunt in actum.

R. 2. in forma. N. a. Ad determinationem, quam admittimus, sufficit concursus simultaneus speciali titulo & modo praestitus. Sic in proposita materia creatura concurrit peculiari ratione tanquam immediate libera, & tanquam illa, a cujus nutu & sua operatio, & Dei cooperatio, Deo ita suaviter indulgente, pendet: proinde sicut creatura se determinat ad agendum, ita & Deum determinat ad coagendum, non praeveniendo concursum, sed concomitando eum, vel faciendo, ut concomitanter concursus divinus & determinatio, seu decretum Dei adesse debeat.

221 Objic. 3. Deus est etiam liber ad extra: ergo influit aeque libere in actum voluntatis creatae, ac ipsa voluntas creata. R. N. c. Quamvis Deus liberrimus sit ad extra, & pro libitu suo posset nostros actus determinare: ne tamen laedat libertatem nostram, sibi ipsi legem, & necessitatem consequentem imposuit, vi cujus se tantum nobis accommodat, & ad illos solum actus nostrae voluntatis concurrit, quos nos libere eligimus. Pro majori hujus rei cognitione

222 Quaeres, quid sit decretum generale, de quo saepius fuit facta mentio? R. 1. Est illud decretum, quo Deus juxta D. August. L. 1. de Civit. c. 30. *res, quas condidit, ita administrat, ut eas suos motus agere*

agere ſinat. Seu, eſt decretum, quo Deus tanquam cauſa prima, & Author naturæ ſtatuit cauſas ſecundas in ſuis actionibus ſecundum ipſarum exigentiam adjuvare. Hoc decretum in Deo dari, conſtat tum ex D. Auguſtino relato, tum a poſteriori; quia Deus taliter adminiſtrat, & actu adjuvat creaturas tam naturaliter, quam libere agentes: tum, quia alias Deus fruſtra produxiſſet creaturas activas, niſi habuiſſet etiam voluntatem efficacem eas in ſuis actionibus adjuvandi per ſua decreta, & concurſum neceſſarium, ut ſtatim amplius patebit: Hinc

℞. 2. Decretum generale præfatum eſt illud ipſum, quo ſtatuit Deus producere creaturas activas, ſeu certis potentiis activis præditas. Ita colligitur ex Maſtrio 1. Sent. diſp. 3. n. 114. ubi ait: *Legem generalem, vel decretum generale eſſe, quo Deus producendo univerſum, voluit in eo creaturas liberas ponere, easque libere agere, & proinde ipſas adminiſtrare juxta exigentiam ſui connaturalis modi eſſendi, & agendi.*

Ratio eſt: Dum Deus tales creaturas producit, ſe ſimul, ut cauſa prima, obligat, quod velit eas ſapienter gubernare, & ad finem, ad quem ipſarum potentiæ ordinantur, dirigere, ac proinde illas ſecundum earum exigentiam per ſua decreta, & concurſum adjuvare; nam Deus, ſeu natura naturans nihil facit fruſtra: faceret autem fruſtra creaturas activas, niſi eas ſuo concurſu, & decretis efficacibus vellet in agendo adjuvare; quia ſine concurſu, vel decreto Dei efficaci, in quo Dei concurſus conſiſtit, nunquam in actum exire poſſent. Quam ob rem, eo ipſo, quod velit producere creaturas activas, ſimul ut Author naturæ, & cauſa prima ſe obligat ad earum actiones concurrere juxta illarum exigentiam. Hinc creando potentias liberas ſe per decretum generale obſtrinxit ita cum illis coagere, ut non lædat illarum libertatem, ſed potius promoveat.

Nihilominus hoc intelligendum eſt de curſu ordinario, & niſi Deus velit uti poteſtate ſua abſoluta, & extraordinaria tanquam abſolutus Dominus; ſi enim velit agere ut Dominus abſolutus, poteſt miraculoſe contra exigentiam creaturæ liberæ vel eam prædeterminare, & antecedenter neceſſitare ad aliquem actum, vel denegare concurſum ſimultaneum, neceſſarium ad libere agendum. Atque jus hoc abſolutum Deus ſibi ſemper reſervat, dum ſe obligat ad res creatas adminiſtrandas juxta illarum exigentiam connaturalem: quod con-

conftat ex miraculofis eventibus, quibus Deus non raro aliquid ordinavit contra exigentiam naturalem aliquarum rerum. Ex his

223 Deduces 1. SSas condeterminantes non admittere, quod Deus *immediate* fit liber *libertate phyfica* ad condeterminandum, & fimultanee concurrendum cum creatura libere agente; fundant enim decretum fuum concomitans in lege, & decreto generali, quo Deus ut Author naturæ, & caufa prima fibi ipfi neceffitatem phyficam confequentem impofuit condeterminandi fe cum creatura: ergo non poffunt admittere, quod Deus immediate liber fit libertate phyfica in condeterminando; quod aliqui ex AAriis non videntur attendere. Dixi autem: *libertate phyfica.* ideo

224 Deduces 2. Neceffitatem, quæ oritur ex lege generali adminiftrandi res creatas fecundum earum connaturalem modum effendi, & agendi, in Deo non effe metaphyficam, & abfolutam, fed tantum phyficam; quia faltem per miraculum Deus aliter poteft de creaturis difponere, quam illæ connaturaliter exigunt, & fic difpenfare in fuo decreto generali. Quare decretum generale habet hanc adjunctam conditionem: *nifi mea poteftate abfoluta utar*, vel: *nifi in hac lege difpenfem &c.*

225 Deduces 3. Concurfum *paratum* nil aliud effe, quam obligationem illam, quam Deus fibi per decretum generale, feu creativum impofuit, concurrendi mediantibus decretis efficacibus cum creaturis ad quaslibet earum actiones modo ipfis connaturali.

Ex his fequitur, quod Deus tanquam agens, & liberum primum femper prius debeat exercere fuam libertatem, antequam illam poffit exercere creatura; debet enim Deus prius per decretum illud, quod generale dicimus, potentiam liberam producere, illamque proxime expeditam reddere per concurfum paratum &c. in quo Deus libertatem immediatam exercet. Aft pofito femel decreto generali, & actu primo non amplius immediate libere agit modo explicato, fed electionem, & exercitium libertatis immediatum voluntati creatæ relinquit, ita tamen, ut hæc neque fe, neque Deum determinare poffit, nifi Deo coagente, & condecernente. Vide jam laudatum Clariffimum P. Antonium Mayr Theol. Scholaft. Tr. 1. n. 490.

Differ-

Diſſertatio II.

DE DECRETIS DIVINIS.

Articulus I.

Per quid conſtituantur, vel compleantur Decreta divina.

Controverſia, quam præſenti Articulo examinare ſtatui, omnium Sapientum judicio eſt graviſſima, quam merito aliqui vocant *difficultatem inextricabilem, & ænigma abſconditum, ac unum ex divinis myſteriis, quod humana ratione nec comprehendi, nec declarari poteſt:* ut videre potes apud Clariſſimum P. Hermann de Deo volente n. 101. Quare, ſi alicui hac in parte minus ſatisfecero, cogitet, nec alium etiam doctiſſimum Theologum inveniri poſſe, qui ſibi & aliis poſſit plene ſatisfacere. Omnes hac in quæſtione, in quamcunque ſe partem verterint, aliqua dura, & difficilia devorare habent teſte R. P. Ruiz. Hac admonitione præmiſſa ſit

§. I.

Notantur aliqua.

Adverte 1. Decretum eſſe actum liberum voluntatis divinæ, 226
quo Deus aliquid ſtatuit circa creaturas, v. g. eas poſitive determinando ad exiſtentiam, pro aliquo tempore habendam &c. Dixi: decretum eſſe actum *liberum*, nimirum *libertate contingentiæ*. Unde decreta divina a Theologis etiam vocari ſolent *actus Dei contingentes*, vel *contingenter liberi*. Pro quo

Adverte 2. Deum non eſſe liberum, & indifferentem ad diver- 227
ſus actus volendi, & nolendi; hoc enim imperfectionem arguit in voluntate creata, quæ non poteſt in objecta tendere volendo, & nolendo unico ſimplici actu ob ſuam limitationem: Econtra divina voluntas, cum ſit infinita, poteſt unico indiviſibili actu tendere in quævis objecta, ea velle, & nolle. Hinc

Adverte 3. ex Doctore Subtili 1. d. 39. n. 21. voluntatem crea- 228
tam conſiderari poſſe tripliciter in ordine ad ſuum actum. 1mo. Quatenus

tenus est *productiva* illius. 2do. Quatenus est *receptiva* ejusdem. 3tio. Quatenus est *operativa* mediante tali actu. Est autem nostra voluntas dupliciter libera, in quantum nimirum est productiva sui actus, seu quatenus pro suo libitu eum potest producere, vel non producere: & in quantum est operativa, seu quatenus per talem actum potest tendere, vel non tendere in aliquod objectum. Jam divina voluntas non est productiva sui actus, neque est indifferens, ut eundem habeat, vel non habeat; alioquin esset mutabilis. Neque voluntas Dei est receptiva sui actus; alias foret in potentia ad ipsum actum, quod Deo tanquam Enti actualissimo repugnat. Solum itaque divina voluntas est libera, in quantum est operativa, seu quatenus pro libitu suo per unum indivisibilem actum suum potest tendere, vel non tendere in objectum ad extra, nempe in creaturas, illas decernendo, vel non decernendo &c.

229 Adverte 4. Certum, ac de fide esse, quod Deus ad extra sit liber libertate contingentiae, seu indifferentiae: ut patet ex variis textibus S. Scripturae. Sic Psal. 33. dicitur: *Deus ultionum libere egit.* Matth. 20. *Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Accedit ratio: Libertas haec est maxima perfectio naturae intellectualis, qua pro libitu suo potest objectum amplecti, vel respuere, tendere in illud, vel non tendere: ergo haec perfectio naturae intellectuali perfectissimae, videlicet Deo praeprimis competit, quam satis ostendit, dum liberrime hunc mundum produxit, adeo, ut potuisset eum non producere.

230 Ex dictis deduces: esse tantum unum simplicissimum actum voluntatis divinae, quo amat essentiam suam necessario, & creaturas actuales, ac futuras decernit, & producit liberrime. Hinc a parte rei non sunt plures actus in voluntate divina, bene autem sunt plures secundum nostrum concipiendi modum. Ex quo sequitur, decreta divina neque inter se, neque ab actu voluntatis divinae distingui ex natura rei formaliter, vel virtualiter, id est, distinctione virtuali Thomistica. Quod non sint plures actus in voluntate divina, constat; quia unicus ob suam infinitatem sufficientissimus est ad praestandum omne id, quod per plures, imo infinitos actus praestari posset. Ideo iste unicus actus potest in essentiam divinam tendere, ipsam necessario amando, potest & terminari ad creaturas, aliquas ex iis determinando ad existentiam, alias relinquendo in suo nihilo, & nolendo earum existentiam. Quod vero hic actus secundum nostrum inadaequatum concipiendi modum possit considerari tanquam multiplex,

plex, ex eo liquet; quia potest diversimode considerari in ordine ad diversa objecta, v. g. ut tendens in essentiam divinam, & sic dicitur Amor necessarius: deinde potest concipi ut tendens in hunc mundum, decernendo ejus existentiam, & taliter dicitur decretum de condendo hoc mundo: & sic ulterius quasi in infinitum unus indivisibilis actus voluntatis divinae per inadaequatos conceptus terminative, & objective dividi potest. Qui tamen conceptus imperfecti nullam veram contradictionem a parte rei talem inferunt, vel si sit aliqua contradictio, tunc ea non cadit supra decreta, & actus voluntatis divinae entitative, & in se spectatos, sed ut reduplicatos, & terminatos ad diversa objecta: hinc distinctio, quae ex ejusmodi contradictoriis sequitur, afficit sola objecta, in quae tendit actus voluntatis divinae, non autem ipsum actum a parte rei multiplicat. Igitur a parte rei est tantum unicus, formaliter & virtualiter indistinctus actus voluntatis divinae, quo Deus amat se ipsum, creaturas possibiles, & alia, ac quo decernit omnia.

Objic. Actus, quo Deus amat se ipsum, est necessarius, & actus, quo Deus decernit mundum, non est necessarius, sed contingens: ergo de his duobus actibus verificantur contradictoria, quae inferunt distinctionem ex natura rei formalem. ℞. D. c. De his duobus actibus entitative spectatis verificantur contradictoria n. c. terminative spectatis c. c. si qua contradictio est, tunc ea non cadit supra actum voluntatis divinae in se inspectum, sed ut terminatum ad diversa objecta: proinde distinctio non se tenet ex parte actus volitionis, sed ex parte objectorum, in quae tendit. 231

§. II.

Ponuntur Assertiones.

Assero 1. Actus Dei liber nec adaequate, nec inadaequate constituitur per complementa extrinseca, sed est perfectio Deo adaequate intrinseca. Quare decretum liberum, quo Deus statuit condere mundum, non constituitur, nec formaliter, aut intrinsece completur per mundum volitum, aut aliquid aliud creatum. & sic de caeteris. Haec Conclusio teste Frassen Tom. 1. Tr. 2. disp. 2. q. 2. n. 2. est contra Aureolum nostrum, & teste Viva part. 1. disp. 4. q. 1. n. 6. contra Vasquez, & plurimos RR. 232

P. breviter. Per ſe abſurdum videtur, quod actus Dei, & ejus libertas debeat intrinſece, & eſſentialiter compleri per aliquid creatum, & finitum, ſeu quod actus divinus debeat ſuam completam conſtitutionem & quidditatem partialiter, vel adæquate emendicare a re creata: ergo non ſic completur, aut conſtituitur per complementa extrinſeca.

Confirm. Implicare videtur, quod actus Dei ſit partim infinitus, partim finitus, partim Deus, partim creatura &c. atqui hoc ſequitur ex ſententia, quæ dicit, actum Dei liberum conſtitui ſaltem inadæquate per complementa extrinſeca, ut conſideranti palam eſt: ergo hæc ſententia admittit aliquid, quod implicare videtur.

233 Aſſero 2. Libertas divinæ volitionis non recte explicatur per relationem rationis in rigore acceptam. P. Deus libere vult, & operatur independenter a noſtro conceptu, aut fictione intellectus: imo ab æterno libere voluit, etiamſi necdum fuerit creatura, quæ reſpectum rationis confingeret. Si vero dicant AArii libertatem divinam conſiſtere in relatione rationis fundamentali, tunc nihil explicant, niſi dicant, quodnam ſit illud fundamentum, quod talem reſpectum rationis fundare poſſit: atqui fundamentum nobis non indicare poterunt, niſi aliquam ex reliquis ſententiis circa hanc materiam amplectantur: adeoque per ſolum reſpectum rationis ſeu formalem, ſeu fundamentalem difficultatem non ſolvunt.

234 Aſſero 3. Volitio Dei libera non ſuperaddit actui voluntatis divinæ aliquam terminationem intrinſecam cum eo actu realiter identificatam, ac ab illo antecedenter ſeparabilem, ſeu talem, qua potuiſſet Deus ab æterno carere. SSæ communiter contra Clariſſimum P. Hermann de Deo volente n. 159. Rev. P. Viva part. 1. Curſ. Theol. diſp. 4. q. 1. n. 9. & alios plurimos RR.

P. 1. Talis terminatio intrinſeca potuiſſet non identificari Deo, conſequenter potuiſſet a Deo ſeparari, ſaltem antecedenter: ergo neque de facto identificatur Deo. Ant. eſt AAriorum. c. p. quæ ſemel ſunt ſeparabilia, nunquam poſſunt realiter identificari; ſeparabilitas enim antecedens eſt ſignum realis diſtinctionis.

P. 2. Vel talis terminatio intrinſeca eſt quid divinum, vel creatum? ſi primum: tunc Deo ſemper debet identificari, & nunquam poteſt ab eo eſſe ſeparata. Si ſecundum: tunc non poteſt Deo identificari; nam nil creatum Deo identificari poteſt.

Confirm. Per se absurdum est, quod aliquid, quod nunc entitative est Deus, scilicet volitio mundi, vel terminatio ejus, potuisset esse nihil, & deficere, posito, quod Deus noluisset condere mundum. Iterum inconveniens est, illud nunc esse nihil, quod potuisset entitative esse Deus: sicut defacto nolitio mundi hujus est nihil, & tamen potuisset identificari cum Deo, & entitative esse Deus, ut præclare argumentatur noster Illustrissimus Herincx: ergo &c.

Respondebis cum AAriis. Actus Dei liberos potuisse non esse, & 235
deficere, non quidem quoad essentiam suam, sed tantum quoad terminationem, id est, non essentialiter, sed terminative. Contra est: Terminatio istorum actuum realiter identificatur cum essentia illorum: ergo si terminatio eorum potuisset deficere, & esse nihil, tunc & ipsa essentia. Vel aliter: a parte rei terminatio horum actuum est ipsa essentia, & entitas eorum; alias enim terminatio hæc non esset intrinseca, & realiter identificata istis actibus: ergo si terminatio horum actuum potuisset deficere, & non esse, tunc etiam entitas, & essentia eorum.

Neque efficaciam hujus instantiæ videtur infringere distinctio virtualis, quam AArii adstruunt inter essentiam actus liberi, & terminationem ejus; hæc enim distinctio aliunde a Scotistis solide impugnatur, tanquam insufficiens ad verificanda contradictoria. Præterea ejusmodi distinctio a parte rei relinquit omnimodam identitatem inter entitatem, seu essentiam actus liberi, & illius terminationem: ergo quæcunque de actu libero terminative accepto affirmantur, etiam a parte rei affirmantur de ipsa entitate, & essentia talis actus: atqui de actu hoc terminative accepto affirmatur, quod potuisset deficere, & nihil esse: ergo hoc etiam de entitate, & essentia talis actus affirmatur.

Confirm. 1. Quidquid est intrinsecum Deo, est per essentiam ipse Deus, maxime in principiis AAriorum, consequenter est per essentiam indefectibile: atqui ejusmodi terminatio, sive entitative, sive terminative accipiatur, secundum AArios est intrinseca Deo: ergo est per essentiam Deus, & indefectibilis: proinde potuisset nunquam deficere, & non esse.

Confirm. 2. Implicat, aliquod prædicatum esse realiter in Deo, quod est repugnans Deo: atqui terminatio ejusmodi defectibilis, si detur, est prædicatum repugnans Deo: ergo implicat, eam esse realiter in Deo. Maj. & min. videtur ex terminis constare.

Respon-

236 Respondebis 2. cum R. P. Viva, ac Clariſſimo P. Hermann de Deo volente n. 128. & aliis recurrendo ad myſterium SS. Trinitatis, & dicendo: ſicut Filius divinus productus identificatur realiter cum natura divina improducta, & ſicut una indiviſibilis eſſentia Dei identificatur cum multiplicitate Perſonarum: ita etiam eadem natura divina neceſſaria, & indefectibilis identificari poteſt cum defectibilitate, & contingentia terminationis liberæ.

Contra eſt 1. Tale myſterium, quale eſt SS. Trinitas, non debet ſtatim aſſeri, niſi id ſatis conſtet ex authoritate Scripturæ, Conciliorum, & PP. atqui ex authoritate Scripturæ &c. non ſatis conſtat, imo nec directe probatur hæc myſterioſa explicatio actus liberi, quam Adverſarii tradunt: ergo.

Contra eſt 2. Niſi fides doceret, nullus auderet aſſerere myſterium SS. Trinitatis: ergo cum fides non doceat explicationem hanc actus contingenter liberi in Deo, quæ æque, imo magis eſt myſterioſa, ac arcanum SS. Trinitatis, non debet admitti.

Contra eſt 3. Iſta explicatio actus contingenter liberi eſt magis myſterioſa, quam SS. Trinitas; in SS. enim Trinitate tantum identificantur Perſonalitates indefectibiles cum natura indefectibili: juxta explicationem prædictam vero deberet terminatio defectibilis identificari Deo indefectibili: atqui ex minori myſterio non poteſt ſtatim inferri aliqua res magis myſterioſa, præſertim ſi minus myſterium, non autem majus per fidem conſtat: ergo ex myſterio SS. Trinitatis non poteſt inferri iſta magis myſterioſa explicatio actus contingenter liberi.

Confirm. Perſonalitates divinæ non important prædicatum poſitive repugnans naturæ divinæ, bene vero terminationes intrinſecæ defectibiles; poſſe enim deficere, & nihil eſſe, eſt prædicatum poſitive Deo repugnans: imo etiam poſſe identificari formalitati, vel prædicato realiter defectibili videtur in Deo penitus implicare: ergo &c.

237 Aſſero 4. Ratio actus liberi contingentis nihil ſuperaddit actui voluntatis divinæ, ſed eſt ille ipſe actus, tendens libere in objecta creata, eaque in obliquo connotans. Scotus 1. D. 39. q. un. n. 21. §. *juxta prædicta de voluntate noſtra.* Doctorem ſequuntur Herincx part. 1. Tr. 1. diſp. 7. n. 16. Smiſing Tr. 2. Diſp. 3. n. 23. Maſtrius 1. Diſp. 2. n. 160. Fraſſen Tom. 1. Tr. 2. Diſp. 2. art. 2. q. 2. n. 10. Vulpes, Poncius, ac alii SSæ communiſſime. Pro qua ſententia etiam a Maſtrio allega-

allegatur Exim. Suarez, & ab Herincx dicitur pro nobis stare Ruiz cum pluribus RR. Legi etiam potest Clarissimus P. Hermann de Deo volente n. 114. Ex Schola Angelica hanc opinionem propugnat Doctissimus D. Mezger Tr. 1. Disp. 16. art. 2. n. 4. laudans pro se celebriores TTas & inter hos Joannem a S. Thoma, imo & ipsum Doctorem Angelicum.

P. Actus voluntatis divinæ est infinitus, & ratione infinitatis suæ eminenter æquivalet omnibus actibus creatæ voluntatis: ergo Deus per unicum actum voluntatis suæ potest illud ipsum præstare, quod creata voluntas per diversos potest, adeoque, quia voluntas creata per diversos actus potest velle, & nolle, amare, & odisse, tendere in objectum & non tendere, hæc omnia poterit divina voluntas per unicum infinitum actum: proinde actus ille, qui modo est volitio mundi, potuisset esse nolitio ejusdem.

Requiritur tamen, ut actus Dei liber, quatenus tendit in aliquam rem, v.g. in existentiam mundi, eam tanquam terminum, vel objectum terminativum in obliquo connotet; siquidem decretum divinum, vel actus voluntatis divinæ secundum se entitative spectatus indifferens est ad volendum quodcunque objectum extrinsecum, seu creatum: tollitur autem hæc indifferentia, si aliquam creaturam determinatam extrinsece, & in obliquo connotet, non quidem tanquam constitutivam, sed tanquam terminum extrinsecum.

Unde decretum divinum aliquem effectum creatum decernens explicatur fere eo modo, quo juxta nos SSas explicari solet causalitas fundamentalis causæ efficientis in actu secundo, vel influxus actualis causæ; hic enim nil aliud est, quam causa efficiens connotans effectum in fieri, vel in primo suo esse. Taliter determinatio voluntatis creatæ ad amorem in nostris principiis est voluntas nostra, connotans actum amoris in fieri. Eadem ratione Deus condecernit per decretum condeterminans nostros actus liberos, quatenus decretum divinum una cum voluntate creata connotat actus nostræ voluntatis exstituros pro certa temporis differentia. Ratio hujus est; quia (ut recte dicit Mastrius 1. disp. 2. n. 172.) terminatio divinæ volitionis liberæ ad creaturam non est aliud, quam causalitas, vel causatio, qua divina voluntas aliquid causat in creatura: ergo debet eo modo explicari, sicut causalitas fundamentalis in actu secundo, vel sicut influxus actualis.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

238 Objic. 1. In noftra fententia actus entitative neceffarius voluntatis divinæ faltem eft liber terminative, in quantum nempe potuiffet non terminari ad aliquam creaturam: atqui hoc non poteft explicari, nifi admittatur, quod actus voluntatis divinæ habeat de facto terminationem, quam potuiffet non habere: ergo &c. m. patet; debet enim admitti, quod modo detur in Deo, & ejus voluntate terminatio volitionis mundi, quam potuiffet Deus non habere, fi mundum non produxiffet.

℟. D. m. fed hoc non poteft explicari, nifi admittatur, quod actus voluntatis divinæ habeat modo terminationem, quam potuiffet non habere *fubjective*, & *entitative*, & quantum ad hoc, quod dicit in recto n. m. *objective*, & quantum ad hoc, quod dicit in obliquo c. m. & n. c. In recto actus contingens, & liber Dei importat infinitam perfectionem, vi cujus, licet unicus & invariatus fit, æquivalet omnibus actibus noftræ voluntatis, poteftque tendere vel in hoc, vel in alterum objectum, aut omnem terminationem penitus fufpendere. Neque hoc debet effe imperceptibile; fi enim juxta aliquos Theologos tefte Herincx vifio beatifica creata, manens invariata, poteft modo in hæc, modo in illa objecta tendere, cur non cum proportione dicamus, quod idem actus voluntatis divinæ entitative invariatus poffit in plura objecta tendere, vel non tendere, illa nolle, & velle? Deinde volitio divina fe habet in ordine ad objecta libera, ficut voluntas noftra fe habet ad actus liberos; quemadmodum enim eadem entitative invariata voluntas fine aliqua reali additione intrinfeca, & identificata elicit modo actum, modo omittit, nunc alium oppofitum producit: ita actus voluntatis divinæ entitative invariatus, & fine aliqua formalitate, vel terminatione fibi identificata tendit in hoc objectum, in quod potuiffet non tendere. Tota igitur variatio eft in connotato extrinfeco, & in objecto terminativo; nam aliter fe haberet utique mundus, fi Deus eum noluiffet exiftere, quam nunc, ubi Deus eum voluit effe: & fic de cæteris. Si vero ifta tibi difficilia videntur, tunc repono, alias fententias adhuc duriora debere concoquere, neque hic fperari poffe refponfionem, quæ penitus fit expedita, & libera ab omni difficultate.

Dices: Actus voluntatis divinæ ob perfectionem suam infinitam æquivalet non solum volitioni, sed etiam nolitioni mundi &c. ergo per hanc æquivalentiam solam non potest explicari, cur potius Deus velit existentiam mundi, quam nolit: ergo debet recurri ad aliquam terminationem, & tendentiam intrinsecam, qua Deus potuisset carere. ℟. D. a. & vi hujus æquivalentiæ habet Deus quoque virtutem sine alio superaddito potius volendi, quam nolendi, si ita ei placuerit c. a. non habet etiam hanc virtutem n. a. Hanc quoque virtutem infinita perfectio actus liberi includit in Deo.

Objic. 2. Si saltem ex parte objecti decretum divinum induceret, vel connotaret aliquam mutationem, ut nostra conclusio supponit, tunc ideo, quia per omne decretum aliquid produceretur, vel destrueretur: atqui multa dantur decreta, per quæ nihil producitur, aut destruitur: sic per decreta illa conditionata, quorum conditio nunquam purificabitur, nihil producitur, aut destruitur &c. ergo. 239

℟. D. M. quia per tale decretum aliquid produceretur, vel destrueretur semper physice, & secundum esse reale n. M. intentionaliter, & secundum esse volitum, & objectivum c. M. & sic dist. min. n. c. Vi decreti divini cujuscunque semper sequitur aliqua mutatio in objecto, quod decernitur, & connotatur. Si decernitur res aliqua absolute extitura, tunc vi talis decreti causatur mutatio vere realis, & res possibilis accipit physicam existentiam in tempore: si vero decernantur aliqua conditionate solum, ita, ut nunquam absolute sint eventura, tunc ejusmodi decreta non causant quidem mutationem physicam in objecto, bene tamen objectivam; quia objectum, ad quod terminatur decretum, longe aliter se habet post decretum, quam ante illud: post illud est determinate futurum sub conditione, ante illud erat mere possibile. Idem respondetur ad alias similes instantias.

Objic. 3. Non potest dari nova denominatio intrinseca sine nova forma intrinseca: sed Deus de facto intrinsece denominatur volens mundum, & quidem ita, ut potuisset hanc denominationem non habere: ergo etiam de facto debet Deus in se intrinsece habere aliquam formam, quam potuisset non habere. 240

℟. D. M. in creatis c. M. in divinis n. M. unus simplex, & invariatus actus voluntatis divinæ dat denominationem volitionis mundi ob suam infinitam æquivalentiam, & eminentialem continentiam omnis volitionis, & nolitionis possibilis. Idem respondetur ad illud axioma:

Non potest dari transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione, & aliqua forma; id enim, si de contradictorio intrinseco sermo est, locum habet in rebus finitis, non autem in actu infinito voluntatis divinæ &c. siquidem ad hunc, ut modo tendat in aliquod objectum, in quod potuisset non tendere, sufficit sola mutatio extrinseca objectiva, id est, sufficit, ut modo connotet aliquod objectum, quod potuisset non connotare. Ex his

241 Deduces 1. Unicum actum voluntatis divinæ sine aliqua terminatione intrinseca, aut complemento extrinseco, tanquam constitutivo superaddito ex se sufficere ad attingenda quævis objecta volibilia juxta eorum exigentiam: proin idem actus amat essentiam divinam necessario, creaturas vero ad existentiam, vel non existentiam determinat libere, & contingenter; quia essentia divina exigit necessario amari, creaturæ vero tanquam res contingentes non petunt necessario existere, adeoque pro beneplacito Dei ad existentiam, vel non existentiam determinari possunt. Quod autem hæc omnia unus actus præstare possit, ratio jam est data; quia unicus ille actus voluntatis divinæ infinito modo, & sine admixta imperfectione in se colligit perfectiones omnium volitionum, & nolitionum possibilium in infinitum tam necessariarum, quam contingenter liberarum: ergo non est mirum, quod unicus iste actus præstare possit illud ipsum, quod infinitæ volitiones, & nolitiones, si existerent, præstarent.

242 Deduces 2. Eadem ratione explicandam esse scientiam liberam Dei, quæ præsupponit aliquod decretum, & potuisset non dari, si decretum non extitisset. Herincx part. 1. Tr. 1. Disp. 7. n. 17. Ratio est; quia unicus quoque actus scientiæ divinæ in se includit perfectionem omnium cognitionum possibilium: hinc absque superaddito alio vel intrinseco, vel extrinseco complemento potest tendere in quodvis objectum scibile, adeoque etiam in res libere futuras, supposita earum futuritione mediante aliquo decreto.

243 Deduces 3. In hoc systemate actuum liberorum Dei optime explicari decretum condeterminans. Ponamus enim decretum, quo se Deus condeterminat ad actum amoris Petri: tunc hoc est actus voluntatis divinæ una cum voluntate Petri connotans actum amoris extiturum tali tempore dependenter a prædicto actu voluntatis divinæ, & voluntate Petri, tanquam duabus causis simultanee illum causantibus. Pariter optime salvamus impedibilitatem decreti concomitantis; esto enim, in potestate nostra non sit actus ipse voluntatis divinæ entitati-

titative acceptus, qui necessario Deo inest, nihilominus possumus facere, ne connotet nostros actus liberos, utpote qui dependent simultanee a nostra voluntate, & ab hac libere omitti possunt. Hoc sapienter notavit Clarissimus P. Hermann de Deo volente f. 207. n. 143. ubi probat, decreta illa esse impedibilia a creatura, ad quæ tanquam connotatum extrinsecum, & conditio requiritur actus, vel consensus creaturæ. Sic argumentatur: *Qui potest ponere id, quo deficiente non datur decretum connexum cum consensu, potest impedire tale decretum: sed creatura potest ponere id, quo deficiente non datur decretum connexum cum consensu; quia est in illius libertate ponere consensum, vel non: ergo.*

Articulus II.

An, & quomodo Deus ab æterno decernat actus peccaminosos?

§. I.

Statuitur Conclusio.

Ne quid intactum relinquatur, quod Adversarii contra systema de- 244
creti condeterminantis possunt afferre, ideo etiam hanc controversiam afferre statui; non enim desunt, qui putant, nos SSas in ea maxime hallucinari: quod apparet ex illis, quæ Rev. ac Clarissimus P. Sterzinger in sua scientia media, jam aliquoties laudata, n. 158. fol. 197. & seq. energice proponit, solvendo aliquam objectionem. Verba ejus refero:

„ Licet (*decretum condeterminans*) non lædat libertatem indifferentiæ creatam, lædit tamen libertatem, moralitatem, & sanctitatem increatam, seu divinam: quod ostendo. Juxta Scotistas Deus per suum decretum condeterminans determinat ab æterno simul cum creaturis determinantibus, vel determinaturis in tempore: ergo eligit, & vult, & amat ab æterno simul cum creaturis eligentibus, & volentibus, & amantibus: vel electuris, & volituris, & amaturis in tempore. Subsumo: atqui creaturæ plurimæ (utinam non tam multæ!) eligunt in tempore, & volunt, & amant: vel saltem eligerent, & vellent, & amarent (sub hac, vel illa hypothesi)

„ peccatum, seu offensam Dei: ergo etiam Deus eligit, & vult, & a-
„ mat ab æterno simul cum creaturis (eligentibus, & volentibus in
„ tempore) eligit, inquam, & vult, & amat Deus idem peccatum,
„ seu offensam Dei. Subsumo rursus: sed si hoc est verum, tunc de-
„ cretum condeterminans lædit libertatem, moralitatem, & sanctita-
„ tem Dei increatam; Deus enim non habet talem libertatem, vi cu-
„ jus possit esse moraliter malus; sic enim non esset infinite sanctus.
„ Atqui si eligeret, & vellet, & amaret peccatum non minus, quam
„ creatura illud eligat, & velit, & amet, tunc esset moraliter malus;
„ quisquis enim amat peccatum, cognitum qua tale, fit moraliter
„ malus, ut est extra controversiam. quamvis ex altera quoque parte
„ Deus non fieret moraliter malus, quia non est sub lege Superioris,
„ Sed quid hinc sequitur, nisi chymæra? absit! absit! ut dicamus,
„ quod Deus amet peccatum, quod amet blasphemias, adulteria, fur-
„ ta, mendacia &c. absit! Oppositum testatur ipse Deus per Isai. c.65.
„ Quæ nolui, elegistis. Hem! quæ noluit Deus, elegerunt homines
„ peccatores. An forte idem apud te sonat: quæ nolui, ac: quæ
„ vobiscum elegi, & amavi? aut forte simul in Deo stare possunt istud
„ Nolui, & istud Elegi? aut forte tribuis dictioni isti hunc sensum:
„ nolui inefficaciter, elegi efficaciter? vel nolui formale, elegi materia-
„ le? at etiam homo peccator, dum actualiter peccat, sæpissime pec-
„ catum inefficaciter odit, seu non vult, præsertim formale, seu mali-
„ tiam illius.„

245. Ut igitur clarescat, decretum condeterminans Scotisticum non lædere sanctitatem, & moralitatem Dei, aliqua præmittenda sunt. 1mo notandum venit, quod juxta omnes Catholicos Deus non possit positive velle, aut positive decernere peccatum secundum esse ejus formale, & morale; id enim aperte constat ex S. Scriptura, quæ Psal. 5. dicit: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Idem definit Concilium Arausicanum Can. 25. dicens: *Aliquos ad malum divina voluntate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed, etiamsi sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Accedit ratio: quia Deus serio & severe prohibet, ac punit peccata formaliter talia: ergo ea non potest positive velle, aut positive decernere; quia nemo, nisi Tyrannus, punit illud, quod sua voluntate factum est.

Adver-

Advertendum 2do eſt, dubium in eo præciſe verſari, an Deus poſſit poſitive decernere ſubſtratum materiale, ac phyſicum peccati, v. g. entitatem phyſicam blaſphemiæ, odii &c. quin ſimul ſit cauſa peccati formalis, vel ſimul decernat, & velit poſitive peccatum quoad ejus formalitatem, & moralitatem. Suppono interea ex Tract. de Actibus Humanis, & peccatis, rationem formalem peccati eſſe realiter diſtinctam ab entitate phyſica cujuscunque actus peccaminoſi. H. N.

Aſſero: Deus concomitanter cum voluntate creata decernit po- 246
ſitive, & vult entitatem phyſicam actus peccaminoſi, 2. quin ſimul velit, aut decernat poſitive rationem formalem peccati. Communis SSarum. Primum membrum concluſ. Prob. Deus in tempore ſimultanee poſitive concurrit ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi: ergo etiam eam decernit ab æterno. Ant. eſt certum; quia creatura non poteſt producere quamcunque entitatem phyſicam, niſi concurrat Deus, ut conſtat ex communi Theol. & Philoſ. ſententia contra Durandum. c.p. Tum, quia juxta SSas concurſus Dei in tempore ad actus noſtros non diſtinguitur a decreto divino æterno, ut dictum eſt ſupra Diſſ. 1. hoc Tract. Art. 3. §. 2. n. 216. Tum, quia non videtur poſſe dari ſufficiens diſparitas inter concurſum in tempore, & decretum concomitans æternum; ſi enim abſurdum non eſt, nec repugnat ſanctitati Dei, quod in tempore efficiat cum homine entitatem phyſicam actus peccaminoſi, neque aliquid abſurdi ſequetur, ſi ab æterno concomitanter cum creatura poſitive decernat, & velit eandem entitatem.

P. 2dum membrum Concluſ. poteſt homo interdum phyſice cooperari ad actionem materialiter peccaminoſam alterius, quin concurrat ad rationem formalem peccati alterius: ergo etiam Deus ita poteſt concurrere, & ſe per decretum ſuum condeterminare ad peccatum hominis materiale, quin ad rationem formalem talis peccati ſe condeterminet. Ant. pluribus exemplis probari poteſt: unum tantum adduco. Sic Sacerdos privatim ſciens, hominem indigne ad S. Communionem accedere, poteſt tamen, & debet ei publice S. Hoſtiam dare, ne illum infamet. & in hoc caſu Sacerdos cooperatur quidem ad materiale, non vero formale ſacrilegium: ergo. c. p. ideo homo interdum poteſt cooperari ad actionem phyſicam, & ſubſtratum materiale peccati, quin concurrat ad formale peccatum, quia ex una parte habet juſtam cauſam ponendi talem actionem, & ex altera parte eam non ponit ex intentione peccati formalis, ſed cum averſione ab illo: atqui

Deus

Deus se condeterminans ad entitatem physicam peccati, habet ex una parte justam causam sic faciendi, ex altera parte se non condeterminat ex intentione peccati formalis, sed cum aversione ab illo: ergo &c. M. est communis Theologorum doctrina. m. p. quoad 1mum membrum. Deus enim, si non concurreret juxta exigentiam creaturæ, nec cum ea ad peccatum materiale se condeterminaret, læderet libertatem creaturæ, & imponeret ei necessitatem abstinendi a peccato, simulque turbaret ordinem universi; quia creaturæ liberæ non sinerentur motus suos agere, ut sequitur ex dictis. P. eadem m. quoad 2dum membrum. Deus enim odit, & non vult malitiam formalem talis actus, sed illam solum permittit ex legitima causa. Eapropter longe alio modo se condeterminat ad actum bonum, quam malum, etiam physice spectatum; actum enim bonum suadet, aut omnino præcipit, ad eum auxilia supernaturalia largitur, promissis allicit, & sic ex intentione propria, & primaria ad eum offert suum concursum: ad entitatem vero physicam actus mali solum paratus est concurrere ex voluntate creaturæ, & propter condescensionem cum creatura, ne hæc sua libertate privetur.

247 Deduces 1. Probabilius Deum non posse decreto antecedente creaturam determinare etiam ad esse materiale peccati. Ratio est: quia sic Deus foret Author peccati formalis, cum ex intentione propria, non vero ex intentione, & determinatione creaturæ, utpote quam decretum prædeterminans antecedit, decerneret esse materiale peccati, cum quo esse formale est necessario connexum. 2do. Deus nequit præcipere, aut suadere esse materiale peccati; quia alias esset author peccati: ergo multo minus potest voluntate antecedente physice in illud influere; nam decretum tale antecedens magis moveret ad peccatum, quam suasio vel præceptum, cum decretum antecedens esset infallibiliter connexum cum actu peccaminoso, non vero suasio. 3tio. Stante decreto prædeterminante neque actus physicus peccati, neque ejus malitia formalis est in potestate, & libertate hominis; quia in ejus potestate non est decretum prædeterminans, necessario post se trahens actum physicum peccati, & ejus malitiam formalem: quare malitia formalis Deo imputari deberet, in cujus potestate esset, non vero homini.

248 Deduces 2. Deum neque posse concomitanter determinare ad materiale peccati *qua tale*, seu quatenus est connexum cum peccato formali. Nam si Deus positive vellet actum physicum, quatenus est conne-

connexus cum malitia formali, tunc etiam necessario vellet positive ipsum peccatum formale, qua tale: atqui Deus non potest velle peccatum formale qua tale: ergo &c. m. est certa. M. patet; quia etiam Sacerdos, in posito casu habens justam causam ministrandi Eucharistiam indigne communicanti, peccaret, & positive vellet sacrilegium formale, si vellet istam physicam ministrationem qua conjunctam cum sacrilegio formali alterius. Adeoque Deus tantum decernit actum, qui est conjunctus cum malitia formali, non vero quatenus est conjunctus cum ea.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Deus juxta SSas se cum creaturis condeterminat ad 249
peccandum: ergo etiam cum creaturis eligit, vult, & amat peccatum, & offensam Dei. ℞. 1. Retorq. Argum. Deus etiam juxta AArios in tempore concurrit cum creaturis ad actum peccaminosum: ergo cum creaturis eligit &c. vel saltem facit peccatum.

℞. 2. in forma n. 1. membr. conf. Etiamsi Deus & creatura juxta AArios simultanee concurrant ad actus nostros liberos, tamen electio juxta ipsos adscribitur soli creaturae, utpote quae immediatam libertatem exercet: ergo idem est etiam dicendum in systemate condeterminantium, quia in hoc quoque creatura immediatam libertatem exercet, & Deum ad concurrendum determinat.

℞. 3. iterum in forma. Dist. reliqua membra conseq. Deus vult, & amat peccatum formaliter tale n. c. Deus justa ex causa permittit peccatum formaliter tale, & vult entitatem physicam actus peccaminosi subd. Deus vult eam voluntate primaria, & quatenus est substratum malitiae formalis n. c. voluntate secundaria, & quatenus conducit ad conservandam libertatem creaturae c. c. Neque est absurditas, quod Deus velit, & amet entitatem physicam actus peccaminosi; ea enim est creatura, & opus Dei, & habet bonitatem physicam: ergo etiam est objectum volitionis, & amoris Dei, sicut omnis alia creatura, & entitas physica. Certe Deus talem entitatem, quatenus physica est, non odit, ut testatur S. Script. Sap. 11. v. 25. dicens de Deo: *Nihil odisti eorum, quae fecisti.*

Objic. 2. Quisquis amat, vel vult peccatum cognitum qua ta-
250 le, fit moraliter malus, ut eft extra controverfiam: ergo fi Deus cum creaturis amat peccatum, & vult illud qua tale, fit moraliter malus. ℞. 1mo. Retorq. argum. quisquis cooperatur ad peccatum cognitum qua tale, fit moraliter malus, ut eft extra controverfiam: ergo fi Deus cum creaturis per concurfum fimultaneum cooperatur ad peccatum cognitum qua tale, fit moraliter malus. Quidquid Adverfarius refponderit ad hanc inftantiam, ferviet mihi pro folutione objectionis. Si dicat, Deum cooperari duntaxat ad entitatem phyficam actus, & ex jufta caufa permittere malitiam moralem, tunc dico, Deum quoque velle tantum entitatem phyficam, & malitiam moralem permittere. Si repofuerit, Deum concurrere invitum quafi, & neceffitatum, quia determinatum a creatura, tunc idem & ego dico. Si vero ex adverfa fententia non fequitur, quod Deus patret adulteria, blasphemias, furta, mendacia &c. etfi ad entitatem eorum phyficam concurrat, tunc neque ex mea fententia fequitur, quod Deus ifta mala moralia velit, etiamfi decernat, & velit actus phyficos eorum.

℞. 2do in forma N. c. ficut fecundum Adverfarios Deus non efficit peccata qua talia, ita neque juxta nos ea vult qua talia.

251 Objic. 3. Juxta Ifai. c. 65. Quæ noluit Deus, elegerunt peccatores; ait enim ibi Deus: *quæ nolui, elegiftis:* ergo Deus noluit, neque elegit cum peccatoribus actum peccaminofum: confequenter ad hunc fe non condeterminavit; nam *nolui*, & *elegi* non poffunt fimul ftare. Neque fufficit diftinguere, quod Deus noluerit *inefficaciter*, & voluerit *efficaciter:* vel quod noluerit *formale*, elegerit, & voluerit *materiale* peccatum; quia etiam homo peccator, dum actualiter peccat, fæpiffime peccatum inefficaciter odit, feu non vult, præfertim formale, feu malitiam ejus. Ita Clariffimus P. Sterzinger, ex cujus doctrina etiam priores objectiones funt defumptæ.

℞. 1. contra doctiffimum Arguentem: hoc argumentum etiam ipfi folvendum effe. Nam etiam in Adverfariorum fententia Deus concurrit ad effe materiale, & phyficum peccati commiffionis: atqui non fic concurrere poffet, fi Deus tale effe phyficum efficaciter nollet. quod & AArii fatentur, etiam illi, qui omnipotentiam formaliter, fcilicet per rationem diftinguunt a voluntate; quia omnipotentia per ejusmodi efficacem nolitionem impediretur a fuo concurfu. Adeoque hic textus aut nobis non obftat, aut AArii quoque in eo difficultatem inveniunt.

℞. 2do

℞. 2do in forma. Explico textum S. Scripturae sub distinctione. Quae nolui voluntate primaria, & antecedenti, elegistis c. a. quae nolui etiam voluntate consequenti, & secundaria, elegistis n. a. Deinde debet etiam negari suppositum consequentis, quod Deus, dum se condeterminat, simul cum creatura eligat; concurrit quidem cum creatura eligente, & determinante, non vero Ipse dicitur eligere, ut patet ex dictis §. praec. & fatentur ipsi AArii dum agunt de concursu Dei simultaneo ad actum peccaminosum, ut videre est apud Clarissimum Ant. Mayr Theol. Scholast. Tr. 5. n. 77. & seqq. Ut ad rationem objectioni additam clarius responderi possit

Objic. 4. Deus volendo, & decernendo peccatum materiale peccaret: ergo. A. p. Si Deus non peccaret volendo peccatum materiale, & esse ejus physicum, tunc ideo, quia nollet simul malitiam formalem peccati: atqui haec ratio nulla est: ergo. m. p. Homo peccator, dum actualiter peccat, saepissime peccatum, praesertim formale, & malitiam ejus, non vult, & tamen peccat: ergo &c. 252

℞. 1. Retorq. argum. in concursum simultaneum ad actum peccaminosum. Si Deus non peccaret, simultanee & scienter concurrendo ad esse materiale peccati, tunc ideo, quia nollet simul, & aversaretur malitiam formalem peccati: sed haec ratio nulla est: ergo &c. ℞. 2. in forma. N. a. Ad ejus prob. d. M. tunc ideo, quia nollet malitiam formalem peccati, & simul, quia haberet justam causam permittendi illam malitiam, & insuper non ex propria determinatione, ac intentione primaria vellet substratum physicum peccati c. M. quia solum nollet n. M. &c. Homo, dum peccat, potest quidem inefficaciter nolle malitiam formalem: ast 1mo non habet simul justam causam ponendi actum physicum, quem sequitur malitia formalis. 2do. Homo ponit istum actum ex propria determinatione, Deus vero concurrit ut determinatus a creatura agente. 3tio. Creatura agit contra legem, dum ponit actionem malam: Deus vero, dum condeterminat ad entitatem physicam peccati, agit juxta, & non contra legem, quia agit conformiter decreto, & legi suae generali.

Objic. 5. SS. Patres, licet agnoverint distinctionem inter materiale, & formale peccatum, tamen absolute sine discrimine negarunt, actus malos esse a Deo praefinitos, & decretos. Ita D. Augustinus allegatus Tract. praec. Diss. 4. Art. 2. §. 1. object. 5. ait, peccata non esse a Deo praedestinata, id est, decreta, sed tantum praevisa. Eodem modo loquuntur alii PP. ergo SS. PP. volunt, quod Deus ne- 253

que esse materiale decernat. ℟. D. a. SS. PP. negarunt, peccata esse decreta, & præfinita per decretum antecedens, vel concomitans ex intentione primaria Dei c. a. per decretum concomitans, quod Deus habet ex intentione secundaria, ac per quamdam condescensionem, ne creatura sua libertate privetur n. a. SS. PP. ideo dicunt, actus nostros malos non esse præfinitos, sed solum prævisos, quia præfinitio significare videtur, quod Deus ex propria intentione, spontanee, & voluntate primaria, ac non mere per condescensionem aliquid velit.

254 Objic. 6. Concilium Trid. ss. 6. can. 6. ita fulminat: *Si quis dixerit, mala opera ita, ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Ubi Concilium vult, quod Deus ad esse materiale quoque peccati se solum permissive habeat, non vero positive velit, sicut actus bonos positive vult: ergo.

℟. 1mo. indirecte. Concilium laudato canone solum loquitur de concursu, & cooperatione in tempore ad actus peccaminosos, ut verba Textus indicant: ergo si ejusmodi argumentum aliquid probaret, ex eo contra AArios sequeretur, quod neque Deus positive in tempore concurreret ad esse physicum actus peccaminosi.

℟. 2do. Concilium solum velle, quod Deus non *per se*, seu ex intentione primaria condeterminet, vel concurrat ad peccatum, non vero negare, quod *per accidens*, id est, ex intentione secundaria, ac ex determinatione creaturæ Deus positive velit, & cum creatura causet entitatem physicam actus mali. Addit etiam Concilium discrimen inter concursum Dei ad actum bonum, & inter concursum ad entitatem physicam actus mali, quod in eo consistit: quia Deus intentione primaria vult, actum bonum poni, & in hoc amat, ac intendit non solum esse physicum, sed & moralitatem, indeque auxilia supernaturalia ad eum elargitur. Ast actum malum primaria intentione vult non poni, ac per illustrationes, & inspirationes, mandata, & minas ab illo absterret: si his non obstantibus creatura se determinat ad actum malum, tunc Deus voluntate secundaria, & ex mera condescensione se condeterminat, & positive vult entitatem physicam talis actus, sed moralitatem ejus, atque malitiam formalem detestatur, ac solum permittit. Ex his igitur causis Deus dicitur Author, & causa actus boni tam materialiter,

quam

quam formaliter talis, non vero dicitur causa actus mali, nisi per accidens, si spectetur quoad entitatem physicam; si vero consideretur quoad esse formale, Deus eum omnino non causat, sed solum permittit.

Objic. 7. Qui positive vult antecedens, positive etiam vult con- 255
sequens, quod ex tali antecedenti sequitur: atqui Deus positive vult entitatem physicam peccati, ex qua necessario tanquam consequens sequitur malitia formalis peccati: ergo etiam Deus vult positive malitiam formalem peccati. m. quoad 1mum memb. est nostra Assertio, quoad alterum constat in peccatis intrinsece malis, a quibus malitia formalis non potest abesse: imo etiam a reliquis actibus peccaminosis, si eliciantur plena cum libertate, & advertentia ad malitiam; quia tunc sunt necessario formaliter mali: ergo &c.

℞. 1. indirecte. Hoc argumentum iterum retorqueri posse in concursum Dei in tempore ad esse physicum peccati; nam qui scienter cooperatur ad antecedens, etiam scienter cooperatur ad consequens, quod necessario sequitur ex tali antecedenti: atqui Deus &c.

℞. 2. directe. D. M. qui vult antecedens, vult etiam consequens, si tale consequens sequitur ex natura rei, vel ex natura ipsius antecedentis c. M. si non sequitur ex natura rei, sed solum ex speciali modo influendi in antecedens n. M. Qui dat alteri venenum mortiferum, est causa mortis consequentis; quia mors ex natura veneni tanquam antecedentis sequitur. Ast malitia formalis non sequitur ex natura physica actus. Certe si totus actus physicus, alioquin prohibitus, a creatura in hypothesi possibili, vel impossibili necessario, & non libere produceretur, ille nullam annexam haberet malitiam formalem, quæ solum oritur ex hoc, quod actus libere fiat a causa particulari determinante se, & alias concausas, consequenter & ipsum Deum ad producendum ejusmodi actum. Cum ergo talis causa particularis &c. sit creatura, non vero Deus, qui nec physicam, nec moralem libertatem exercet in suo concursu ad entitatem physicam actus peccaminosi, utpote qui tantum concurrit ut determinatus a creatura, hinc malitia ista formalis non potest imputari Deo, sed soli creaturæ.

Ratio rationis est; quia malitia moralis solum imputari debet illi causæ, quæ non tantum physice, sed & moraliter influit in actum peccaminosum: tum, quia ens morale, nempe malitia moralis, exi-

git causam moraliter agentem. Tum, quia etiam Sacerdos, de quo dictum est supra §. praec. hoc Art. n. 246. concurrit physice per porrectionem S. Eucharistiae ad sumptionem sacrilegam alterius, & tamen non est causa sacrilegii moralis & formalis; quia non concurrit moraliter, scilicet agendo contra aliquam legem: atqui Deus per suum decretum in actum, qui est peccaminosus, non influit moraliter; quia ille non agit moraliter, qui non exercet libertatem saltem physicam, & qui non tenetur suum influxum omittere, etiamsi ex eo praevideatur certo secutura malitia moralis, & peccatum formale alterius &c.

256 Objic. ultimo, Ex hac conclusione sequitur, quod homo furando &c. non peccet; sequela est absurda: ergo. M. p. Ille non peccat, qui se conformat efficaci voluntati, & decreto Dei: atqui homo furando se conformat efficaci voluntati, & decreto Dei, quo se Deus condeterminavit ad furtum: ergo non peccat. ℞. N. M. ad prob. d. M. ille non peccat, qui se conformat efficaci voluntati Dei antecedenti, & primariae, qua nostram salutem, & suam gloriam vult c. M. secundariae, qua Deus se nobis accommodat, & etiam ad nostros actus malos physice spectatos concurrere est paratus, ne laedat libertatem nostram n. M. Hac voluntate secundaria se Deus nobis potius, & nostrae voluntati conformat, quam nos Ipsius.

Dissertatio III.

DE PROVIDENTIA DIVINA.

Articulus. I.

De Providentia divina in communi, ac Notanda de praedestinante in particulari.

§. I.

An in Deo sit, & quid sit Providentia?

Dari in Deo Providentiam, Sacrae Paginae testantur. Sic Sap. 14. dicitur: *Tua autem, Pater, Providentia omnia gubernat.* Sap. 6. *Aequa-*

Æqualiter est illi cura de omnibus. & Sap. 8. *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Præsupposita ergo Divinæ Providentiæ existentia

Assero 1. Providentia divina est actus divinæ voluntatis, quo res omnes in suos fines dirigit. 257

Dicitur 1mo. *Actus voluntatis:* ob dicenda Assertione sequenti. Dic. 2. *res omnes:* nempe a Deo distinctas, quia Deus non habet providentiam respectu sui, cum ipse, utpote omnium finis, ad nullum finem sit ordinabilis. Dic. 3. *in fines suos:* quia Deus quælibet in fines sibi proportionatos dirigit, naturalia quidem in fines naturales, supernaturalia in fines supernaturales. Dic. 4. *dirigit*, non perducit; quamvis enim Providentia semper assequatur finem suum generalem, nempe divinæ Majestatis, & Sapientiæ declarationem, non tamen semper finem particularem, ad quem dirigit.

Assero 2. Divina Providentia est actus D. voluntatis. Est con- 258
tra TTas. P. 1. S. Damascenus L. 2. de fide c. 29. ait: *Divina Providentia est Dei voluntas, per quam res omnes apte, congrueque gubernantur.*

P. 2. Prædestinatio est species Providentiæ: sed prædestinatio consistit in actu voluntatis: ergo saltem aliqua species Providentiæ consistit in actu voluntatis. Atqui si aliqua species Providentiæ consistit in actu voluntatis, tunc etiam Providentia in genere erit actus voluntatis; cum species debeat continere rationem generis: ergo. m. p. nam S. Scriptura Prædestinationem vocat *complacentiam, propositum voluntatis suæ* &c. sed complacentia, & propositum voluntatis sunt actus voluntatis: ergo. M. patet ex illo Luc. 12. *complacuit Patri nostro dare vobis regnum.* item ad Ephes. 1. *prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* P. 3. Providentia est imperium: sed imperium est actus voluntatis: ergo. P. 4. Qui optime cognovit media, quo alicujus miseria sublevari posset, non dicitur exinde tali homini providere, nisi & ea media efficaciter velit tali homini adhibere: ergo signum est, quod Providentia consistat in actu voluntatis.

Objic. 1. Varios textus, quibus innuitur, Providentiam esse 259
actum intellectus: ergo. ℟. Explicando istos textus, dicendo, quod Providentia præsupponat actum intellectus, non autem quod ea formaliter sit actus intellectus.

Objic. 2.

Objic. 2. Providentia est quasi *prævidentia:* sed prævidentia est actus intellectus. ℟. D. M. Providentia est prævidentia, si sumitur pro mera præscientia c. M. si sumitur pro cura alicujus rei &c. prout hic accipitur n. M. &c.

Objic. 3. Providentia est prudentia: sed prudentia est actus intellectus: ergo. ℟. D. M, Providentia, prout importat cognitionem rei in suos fines dirigendæ c. M. prout importat formalem directionem rei in fines suos n. M. &c.

§. II.

Varia Notanda de Prædestinatione.

260 In Prædestinationis mysterio scrutando præprimis timore Dei, submissione, resignatione, amore Dei, & contemptu sui est opus; qui enim hic nimium de se, vel sua sapientia præsumere vellet, facile se manifesto committeret periculo aberrandi penitus a rectæ fidei, & æternæ salutis tramite: id, quod lugubri experientia nos docent Calvini, aliorumque plurium id genus hominum infelices eventus. Qui vero fide simplici, spe firma, ac ardenti charitate istud profundissimum divinorum judiciorum arcanum speculatur, consolationis uberem in humilitate inveniet materiam. Quare tanto operi sincera in Deum relata intentione admoveamus manum, judicium nostrum in omnibus submittentes altiori judicio, & menti Ecclesiæ.

Ante omnia igitur certum, & de fide est, dari Prædestinationem: etenim ad Rom. 8. dicitur: *quos autem prædestinavit, hos & vocavit.* Accedit Trident. ss. 6. c. 12. Et ratio est: Sicut Deus creaturas irrationales ab æterno præordinavit ad fines suos naturales, ita & aliquas creaturas rationales efficaciter, & infallibiliter præordinavit ad finem ultimum, & æternam gloriam.

Prædestinatio autem juxta Scotum 3. d. 7. q. 3. est præordinatio effective efficax alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia ad gloriam perducentia minus principaliter, scilicet ad dona supernaturalia &c. quæ hominem ad gloriam disponunt. Ex quo

261 Colligis, aliam esse Prædestinationem *ad gratiam*, & aliam *ad gloriam.* Prædéstinatio *ad gratiam*, quam aliqui *radicalem* vocant, importat decretum divinum conferendi eam seriem gratiarum, quæ per scientiam conditionatam prævisæ sunt finaliter efficaces ad hoc, ut

ut hominem perducant ad gloriam æternam, ad quam homo talis a Deo eſt præordinatus.

Et hæc prædeſtinatio ad gratiam ſic explicata, omnino eſt facta ante prævisa merita, uti tenent omnes Catholici, ac eſt de fide contra Semi-Pelagianos. Nec obſtat, quod gratia perſeverantiæ finalis poſſit cadere ſub meritum *congruum;* nam primam ſaltem gratiam actualem, ex qua haberi poteſt meritum de congruo ad perſeverantiam finalem, ne quidem de congruo mereri poſſumus, cum *principium meriti non cadat ſub meritum*, ut vulgare TT. axioma pronunciat. Id ipſum docet Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. *vocavit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam.* Præterea ante primam gratiam prævenientem, & excitantem nihil eſt in homine præter peccatum, & vires naturales liberi arbitrii; ſed per peccatum, & per ſolas vires naturales non poteſt aliquis mereri aliquod donum ſupernaturale, ne quidem de congruo; cum omne meritum ſupernaturale præſupponat gratiam divinam: ergo.

Hoc etiam obſerva, dum aliquis a Deo prædeſtinatur ad ſeriem hanc gratiarum finaliter efficacium &c. eum etiam radicaliter, implicite, & virtualiter, & quidem effective efficaciter prædeſtinari ad ipſam gloriam. Ratio eſt: quia hæc ſeries gratiarum ſic explicata neceſſario connectitur cum gloria. Et hoc apprime ſervit pro retorquendis argumentis Adverſariorum.

Hanc prædeſtinationem ad gratiam etiam deſcribit D. Auguſt. l. de bono perſev. c. 14. his verbis: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Ubi tamen nota, per præſcientiam intelligi ſcientiam viſionis, non autem ſimplicis intelligentiæ, aut mediam; nam & decretum de præparandis auxiliis, & gratiis efficacibus præcedit ſcientia viſionis conditionata, ut alibi eſt dictum, & ſubſequitur ſcientia viſionis abſoluta, de qua ultima S. Doctor cit. l. c. 18. dicit: *ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit*, ubi præſcientiam infert ex prædeſtinatione tanquam aliquo prævio.

Prædeſtinatio *ad gloriam* eſt decretum divinum efficax dandi alicui gloriam æternam. In decreto hoc prædeſtinante ad gloriam duplex ordo ſpectari poteſt, nempe *executionis*, & *intentionis*. Quod ordinem *executionis* ſpectat, certum eſt, dari merita ante gloriam; 262

nam merita funt media ad gloriam tanquam finem fuum confequendam: atqui media in executione debent præcedere ante finem: fic, quia medicina eft medium ad fanitatem recuperandam, ea debet prævie fumi, antequam fanitas fit recuperata. Deinde in executione gloria æterna datur tanquam prœmium, merces, corona juftitiæ &c. fed hæc omnia præfupponunt præcedentia merita; nam prœmium non datur, nifi prius bene merito &c.

Ordo vero *intentionis* longe aliter procedit; nam *quod ultimum eft in executione, eft primum in intentione.* Sic fanitas, quæ eft ultima in executione, & primum poft fumptam medicinam obtinetur, eft prior in intentione; nam æger primo vult, & intendit fanitatem tanquam finem, & deinde primum, ac pro figno pofteriori intendit, inquirit, ac eligit medicinam tanquam medium aptum ad obtinendam fanitatem. Ita pariter dicemus, decreto intentivo gloriam prius effe prædeftinatam homini, antequam fuerint abfolute decreta, & confequenter abfolute prævifa ejus merita: Ratio jam eft infinuata; quia volitio intentiva prius fertur in finem, nempe gloriam, quam in media ad gloriam, quæ funt merita. Et hæc explicatio diffolvet fere omnes authoritates nobis contrarias, ut obfervat Maftrius. His præmiffis

Quæftio eft intricatiffima, an Deus per decretum intentivum prædeftinarit electos homines ad gloriam ante abfolute prævifa eorum merita, quibus certo & abfolute merituri erant in tempore hanc gloriam? Vel: quæftio eft, an merita, a creatura in tempore ponenda, fint caufa motiva hujus prædeftinationis, & electionis? Igitur controvertitur, an electio fuerit facta ex meritis, & propter merita, vel an in prædeftinatione nulla fuerit habita confideratio meritorum, & prædeftinatio ita gratis fuerit peracta, ut potius merita fint effectus prædeftinationis, quam prædeftinatio meritorum? Nota tamen, non effe controverfiam de meritis prævifis conditionate futuris; nam merita tantum conditionate prævifa, & fub conditione tantum futura, non habent ullam vim movendi Deum ad dandum prœmium, ut contra Semi-Pelagianos certum eft: eft ergo quæftio de meritis abfolute futuris, an ante, vel poft ea prævifa fit facta prædeftinatio electorum ad gloriam? ad quam refolvendam ponitur

Articulus II.

Statuitur nostra Sententia de Prædestinatione.

§. I.

Assertio, & Probationes.

Assero: Prædestinatio intentiva ad gloriam facta est independenter 263
a meritis absolute prævisis, seu est gratuito facta absque intuitu meritorum. Ita Mastrius, Herincx, Henno, aliique Scotistæ contra alios pariter SSas; favet etiam Scotus 1. d. 41. qu. un. §. *potest aliter dici.*

P. 1. Ad Rom. 9. dicitur: *Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni, aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et paulo infra: *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Et mox: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* nempe prædestinatio non ex operibus, sed ex misericordia Dei in intentione pendet.

Neque dicas: in illo textu Malachiæ: *Jacob dilexi, Esau autem* &c. agi tantum de præelectione Jacob præ Esau in ordine ad bona temporalia, non sempiterna; Nam contra est: Etsi Malachias locutus fuerit de prædestinatione temporali, hanc tamen præelectionem Jacob tanquam figuram præelectionis æternæ adhibuit Paulus scribens ad Romanos, ad quos non fecit sermonem de temporalibus, sed æternis bonis.

Neque iterum dicas: in illo textu tantum dici, quod homo prædestinetur ante opera facta, non autem ante opera futura, & prævisa ut futura; hoc enim est contra D. Augustinum, qui l. 2. contra duas Epistolas Pelagii c. 7. ita scribit: *Propter quod profecto desipitis: quia dicente veritate, NON EX OPERIBUS, SED EX VOCANTE DICTUM EST, vos dicitis, EX FUTURIS operibus, quæ Deus illum FACTURUM esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti: non ex operibus, quasi non posset dicere, non ex præsentibus, sed ex futuris.*

Ex hoc ruit etiam illa responsio AAriorum dicentium, Deum non prædestinasse homines propter opera futura naturalia, bene propter

fupernaturalia; nam & hæc explicatio eft immediate contra S. Auguftinum, qui abfolute vult, quod juxta D. Paulum prædeftinatio fuerit facta tantum ex mifericordia Dei vocantis, non autem ex operibus quibuscunque creaturæ, ut allegata verba oftendunt.

P. 2. ex S. Paulo ad Ephef. 1. v. 4. *Elegit nos ante mundi conftitutionem in ipfo, ut effemus fancti.* En! *ut effemus fancti*, non: *quia eramus fancti.* In quem textum S. Hieronymus: *Non eliguntur Paulus, & qui ei fimiles funt, quia erant fancti, & immaculati, fed eliguntur, & prædeftinantur, ut confequente vita per opera, atque virtutes fancti, & immaculati fint:* ergo prædeftinatio præcedit fanctitatem, atque opera, & merita noftra.

P. 3. ad Rom. 8. D. Paulus totum ordinem prædeftinationis affignat his verbis: *Quos autem prædeftinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, illos & juftificavit, quos autem juftificavit, illos & glorificavit.* Ubi prædeftinatio in intentione, feu propofitum electionis, & prædeftinationis tanquam caufa præmittitur gratiæ vocanti, & juftificationi, confequenter & meritis ex gratia neceffario procedentibus, & tandem glorificationem tanquam ultimam executionem propofiti, & decreti prædeftinativi ultimo loco ponit.

Hanc noftram fententiam D. Auguftinus paffim tradit. Sic l. de Prædeft. SS. c. 10. ait: *Prædeftinatio ex mifericordia, reprobatio ex judicio eft.* Item l. de Corrept. & grat. c. 7. *Hi, quoniam fecundum propofitum vocati funt, profecto electi funt per electionem, ut dictum eft, gratiæ, non NB. PRÆCEDENTIUM MERITORUM SUORUM.* ubi femper affignat pro motivo prædeftinationis Dei mifericordiam, non autem merita. Infuper cit. l. de Prædeft. SS. c. 15. probat fuam fententiam a pari, dum Chriftum noftræ prædeftinationis exemplar effe afferit; atqui Chriftus prædeftinatus eft ad unionem hypoftaticam, & gloriam ex fola gratuita electione, & non ex meritis prævifis: cum, ut alibi dicetur, unio hypoftatica fub meritum non cadat: ergo.

Denique hic ipfe S. Doctor hanc adultorum prædeftinationem prorfus gratuitam, & independenter a prævifis meritis factam conftanter tradidit præfertim in duobus poftremis libris de Prædeftinatione, & de dono Perfeverantiæ; in his enim in id totus incumbit, ut demonftret, Deum ab æterno quosdam gratis, ac fine prævifis meritis elegiffe, ad gloriam certiffime perducendos: & ex hac intentione, hos homines prædeftinatos certo falvandi, illis poftmodum &

& initium, & bonum uſum gratiæ, & conſenſum cum omnibus bonis operibus ſubſequentibus, ac demum ipſam perſeverantiam finalem gratis conferre. D. Auguſtinum in hac ſententia ſecuti pariter ſunt alii SS. PP. maxime S. Hilarius, Proſper, Fulgentius, Bernardus, ac S. Thomas.

P. ulterius ratione. Juxta ipſos AArios & certam Catholico- 264
rum ſententiam prædeſtinatio hominum ad gratiam finaliter efficacem fit ex mera miſericordia, & beneplacito divino ſine ullo intuitu meritorum vel factorum, vel faciendorum: ergo & prædeſtinatio ad gloriam. A. eſt AAriorum, conſ. fluit; quia & prædeſtinatio ad gratiam finaliter efficacem eſt prædeſtinatio infallibilis ad gloriam, & ex hac prædeſtinatione ad gratiam finaliter efficacem eadem ſequuntur, quæ ex prædeſtinatione ad gloriam.

Confirm. 1. Si Deus ante abſolute præviſa merita præparat, & intendit aliquibus media finaliter efficacia, tunc etiam his ante merita præviſa ita intendit gloriam: ergo. a. p. ad quid enim intendit iſta media finaliter efficacia, niſi ut per ea obtineatur finis, ſeu gloria? Sane præparatio illa mediorum finaliter efficacium independenter a meritis creaturæ facta, ſupponit neceſſario in Deo intentionem finis efficacem, independentem pariter a meritis. Quare enim his prorſus gratuito vult has gratias efficaces, niſi quia ſpecialem, & prorſus gratuitum affectum habet erga illos, quo ipſis efficaciter intendit gloriam, & propter hanc tanquam finem concedit illa merita? Quod bene notandum, & ex S. Scriptura, & D. Auguſtino conſtat. ita Sap. 4. dicitur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus &c. placita enim erat Deo anima illius.* Marc. 13. *Propter electos, quos elegit, breviavit dies.* ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Similes textus indicant, ex ſingulari Dei diligentis, ſibi complacentis, & gratuito prædeſtinantis efficaci affectu ex propoſito oriri, ut quidam præ cæteris credant, ut brevientur tentationum, vel vitæ dies, ne malitia talium prædeſtinatorum animas pervertat, & perire faciat: ex quo ſequitur, præordinationem ad gloriam eſſe priorem gratia finaliter efficaci, e qua pendet æterna ſalus: nempe quia Deus præordinavit hos ad gloriam, ideo ex hoc affectu, & propoſito præordinationis tanquam ex radice decernit ſic prædeſtinatis fidem, fortitudinem in tentationibus, ſingularem protectionem, averſionem tentationum, & alia media finaliter efficacia. Idem confirmat S. Auguſtinus de dono Perſeverantiæ c. 19. ponens diſcrimen

inter alioquin æquales in natura, vocatione, baptiſmo, juſtificatione, cur aliqui, & non omnes finaliter in bono perſeverent, ubi ſic dicit: *Quænam eſt tandem iſta diſcretio? non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati: non erant electi ante conſtitutionem mundi: non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus; nam ſi hoc eſſent, ſine dubitatione manſiſſent.*

Confirm. 2. ratione Scoti. Qui prudenter, & ordinate vult, prius vult finem, quam media ad finem perducentia: ſed Deus prædeſtinando prudenter, & ordinate vult: ergo prædeſtinando Deus prius vult finem, quam media, ſcilicet prius gloriam hominum, quæ eſt finis, quam merita, quæ ſunt media ad obtinendam gloriam.

§. II.

Diluuntur Objectiones.

265 Objic. 1. Varios textus S. Scripturæ, Concil. & PP. qui inſinuare videntur, quod merita præcedant prædeſtinationem. ℞. His textibus dici, quod merita debeant præcedere ipſam actualem collationem gloriæ in tempore faciendam, non autem quod debeant præcedere ipſam prædeſtinationem. Vel diſt. merita præcedunt prædeſtinationem ſecundum ordinem executionis conc. ſecundum ordinem intentionis neg. vide de hoc dicta Art. præc. §. 2. Neque ſuperfluit iſte duplex ordo intentionis, & executionis; cum per illum ſalvetur, quomodo Deus ordinate velit gloriam tanquam finem, & merita tanquam media ad finem. Item iſte ordo non eſt ſuperfluus, qui, ſi non explicite, ſaltem implicite in S. Scriptura, & SS. PP. commendatur, & ſine quo admiſſo textus cum textibus non poſſunt concordari, quorum aliqui abſolute pronunciant, prædeſtinationem eſſe factam independenter a prævifis meritis, alii merita tanquam cauſam prædeſtinationis aſſignant.

266 Objic. 2. Juxta nos gratis, & ſine meritis per prædeſtinationem decerneretur gloria: ergo etiam gratis, & ſine meritis debet executive dari; alias enim prædeſtinatio eſſet ſimul liberalis, & gratuita, ac ſine titulo oneroſo, & ſimul involveret titulum oneroſum, quæ duo mutuo videntur pugnare, & implicare. ℞. D. a. Juxta nos decernitur gloria gratis ſubjective c. a. gratis etiam objective n. a. & d. c. ergo deberet gratis dari in executione, ſi tam ſubjective, quam obje-

objective gratis decerneretur c. c. si tantum subjective gratis decernitur n. c.

Nota discrimen inter decreta, & volitiones: una volitio est *subjective liberalis*, & gratuita, objective tamen, seu ex parte objecti onerosa. Talis est, quando ipsa volitio liberaliter, id est, absque debito, aut obligatione concipitur, habet tamen pro objecto aliquod debitum, vel obligationem. In exemplo: Andreas ædificaturus domum liberrime, & nulla obligatione adstrictus in Architectum vult habere Petrum præ Paulo, & postea constructa domo Petrum solvere. Volitio hæc, & electio *subjective*, seu respectu volentis est liberalis, & gratuita; existit enim in Andrea tanquam subjecto pure liberaliter; potuisset enim hic liberrime alium Architectum eligere, cui lucrum cederet. At ista volitio habet objectum debitum, & onerosum, scilicet solutionem constructa domo præstandam; adeoque est objective onerosa, quia præstito labore Andreas ex justitia tenetur solvere domum.

Alia volitio est *subjective, & objective liberalis*, quæ neque ex præcedente obligatione concipitur, neque objectum habet onerosum. Talis est volitio aliquid alicui liberaliter donandi. Alia denique est *subjective, & objective onerosa*, quæ nimirum ex præcedente obligatione concipitur, & habet objectum onerosum: ut si aliquis habens sponsalia cum Bertha, cum ea postmodum matrimonium contrahat, ubi contractus matrimonialis est subjective onerosus, quia fuit debitus propter præcedentem obligationem sponsalium: & est etiam objective onerosus, ac obligatorius, quia per consensum matrimonialem se obligant ad onera matrimonii.

Ex quo habes, *subjective* esse liberalem prædestinationem; quia Deus non ex meritis prævisis fuit motus ad habendam volitionem salvandi talem hominem prædestinandum, sed eum prædestinavit ad gloriam ex mera liberalitate, & gratuita, ac liberrima voluntate, ita, ut liberrime potuisset omittere hanc prædestinationem. Prædestinatio autem hæc est *objective* onerosa, in quantum Deus hominem prædestinavit ad gloriam non aliter obtinendam, quam per merita exhibenda. Et hæc est mens Scoti, qui in Reportat. d. 41. q. un. §. *de argumento* ait: hæc propositio: *Deus vult præmiare Petrum propter merita*, vera est, si ly *propter merita* afficiat prœmiare, seu objectum, quod est prœmiatio æterna: falsa vero, si afficiat ly *vult*, seu volitionem prædestinantem; hæc enim non fuit concepta a Deo propter

pter merita. Quare prædeſtinatio, ſeu volitio prædeſtinans, tanquam intentio finis, eſt prior ſecundum ſignum rationis, quam intentio, & executio meritorum tanquam mediorum.

Nota etiam, prædeſtinationem intentivam excludere merita tantum tanquam cauſam motivam, & tanquam aliquid prius pro ſigno rationis, bene autem ea implicite, vel explicite includere tanquam aliquid poſterius, & tanquam ſuum effectum.

Nota inſuper, aliud eſſe, hominem eſſe prædeſtinatum *ex meritis;* hoc enim denotat, merita eſſe cauſam motivam prædeſtinationis: & aliud eſſe, hominem eſſe prædeſtinatum ad gloriam *per merita* obtinendam; hoc enim denotat, merita eſſe tantum media ad gloriam, quæ ſunt in intentione poſteriora ipſa volitione gloriæ.

267 Objic. 3. illud Auguſtini: *Ora, vel fac, ut prædeſtineris.* Item illud 2. Petri 1. v. 10. *ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* ℟. ad 1. Eſſe orandum, & faciendum, ut in nobis appareant ſigna prædeſtinationis; nam bona opera ſunt ſigna prædeſtinationis: non autem ideo orandum eſt, quaſi per orationem, aut bona opera mereri poſſemus primam gratuitam prædeſtinationem. Dein juxta multos Eruditos ille textus non eſt Auguſtini. Ad 2dum fere par eſt reſponſio; nam per bona opera habemus ſigna prædeſtinationis, non quidem infallibilia, ſed tamen ſuo modo probabilia in nobis, eo ipſo, quod per bona opera executive ad gloriam debeamus pervenire, ad quam ſumus gratuito prædeſtinati.

Neque aliquem turbet illud Apoſtoli ad Rom. 8. *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui;* nam non ait Apoſtolus, quorum merita præſcivit, ſed quos præſcivit, id eſt, quos prædilexit ab æterno, & prædeſtinavit, ut Filio ſuo conformes fierent in gloria, ut explicant Sasbout, Cartuſianus, Eſthius, Pererius & alii. Imo per præſcientiam non raro ipſa prædeſtinatio intelligitur, ut Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit,* id eſt, prædeſtinavit. & 1. Petri 1. *Electis advenis ſecundum præſcientiam Patris,* id eſt, prædeſtinationem Patris.

268 Objic. 4. Ex noſtra ſententia ſequitur, quod aliquis poſſit omnia bona omittere; nam poteſt aliquis dicere: vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum prædeſtinatus ad gloriam? ſi non ſum prædeſtinatus:

tus: quæcunque egero, non ſalvabor: ſi autem ſum prædeſtinatus, tunc ſalutem conſequar, etiamſi peſſime vixero.

℞. 1. Retorq. Argum. in prædeſtinationem ad gratiam finaliter efficacem, ex qua pariter ſequitur infallibiliter æterna ſalus. ℞. 2. N. ſequel. nam eo ipſo, quod Deus hominem prædeſtinarit ad gloriam, neceſſario & indiſpenſabiliter per merita conſequendam, neceſſarium eſt, ut talia merita ponantur, & peccata vitentur; alias aliquis ſalutem non conſequetur. Hinc etiam prædicationes, & adhortationes ad vitanda peccata, & bona opera proſequenda non ſunt fruſtraneæ, quia nos animant ad illa præſtanda, ſine quibus gloria nunquam obtinebitur.

Objic. 5. Noſtra ſententia præbet anſam deſperandi, eoquod ſa- 269
lus noſtra primario dependeat a gratuita, & libera voluntate divina, & eoquod neſciamus, nos eſſe in numero prædeſtinatorum.

℞. 1. iterum retorq. Etiam prædeſtinatio ad gratiam finaliter efficacem dependet unice a voluntate divina, & non a nobis: item neſcimus, an Deus talem gratiam finaliter efficacem ſit nobis largiturus: ergo & prædeſtinatio ad gratiam efficacem nos adigit ad deſperationem.

℞. 2. N. a. Eo ipſo, quod nobis ſit incertum, an Deus nos prædeſtinarit, vel non prædeſtinarit, debemus de majori bonitate divina confidere, & credere, nos eſſe in numero prædeſtinatorum. Quare ſi quis tentetur, quod fruſtra Deo ſerviat, quia neſcit, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum: reſpondeat, ſe non fruſtra ſervire Deo; eo ipſo enim, quod fideliter Deo ſerviat, in timore tamen & humilitate, poterit inde, quantum homini licet in hac vita, conjicere, ſe in numero eſſe electorum. 2. Dum utrumque extremum eſt incertum, poterit merito illud ſperare, quod eſt melius. 3. Non fruſtra ſervit Deo, nec fruſtra agit, qui obligationi ſuæ ſatisfacit, etſi nullum inde prœmium reportet. 4. Certo quivis ſibi perſuadeat, ſe non damnandum ſine ſua culpa, adeoque, ſi hanc evitarit, ſe eſſe in numero electorum. 5. Dicat talis tentatus circa prædeſtinationem, bonum ſibi eſſe, adhærere Deo ſuo ſaltem in vita ſua, & ſperet, ſe etiam in æternum non ſeparandum a Deo ſuo. Si hæc, & alia quis præſtiterit, ad magnam animi quietem, & tranquillitatem perveniet. Videatur Drexelius l. 1. de recta intentione c. 7. §. 6.

270 Objic. 6. Nostra sententia injicit segnitiem in promovenda animæ salute, & non potest prædicari populo. ℞. Hic iterum manifestam esse retorsionem in prædestinationem ad gratiam efficacem. Dein primum membrum hujus instantiæ manet resolutum ex prioribus: ad secundum vero dico, quod teste Augustino de bono perseverantiæ per se loquendo nostra sententia utiliter prædicari possit, & debeat: per accidens tamen, quando auditor non est dispositus ad percipiendum hoc mysterium, & talis prædicatio potius obesset, quam prodesset, potius omitti deberet. Neque abusus aliquorum obstare debet; cum nil tam sanctum, quo aliqui non abutantur.

271 Objic. 7. Decretum absque prævisis meritis prædestinans necessitat hominem ad bene agendum: ergo tollit libertatem. a. p. vi hujus decreti homo necessario salvatur: ergo etiam necessario bene agit. ℞. 1. Retorq. Argum. ut sæpius jam insinuatum, in decretum, quod prædestinat ad gratiam efficacem. ℞. 2. N. a. Prædestinatio ad gloriam non necessitat, saltem necessitate antecedenti, ad operationem, *tum:* quia Deus per hoc decretum non quomodocunque prædestinat hominem ad gloriam, sed quatenus ea est obtinenda per actiones creaturæ meritorias liberrime positas. *Tum:* quia Deus non prædestinat prius ad gloriam, antequam cognovit media possibilia, vel omnino futura, saltem conditionate, quibus mediantibus hominem possit absque læsione suæ libertatis ad gloriam, quam ei primario, & gratuito intendit, perducere. *Tum* tandem: quia decretum intentivum non influit in operationem creaturæ, consequenter ejus libertatem non tollit; influxum enim hunc exercet decretum executivum, decernens gratias efficaces. Sed neque hoc lædit libertatem, quia vi hujus decreti non dantur gratiæ ab intrinseco efficaces, & tales, quibus resisti non potest.

Dices: Decretum prædeterminans lædit nostram libertatem: ergo & decretum hoc prædestinans; nam & hoc est antecedens, sicut decretum prædeterminans. ℞. N. c. & parit. Decretum prædeterminans datur primario ad operandum, & ideo attingit operationem, & necessitat ita ad agendum, ut non possit oppositum agi, neque talis actio, ad quam quis est prædeterminatus, possit omitti. Item: vi decreti prædeterminantis ponitur in voluntate gratia ab intrinseco efficax, & præmotio physica. Neutrum contingit in nostra prædestinatione: adeoque nostra prædestinatio, etiam stante gratia efficaci con-

congrua vi prædestinationis collata, relinquit in homine illæsum totum actum primum proximum, indifferentem ad agendum, vel non agendum, quod non facit decretum prædeterminans.

Instabis: Prædestinatus in sensu composito prædestinationis non potest damnari, vel reprobari: & reprobatus in sensu composito reprobationis non potest salvari, & prædestinari: ergo prædestinatio necessitat ad salutem, & reprobatio ad damnationem. ℞. D. a. id est, decretum prædestinationis, & reprobationis circa unum hominem, v. g. Petrum, non possunt simul esse in Deo; alias enim Deus duo decreta contradictoria circa idem omnino objectum habere posset, quod implicat c. a. id est, prædestinatus in sensu composito prædestinationis non habet potentiam proxime expeditam ad exercenda opera peccaminosa, & ad merendam damnationem, & reprobatus non habet potentiam proxime expeditam ad bene agendum, & merendum cœlum n. a. & c. Prædestinatus quidem finaliter non peribit, posset tamen, quantum est ex se, perire, quia habet omnia requisita ad hoc, ut possit ex se mereri æternam damnationem. Idem dic de reprobato; hic enim posset, quantum est ex se salvari, quia posset agere finalem pœnitentiam: sed non aget eam, neque salvabitur actu.

Deinde observa ex Mastrio, Decretum prædestinativum, etsi illud subjective sit gratuitum, & independenter a prævisis meritis conceptum, nihilominus non esse proprie antecedens, sed virtualiter concomitans: quia vi hujus in potentia libera non ponitur aliqua suppositio, vel præmotio antecedens, determinans ex se, & sua natura intrinseca independenter a cooperatione creaturæ ad unum extremum: imo vi prædestinationis confertur homini tantum gratia congrua, & ab extrinseco efficax, quæ solum adjuvat libertatem, non autem tollit.

Objic. 8. Ista prædestinatio efficax ad gloriam ante prævisa me- 272
rita est necessaria ad hoc, ut homines salventur: ergo reprobi, circa quos non fuit facta talis prædestinatio, non possunt salvari; quia non habent necessaria ad salutem. ℞. 1. Retorq. Argum. Prædestinatio ad gratiam finaliter efficacem est necessaria ad hoc, ut homines salventur: ergo reprobi, qui hanc prædestinationem ad gratiam finaliter efficacem non habent, non possunt salvari. ℞. 2. D. a. est necessaria ad salutem necessitate antecedente, imposita homini a Deo n. a. ne-

ceffitate confequente, quam fibi ipfe homo imponit c. a. neceffitas hæc inde provenit, quia foli prædeftinati ad gloriam, & gratiam finaliter efficacem in moderna providentia bene utuntur fuo libero arbitrio, & liberrime cooperantur gratiæ finali, a qua cooperatione pendet falus æterna: econtra vero non prædeftinati, feu reprobi non cooperantur gratiæ finali fufficienti, cui tamen poffent cooperari. Quare ait Maftrius 1. d. 5. n. 211. illam prædeftinationem ante prævifa merita non effe abfolute neceffariam ad gloriam confequendam. Rationem dat; quia gloria haberi poteft fimpliciter fine tali prædeftinatione, & ex fola generali conditionata voluntate falvandi omnes: & adjungit, fi Deus præVideret aliquem hominem cooperaturum auxiliis finaliter fufficientibus, tunc & talem poft prævifa merita adhuc fuiffe prædeftinandum, etfi non fuiffet gratuito, & ante merita prævifa electus ad gloriam. id, quod bene obfervandum.

273 Objic. 9. Non congruit Deo, ut in bonis, quæ a mera ipfius liberalitate pendent, fe uni magis liberalem oftendat, & uni aliquod bonum præparet, non alteri: ergo fi Deus, non permotus noftris meritis prævifis, fed ex mera fua liberalitate prædeftinaffet ad gloriam, debuiffet omnes æqualiter prædeftinare. ℟. 1. Hoc argumentum iterum retorqueri poffe, & debere in gratiam finaliter efficacem. ℟. 2. Nulla eft inconvenientia, quod Deus de bonis fuis, quorum pleniffimum dominium habet, & quæ liberaliter, ac ex mera liberalitate difpenfat, uni plus, alteri minus concedat. Neque in hoc eft ulla Perfonarum acceptio, quæ tunc tantum interveniret, quando Deus ex juftitia effet obligatus, ut fe omnibus hominibus æqualiter liberalem exhibeat. Imo: quod Deus teneatur, omnibus æqualem gratiam dare, eft minus catholice dictum, & Semipelagianifmum fapit, ut notat Maftrius ex Arriaga.

Dices: Si Deus ex mera fua liberalitate ante merita prævifa homines elegiffet, plures fine dubio prædeftinaffet; fumma enim Dei liberalitas non eum permififfet tam paucos eligere, juxta illud: *multi vocati, pauci vero electi.* ℟. 1. Iterum effe manifeftam retorfionem in gratiam finaliter efficacem. Cur enim non plures elegit ad gratiam finaliter efficacem? ℟. 2. N. a. Noftra fententia non infert injuriam liberalitati divinæ; Deus enim in primo decreto generali falvandi omnes fimpliciter, quantum eft ex fe, quemlibet vocavit, & ordinavit ad gloriam: in fecundo autem decreto particulari, quamvis aliquos

præ reliquis efficaciter, & infallibiliter ordinarit ad gloriam, tamen reliquos non exclusit positive a gloria, imo si auxiliis sufficientibus hi cooperati fuissent, saltem pro signo posteriori potuissent adhuc efficaciter eligi ad gloriam, & fuissent electi, ac salvati, licet non tam gratuito, & tam liberaliter sicut priores, quia priores ante prævisa merita, illi posteriores post prævisa merita.

Neque Deus insidiatur saluti non prædestinatorum, dando auxilia mere sufficientia; nam per hæc potuissent operari. Nec dicas, satius esse, non habere talia auxilia, cum quibus non conjungitur actus. ℞. enim, si hoc est, tunc etiam satius esse, hominem non habere potentiam ad peccandum, & liberum arbitrium.

Objic. 10. Deus in nostra sententia non haberet sinceram voluntatem salvandi omnes, etiam reprobos: sequela est contra fidem: ergo. M. p. Architectus non habet sinceram voluntatem ponendi omnes lapides in ædificio, si pro beneplacito suo aliquos seligit, cæteros relinquit: neque Agonotheta sincere vult omnibus dare bravium, si uni illud efficaciter præparat, reliquis neglectis: ergo a pari &c. ℞. N.M. ad p. n. c. & paritatem. Quia ordinatio aliquorum tantum lapidum ad ædificium est *positive* exclusiva reliquorum, ordinatio etiam unius ad bravium *positive* excludit alios; quia Simetria ædificii tantum certum numerum lapidum, quem Architectus eligit, capere supponit, & bravium unus solum accipere solet. Ast vero si lapides vivi, id est, beati, in cælesti ædificio multiplicentur etiam ultra numerum primo præelectorum, nihil sequitur incommodi, quia ibi mansiones plurimæ restant, quæ etiam per alios, non sic gratuito præordinatos, occupari possent. Iterum bravium gloriæ cœlestis non unus solum, sed tot accipiunt, quot faciunt illa, quæ possunt, & debent facere. 274

Objic. 11. impugnando probationem ex D. Augustino. S. Doctor *l. de bono perseverantiæ* c. 19. dicit: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse:* atqui sine periculo erroris potest disputari contra prædestinationem gratuitam, quam defendimus: ergo D. Augustinus hanc prædestinationem, quam defendimus, non docuit. ℞. D. M. & D. Augustinus textu citato loquitur de prædestinatione ad primam gratiam, quam velut articulum fidei ex professo defendit contra Semipelagianos duobus libris de prædest. SS. & de bono perseverantiæ c. M. secus n. M. De reliquo, quamvis primario ibi D. Augustinus loquatur 275

de prædestinatione ad gratiam primam, tamen concomitanter etiam asserit propositum illud primum, quo gratuito aliqui independenter a prævisis meritis ordinantur ad gloriam, ex quo proposito velut radice profluit gratia prima, fides, cæteraque dona, ac tandem perseverantia finalis.

276 Objic. 12. Contra rationem Scoti. In nobis est imperfectio, quod prius intendamus finem, quam media: ergo Deo iste modus imperfectus prius intendendi finem, quam media tribui non debet. a. p. est enim imperfectio, quod intento prius fine, postea consultemus, & deliberemus de mediis. ℞. N. a. Volitio finis volitione mediorum non est prior ex imperfectione, sed ex natura rei: quia medium ut medium non potest diligi formaliter propter se, sed propter finem, pro signo priori volitum; secus enim agens non diceretur agere propter finem. Ad prob. dico, quod consultare de mediis sit quidem imperfectio, quæ sæpe in nobis, non vero in Deo datur, etiamsi & Hic prius, seu pro signo priori intendat finem, & pro posteriori propter finem eligat media.

Dices 1. Ante decretum prædestinativum jam plene sunt cognita & ipsa gloria, & media ad illam, seu finis, & media: ergo non est ratio, cur prius intendatur finis, quam media. c. patet; non enim alia causa est prius intendendi finem quam media, quam hæc, quia circa media nondum adest sufficiens cognitio, quando intenditur finis. ℞. n. c. nam ratio est ipsa natura finis, qui prius petit intendi, quam media.

Dices 2. In divina cognitione sunt simul finis, & media: ergo & in intentione voluntatis. ℞. N. a. quia etiam finis qua talis petit prius cognosci, quam media. Dein Tr. a. n. c. esto, quod simul cognoscantur a Deo finis, & media, non tamen sequitur, quod Deus simul pro eodem signo debeat velle finem, & media; ordo enim cognitionis nequit impedire ordinem intentionis, & volitionis.

Dices 3. Quæ necessario sunt connexa, sunt simul volita: atqui finis, & media necessario sunt connexa: ergo etiam sunt simul volita. ℞. D. M. quæ necessario sunt connexa, sunt simul volita simultate actus c. M. simultate objectorum subd. si sunt necessario connexa sicut subjectum & passio, causa & effectus, radix & radicatum &c. n. M. secus tr. M. Eodem actu voluntatis intendit quidem Deus finem seu

gloriam

gloriam, & media: sed tamen cum ordine, quem inter se servant finis tanquam causa, & media tanquam effectus finis intenti.

Dices 4. Per decretum intentivum juxta nos efficaciter intenditur gloria v. g. Petri: ergo per hoc ipsum decretum, & in illo signo, quo hoc decretum intelligitur, simul intelliguntur etiam esse ordinata media efficacia, scilicet merita, & gloria consequenda per illa. c. patet; si enim ista media non essent ordinata simul, tunc illa intentio gloriæ non fuisset efficax. ℞. D. c. ergo pro illo signo, quo intenditur gloria tanquam finis, etiam intelliguntur radicaliter esse præparata, & ordinata media c. c. formaliter, & in se n. c. Neque per hoc decretum istud est confusum, si servet eum ordinem, quem objecta hujus decreti petunt observari, quamvis secundum nostrum concipiendi modum in primo signo præscindat a mediis formaliter talibus. Certe scientia Dei non est confusa, esto, in priori signo per eam attingantur sola possibilia, in altero conditionate futura, in tertio absolute eventura, quia aliter ista objecta non petunt cognosci, & hunc ordinem inter se exigunt. Hæc objectio est multorum RR. qui existimant, gloriam & merita simul intendi a Deo in decreto prædestinativo.

Objic. 13. Contra eandem rationem Scoti. Illud axioma: *qui* 277
vult ordinate, vult prius finem, quam media, non est universaliter verum: ergo ex eo nihil probamus. a. p. nam illud axioma non procedit, quando quis intendit finem alteri, sicut Deus alteri, scilicet creaturæ intendit gloriam: Sic Rex non potest subdito intendere efficaciter prœmium, nisi prius videat ejus merita. ℞. N. a. ad prob. n. paritatem; nam Rex ideo non potest effective efficaciter, saltem semper, intendere prœmium ut prœmium ante prævisa merita, quia in ejus potestate non est, dare media efficacia, certo connexa cum meritis, & consequenter cum prœmio: aliud est in Deo, qui potest dare gratias efficaces. Et certe Medicus ordinate, & efficaciter prius vult alteri, nempe ægroto, sanitatem tanquam finem, quam medicinam tanquam media.

Nec dicas: illud axioma solum esse verum, quando media sunt physica, ut est medicina respectu sanitatis, non vero, quando media sunt moralia, ut merita respectu vitæ æternæ; ista enim, cum non aliter causent, quam impetrando, & movendo, debent prius esse cognita, antequam moveant ad dandam gloriam: ergo. ℞. enim n. illatum:

latum: rationem d. debent prius effe cognita in ordine executionis c. in ordine intentionis n. Voluntas efficax femper eft caufa electionis mediorum, five hæc fint phyfica, five moralia. quod patet etiam juxta AArios in voluntate affective efficaci falvandi omnes, quæ per modum finis prius, quamvis inefficaciter, intendit omnibus gloriam, & pro pofteriori figno primum vi hujus intentionis ordinat gratias fufficientes, conducentes ad hunc finem.

278 Objic. 14. D. Auguftinus L. de Prædeft. SS. c. 11. dicit: Deus eodem modo ab æterno gratiam prædeftinavit, quo eam in tempore confert: ergo etiam eodem modo Deus gloriam nobis prædeftinavit ab æterno, quo eam confert in tempore, & executione, confequenter dependenter a meritis. ℞. Tr. a. Nam Maftrius negat, talia citato loco haberi in Auguftino. n. c. & paritatem; nam gratia femper eft merum medium a fola gratuita Dei voluntate pendens, five in executione, five in intentione confideretur: gloria vero habet rationem finis, qui in intentione eft primus, & in executione ultimus.

279 Objic. 15. Ex argumento Scoti fequitur, quod Deus neceffario prædeftinarit Electos ante prævifa merita, ita, ut non potuiffet prædeftinare poft ea; fequela videtur effe abfurda: ergo. M. patet; quia Deus, fi poft prævifa merita prædeftinaffet, non egiffet ordinate: atqui Deus non poteft inordinate agere: ergo &c. ℞. D. M. fequitur hoc in moderna providentia, in qua gloriam tanquam finem intendit, & in qua poft generalem voluntatem falvandi omnes aliquibus independenter a propriis meritis præparavit feriem gratiarum finaliter efficacem, aliis non c. M. fecus n. M. Sane præparatio illa mediorum finaliter efficacium, independenter a meritis creaturæ facta, fupponit neceffario in Deo intentionem finis efficacem, independentem pariter a meritis. cur enim his prorfus gratuito vult has gratias efficaces, nifi quia fpecialem, & prorfus gratuitum affectum habet erga illos, quo ipfis efficaciter intendit gloriam, & propter hanc tanquam finem concedit illa media? quod bene notandum, & ex S. Scriptura, & D. Auguftino conftat. Ita Sap. 4. dicitur: *Raptus eft, ne malitia mutaret intellectum ejus &c. placita enim erat Deo anima illius.* Marc. 13. *propter electos, quos elegit, breviavit dies.* Luc. 12. *Nolite timere pufillus grex, quia complacuit Patri veftro dare vobis regnum.* Ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem fuam, quam præfcivit.* Similes textus indicant,

dicant, ex singulari Dei diligentis, sibi complacentis, & gratuito prædestinantis affectu, & proposito oriri, ut quidam præ cæteris credant, ut brevientur tentationum, vel vitæ dies, ne malitia talium prædestinatorum animas pervertat, & perire faciat. Ex quo sequitur, præordinationem, & prædestinationem ad gloriam esse priorem gratia finaliter efficaci, vel perseverantia finali, e qua pendet æterna salus, nempe quia Deus præordinavit hos pro priori signo ad gloriam, ideo ex hoc affectu, & proposito præordinationis tanquam ex radice decernit sic prædestinatis fidem, fortitudinem in tentationibus, singularem protectionem, aversionem tentationum, & alia media finaliter efficacia.

Idem docet, & confirmat, S. Augustinus de Bono perseverantiæ c. 14. ponens discrimen inter pios, alioquin æquales in natura, vocatione, baptismo, justificatione, cur aliqui & non omnes finaliter in bono perseverent. Sic dicit: *Quænam est tandem ista discretio? non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant electi ante constitutionem mundi: non erant prædestinati secundum propositum ejus; nam si hoc essent, sine dubitatione mansissent.*

Objic. 16. Ex nostra sententia sequitur, quod Deus in prima in- 280
tentione, vel decreto intentivo, non velit illis, quos prædestinat, gloriam tanquam mercedem, & coronam: sed hoc videtur absurdum: ergo. ℟. D. M. ex nostra sententia sequitur, quod Deus in prima intentione, vel potius in primo signo decreti prædestinativi non velit prædestinatis gloriam formaliter tanquam mercedem c. M. radicaliter n. M. In primo signo Deus efficaciter præordinat gloriam Beatis tanquam finem, quæ præordinatio est radix, ut in secundo signo etiam determinet certa media ad finem hunc consequendum; cum autem Deus respectu adultorum determinaverit, & præparaverit merita eorum propria, tanquam media consequendi finem hunc, ideo gloriam in secundo signo, & in ordine executionis tantum vult dare titulo oneroso, & ut coronam justitiæ, ac prœmium &c. hujus tamen ordinis executionis radix primaria est decretum prædestinativum qua intentivum, & quidem mere gratuitum.

Objic. 17. Deus prius vult hominem, quam velit ipsi gloriam: 281
ergo etiam prius vult merita, quam velit gloriam. ℟. D. a. & hoc ideo, quia homo est finis *cui*, seu in cujus bonum intenditur gloria, qui semper solet præsupponi ante finem objectivum, & *qui*, qualis est in

proposito gloria c. a. secus n. a. & d. c. etiam sic vellet prius merita, si hæc etiam rationem finis *cui* haberent c. c. secus, si non habeant rationem finis cui, sed sint mera media ad finem *qui* n. c.

§. III.

Resolvuntur aliqua quæsita.

282 Quæres 1. Quomodo fuerit facta prædestinatio parvulorum post baptismum decedentium? ℟. Eam subjective pariter esse penitus gratuitam, & liberalem, ex mero beneplacito divino factam ante baptismum prævisum, imo & ante merita Christi prævisa: objective vero esse destinatam per modum hæreditatis ex meritis Christi, & dependenter a baptismo, tanquam medio applicativo meritorum Christi. Omnia patent ex dictis. Hoc solum nota: parvulis talibus solum in executione dari gloriam tanquam hæreditatem. Ratio est: quia solum datur dependenter a meritis Christi, non autem dependenter a propriis eorum meritis, consequenter non ex titulo justitiæ, neque per modum mercedis, prœmii, aut coronæ justitiæ.

283 Quæres 2. An reprobatio sit facta ante prævisa demerita? Ante responsionem nota, reprobationem ad propositum esse exclusionem a cœlesti gloria. Hæc dividitur in *negativam*, & *positivam*: *negativa* est non electio, seu non prædestinatio ad gloriam: *positiva* est vera, realis, & positiva exclusio, & repudiatio a cœlesti gloria, & vera ordinatio ad pœnam æternam. H. N.

℟. 1. Reprobatio negativa est facta ante prævisa demerita. Colligitur hoc ex illo exemplo de Jacob, & Esau ad Rom. 9. ubi dicitur: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni, vel mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui:* quæ verba sunt intelligenda de odio negativo, seu de minore amore. Patet hoc ipsum ex nostra conclusione principali de Prædestinatione, juxta quam Deus aliquos prædestinavit positive ante prævisa merita, alios vero non prædestinavit, adeoque negative reprobavit: ergo.

℟. 2. Reprobatio positiva non est facta ante prævisa demerita absolute futura. P. ex S. August. L. 3. contra Jul. c. 8. ubi ait: Bonus est Deus, justus est Deus: potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest sine malis damnare, quia justus est. 2. Oseæ 13. dicitur: *Perditio tua Israel*, id est, causata per tuam culpam: si vero positive aliquos sine demeritis eorum prævisis reprobasset Deus, tunc perditio horum ex Deo foret. 3. Repugnat bonitati divinæ, velle tantam multitudinem creaturarum rationalium ordinare ad perpetuum earum interitum, & statum tam miserandum. 4. Ordinatio ad pœnam est actus justitiæ vindicativæ, quæ, antequam determinet pœnam, necessario præsupponit delictum: ergo reprobatio, quæ est ordinatio ad pœnam æternam, necessario præsupponit peccatum saltem prævisum. Aliud est de prædestinatione, & ordinatione ad gloriam, quæ est actus bonitatis, & liberalitatis divinæ, dispensantis bona, alias hominibus indebita, quæ necessario non præsupponit merita; nam & liberalis quis esse potest erga aliquem, nulla habentem merita: punire vero juste Judex non potest aliquem, nullum habentem delictum.

Dices 1. Merces æternæ gloriæ decernitur juxta nos ante præ- 284
visa merita: ergo & pœna æterna ante prævisa demerita. ℟. N. c. & parit. 1. Prædestinatio ad gloriam nulli est injuriosa: quia nulli infert injuriam, bene autem prædestinatis summam gratiam. 2. Aliquem punire pœna æterna, est actus justitiæ vindicativæ: ergo præsupponit demerita: econtra liberaliter alicui destinare bonum gloriæ, est actus liberalitatis, & misericordiæ, non præsupponens merita.

Dices 2. Deus potest positive reprobare a gratia sine absolute prævisis demeritis: ergo & positive potest reprobare a gloria sine absolute prævisis demeritis. ℟. N. c. Reprobare a gratia efficaci, est tantum nolle dare favorem indebitum: quod potest fieri sine ullis demeritis; reprobare a gloria positive, est aliquem velle positive punire pœna æterna, quod est actus justitiæ vindicativæ, præsupponens demerita.

Quæres 3. Quinam sint effectus prædestinationis, & repro- 285
bationis positivæ? ℟. 1mo. Effectus principalis prædestinationis intentivæ, de qua hic est quæstio, est glorificatio nostra, quæ tamen est ultima in executione. unde primus effectus prædestinationis sunt merita

 rita

rita Chrifti nobis applicanda: fecundus tota feries gratiarum finaliter efficacium, ac mediorum omnium ad falutem talis hominis efficaciter confequendam concurrentium; ratio eft: quia hæc omnia dependenter a prædeftinatione prævia tanquam caufa motiva dantur. In hac ferie mediorum etiam numeramus gratiam habitualem, imo & permiffionem peccatorum tam propriorum, quam alienorum, quibus homo efficaciter ftimulatur ad profequendam falutem, eamque finaliter affequendam. Pariter in hac ferie mediorum numerantur merita noftra, vel abfolute requifita ad falutem noftram, vel alias efficaciter influentia &c. Imo huc concurrere poffunt plures res naturales, in genere phyfico quandoque etiam malæ; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui *fecundum propofitum* vocati funt fancti.

R. 2. Damnatio, feu pœna æterna, eaque fola regulariter eft effectus reprobationis pofitivæ, licet quandoque etiam acceleratio mortis temporalis fit effectus reprobationis, quando hæc acceleratio fit propter vindictam fumendam de enormibus peccatis, ut experti funt Dathan & Abiron. Permiffio autem peccati alicujus non eft effectus reprobationis pofitivæ, quia non procedit ex voluntate damnandi aliquem, fed Deus potius ideo peccata permittit, ut inde eliciat bona.



TRA-

Tractatus IV.

DE

VISIBILITATE DEI:

SEU

DE VISIONE BEATIFICA, ET BEATITUDINE HOMINIS.

Dissertatio I.

AN, QUANDO, ET QUO MEDIO DEUS POSSIT VIDERI?

Articulus I.

An Deus possit videri?

§. I.

An Deus possit videri oculo corporeo?

Assero 1. Deus nullatenus videri potest oculo corporeo, etiam de potentia Dei absoluta. Communis Scholasticorum: & hanc sententiam apud Herincx p. 1. Tr. 1. Disp. 5. n. 14. Wiggers vocat theologice certam: Suarez ait, eam accedere ad dogma fidei &c. 286

P. 1. ex Trident. quod Sess. 25. in Decreto de SS. Imaginibus dicit: *Doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Idem docent SS. PP. Ambrosius L. 1. in Lucam c. 1. ait: *Nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu.* D. Athanasius *Orat. con-*

tra Idololatras asserit, grandem esse vecordiam, si quis fingat, Deum esse visibilem oculo corporeo. Cyrillus Jerosol. Catechesi 9. dicit: *Carnis quidem oculis contemplari Deum impossibile est; quod enim corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit.*

P. 2. ratione. Nulla potentia, etiam supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta, potest ferri extra objectum suum adæquatum; atqui objectum adæquatum visus corporalis est res corporea: ergo visus corporeus non potest ferri etiam supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta extra rem corpoream, videndo scilicet aliquam rem spiritualem, qualis est Deus. M. patet; si enim aliqua potentia posset versari extra objectum suum adæquatum, tunc simul esset adæquatum, ut supponitur, & simul non esset adæquatum; quia præter illud adhuc alia quoque objecta attingi possent a tali potentia.

Dices: Objectum adæquatum naturalis attingentiæ respectu visus esse quidem rem corpoream; ast supernaturaliter ad objectum hoc etiam pertinere res incorporeas. Contra est 1. Hoc omnino gratis dicitur, quia nullum omnino vestigium reperitur in visu corporeo, ex quo colligi posset, quod haberet potentiam inchoatam ad percipiendas res spirituales. 2. Si hæc instantia esset vera, posset etiam dici, quod oculi Beatorum sint supernaturaliter elevabiles ad videndum Deum. 3. Si Deus supernaturaliter posset videri oculo corporeo, tunc etiam supernaturaliter Deus posset audiri ab aure, olfieri, gustari, tangi &c. nihil enim est speciale in oculis, vi cujus hi soli, non autem cæteri sensus, Deum possint supernaturaliter attingere: atqui sequela est absurda: ergo & id, unde sequitur.

287 Objic. 1. Exod. 23. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem:* ergo Moyses vidit Deum oculis corporeis. R. N. c. Illa verba sacri Textus indicant, Deum, vel Angelum Dei loco, in corpore assumpto conversatum esse cum Moyse: vel significant magnam familiaritatem, qua Deus, vel Angelus Dei loco, egit cum Moyse communicando ei secreta, sicut amicus solet cum amico agere.

Objic. 2. Illud Job. c. 19. *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Et c. 42. *nunc autem oculus meus videt te.* ℟. ad hunc textum verbis D. Augustini l. 22. de Civit. Dei cap. 29. ibi: *Illud etiam, quod ait supra memoratus Job, resurrectionem quidem carnis prophetavit, non tamen dixit, per carnem meam: quod tamen si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.* Videbit ergo homo beatus Deum in carne

carne post resurrectionem, non autem per oculos carneos, sed per oculum spiritualem animae carni unitum: vel potest dici, quod Job ibi speraverit, etiam se visurum oculis corporeis Deum Incarnatum. Textus vero alter: *Nunc autem oculus meus videt te*, loquitur de oculo, & cognitione intellectuali, qua Job tunc clarius per experientiam cognoscebat, & quasi videbat divinam Providentiam, de qua antea multa audierat.

Objic. 3. S. Augustinus multa habet pro visione corporea Dei: ergo. ℞. 1. opponendo alios textus, ubi visionem corpoream Dei esse possibilem negat. sic Serm. 1. de diversis ait: *Hæc vero visio non carnalibus æstimanda est oculis fieri posse, sed puræ mentis intuitu.* & Epist. 6. *Hoc autem* (scilicet Divinitatem videre) *oculus corporis neque nunc potest, neque tunc poterit.* ℞. 2. D. Augustinum aut nobis favere, ut patet ex textibus allatis, aut eum in textibus, qui videntur nobis esse oppositi, non assertive, sed dubitative, & disputative procedere, adeoque saltem positive nobis non esse contrarium. Videri potest P. Herincx p. 1. d. 5. n. 15. & 16. ubi multis mentem D. Augustini expendit.

Objic. 4. Potest oculus corporeus elevari ad videndum claritatem, & lumen supernum corporis gloriosi: ergo etiam ad videndum Deum. ℞. N. c. Illa claritas, & lumen supernum corporis gloriosi est accidens materiale, adeoque inter objectum adæquatum sensus materialis adhuc contineri potest: ast Deus est spiritualis.

Objic. 5. Potest intellectus per lumen gloriæ elevari ad videndum Deum: ergo & oculus corporeus. ℞. N. c. & paritatem; nam objectum visus adæquatum se minime extendit ad objecta incorporea: bene vero objectum adæquatum intellectus nostri *secundum naturalem inclinationem* sub se comprehendit non solum ens corporale, sed & spirituale, ac infinitum. Hinc ex viribus suis naturalibus potest Deum abstractive cognoscere: si vero per lumen gloriæ elevetur, potest illum etiam clare, & intuitive videre.

Objic. 6. Oculus corporeus habet potentiam obedientialem, ut possit Deum videre: ergo potest supernaturaliter elevari ad videndum Deum. ℞. N. a. & suppositum, quod detur potentia obedientialis activa quodlibetica: præsertim oculus non potest Deum videre, quia non habet potentiam inchoatam ad percipiendum spiritum, sicut intellectus habet potentiam inchoatam ad cognoscendum Deum clare,

cum

cum Deum faltem abftractive poffit cognofcere ex viribus fuis naturalibus. Videatur Philofophia, ubi a Scotiftis negatur potentia obedientialis quodlibetica activa, & fimul affignatur modus difcernendi, an aliquod ens habeat, vel non habeat potentiam activam obedientialem.

Objic. 7. Poteft potentia fpiritualis, fcilicet intellectus, attingere objecta materialia: ergo & potentia materialis poteft attingere objecta fpiritualia. R. N. c. & parit. nam fpiritui, ceu enti nobiliori, major, & magis illimitata convenit activitas, quam enti materiali tanquam longe inferiori.

Objic. 8. Potentia finita poteft attingere objectum infinitum, fcilicet intellectus creatus Deum: ergo & potentia materialis poteft attingere objectum fpirituale. R. 1. Retorq. argum. potentia finita poteft naturaliter, faltem abftractive, attingere objectum infinitum: ergo &c. R. 2. N. c. & parit. nullum enim habemus veftigium, quod potentia materialis fe extendat ad percipiendum objectum fpirituale: habemus autem claram experientiam, quod Deus per intellectum creatum cognofci valeat, quia etiam in hac vita cognitiones faltem abftractivas de Deo habemus.

Objic. 9. Deus poteft videri ab intellectu creato: ergo etiam Angelus, licet fit fpiritus, ab oculo corporeo: atqui fi Angelus non obftante fua fpiritualitate poteft videri ab oculo corporeo, tunc & Deus: ergo p. c. Magis diftat Deus ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo corporeo: ergo fi Deus poteft videri ab intellectu creato, tunc a fortiori Angelus ab oculo corporeo. R. N. c. ad prob. d. a. magis diftat Deus entitative c. a. magis diftat objective, feu in ratione objecti repræfentabilis n. a. Hic non attenditur diftantia entitativa, fed folum per experientiam, aut alia indicia inquiritur, quid contineatur, vel non contineatur intra fphæram objecti alicujus potentiæ. Dein poteft iterum retorqueri argumentum: Deus poteft naturaliter cognofci ab intellectu creato, faltem abftractive: ergo & Angelus poteft videri naturaliter ab oculo corporeo.

§. II.

§. II.

An Deus possit videri ab intellectu creato?

Certum, ac de fide est 1. quod Deus supernaturaliter possit clare, & intuitive videri ab intellectu creato. Ita definitum est in Concil. Viennensi *Clem.* Ad nostrum. *de Hæreticis*. Idem definit Florentinum in Literis unionis dicens, animas plene purgatas *intueri clare Deum trinum, & unum, sicuti est.* Accedit Sacra Scriptura Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. Joann. 3. *Videbimus eum, sicuti est.* 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Idem docent SS. PP. & probat ratio: quando potentia habet virtutem inchoatam ad attingendum objectum clare, & perfecte, potest a Deo compleri, ut taliter perfecte attingat: atqui intellectus habet virtutem inchoatam ad Deum clare, & perfecte videndum, quod colligimus ex eo, quia intellectus creatus etiam ex viribus naturæ cognoscit Deum imperfecte, & abstractive: ergo. 288

Deinde SS. PP. & Textus Scripturæ, qui secundum apparentiam videntur huic dogmati Fidei repugnare, varie explicari possunt; negant enim, Deum ab intellectu clare cognosci solis viribus naturæ, vel si de cognitione supernaturali sit sermo, tunc negant Deum clare & intuitive cognosci ab intellectu creato in via, imo etiam negant, in Patria dari cognitionem talem, qua Deus a creatura comprehendatur. Præsertim non negavit visionis Dei possibilitatem S. Chrysostomus; asserit enim 1mo Deum se manifestaturum Justis in æternitate non in ænigmate, sed facie ad faciem. ita Paræenesi 1. ad Theodorum lapsum c. 7. 2do ait, Sanctos post hujus vitæ peregrinationem Deum esse visuros. ita Hom. 111. in Epist. ad Philippenses. 3tio Orat. de S. Philogonio docet, Beatos in cœlo defacto videre Deum intuitive. Nec Theodoretus adstruit impossibilitatem visionis Dei; nam 1mo in Vita S. Eusebii dicit, eum desiderare visione Dei perfrui. 2do in cap. 2. Epist. ad Ephesios docet, Beatos non videre Deum in ænigmate, sed facie ad faciem.

Certum est 2. Quod nullus intellectus hactenus creatus solis naturæ viribus possit Deum clare, & intuitive videre. Est de Fide contra Beguardos, & Beguinas, quorum error damnatus est in Concilio Viennensi a Clemente V. Ratio est; quia id satis indicat S. Scri- 289

ptura, dum 1. ad Timoth. 1. dicit: *Regi saeculorum immortali, & invisibili.* & c. 6. *Qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Adde, quod Fides, Spes, & Charitas superent vires naturae: ergo magis eas superat visio beatifica, ad quam virtutes Theologicae tantum disponunt tanquam media. Ratio hujus desumitur ex Scoto 4. d. 49. q. 11. n. 9. & quodlib. 14. n. 10. & 21. quia intellectus creatus non potest ex viribus naturalibus habere omnia requisita ad videndum clare Deum: ergo ex viribus naturae non potest habere visionem claram Dei. a. p. Inter requisita haec etiam est concursus objecti per se ipsum, aut per suam speciem; atqui hunc concursum creatura non potest habere ex suis viribus naturalibus; quia intellectus creatus, relictus in naturalibus, non potest connaturaliter exigere concursum objectivum objecti beatifici, nempe Essentiae divinae clare se praesentem sistentis, cum ad perfectionem Essentiae divinae spectat, quod ipsa respectu intellectus creati sit objectum liberum, & se libere possit manifestare creaturae, vel eidem libere suam manifestationem negare: unde recte de Deo dicit S. Ambrosius L. 1. in Lucam c. 1. *Si non vult, non videtur, si vult, videtur.* Rationes aliae dabuntur Dissert. seq.

Neque obest, quod beatitudo homini sit naturalis juxta Scotum q. 1. Prologi n. 20. & 21. & 4. d. 49. q. 10. n. 3. Scotus enim solum vult, beatitudinem esse juxta inclinationem hominis naturalem, quae se extendit ad omnem sui perfectionem possibilem, etiamsi naturaliter non obtinibilem, neque vi exigentiae naturae debitam.

His notatis remanet difficultas, an saltem de potentia extraordinaria sit creabilis aliquis intellectus, cui connaturaliter debeatur visio beatifica? vel, ut alii proponunt, an sit dabilis substantia supernaturalis, quae proinde exigat gratiam, & alia accidentia supernaturalia, consequenter & ipsam beatitudinem, tanquam naturaliter sibi debita?

290 Assero, & respondeo negative. Communissima TT. quorum aliqui contrarium temerarium esse censent. Verum quidquid sit de hac censura, a qua abstineo:

P. nostra sententia 1mo ex ipso communissimo TTorum consensu, qui in rebus Theologicis semper maximi est ponderis.

P. 2. Ex Textibus S. Scripturæ mox recitatis, juxta quos Deo semper competit invisibilitas: consequenter Deus non solum est invisibilis respectu intellectum hactenus creatorum, sed & creabilium.

P. 3. Talis intellectus, qui extraordinarie crearetur, esset adhuc creatura: ergo eo ipso non posset ex se sine alio principio supernaturali elevante videre Deum. conf. est D. Augustini, qui L. 12. de Civit. c. 1. ait: *Creatura intellectualis*, NB. *quia creatura est, hoc* (nempe Deum videre) *non ex se potest, sed ex illo; ex quo creata est.* Quare ejusmodi substantiæ supernaturali suis viribus posse Deum videre repugnat.

P. 4. Quia videtur spectare ad perfectionem infinitam Dei, quod sit objectum liberum ad extra, quod pro libitu se clare possit manifestare intellectui cuilibet creato, & creabili. Iterum spectat ad omnipotentiam Dei, quod in sua potestate habeat talia accidentia, quæ nulli creaturæ, suis viribus naturalibus relictæ, sint connaturalia, neque ab ea possint exigi tanquam sibi connaturaliter debita. Atque talia accidentia censentur esse gratia, & visio beatifica; cum non possint alia excogitari, quæ sint superioris ordinis.

P. 5. Non potest dici, in quo consisteret supernaturalitas substantiæ talis, si ea daretur: ergo eo ipso talis substantia supernaturalis non est possibilis. a. p. vel enim esset supernaturalis, quia esset substantia a solo Deo creabilis? atqui etiam Angeli sunt a solo Deo creabiles, & tamen non sunt supernaturales quoad substantiam. Vel esset supernaturalis, quia esset perfectior omnibus substantiis hactenus creatis? ast & Angelus defacto est perfectior omnibus substantiis creatis, & tamen non est supernaturalis intrinsece. Vel esset supernaturalis, quia de sua intrinseca natura exigit accidentia supernaturalia, tanquam sibi debita, v. g. gratiam sanctificantem, lumen gloriæ, & ipsam visionem beatificam? ast si ex natura sua exigeret hæc accidentia supernaturalia, tunc deberet in se habere prædicatum essentiale, & intrinsecum, vi cujus ea exigeret: ergo ostende sis, quale istud prædicatum esse debeat. Certe nullum assignare potes. 2. Tale prædicatum, qualecunque esset, deberet esse creatum: ergo eo ipso non posset connaturaliter exigere lumen gloriæ, ac alia dona supernaturalia, tanquam sibi connaturaliter debita: sicut ex hac ratione alia prædicata substantiæ finitæ, eoquod

sint creata, & finita, non exigunt ex se, & sua natura dona supernaturalia tanquam sibi debita.

Confirm. Illa substantia, quæ esset supernaturalis, vel deberet esse Angelus, vel homo; nam perfectior substantia cogitari non potest: ergo etiam foret naturalis, sicut quilibet Angelus, & homo de facto.

291 Objic. 1. Lumen gloriæ informans intellectum exigit connaturaliter visionem beatificam: ergo non est implicantia, quod detur aliqua substantia, quæ connaturaliter exigeret visionem beatificam. conf. videtur patere, præsertim, quia substantia in genere suo est perfectior, quam accidens, quale est lumen gloriæ.

℞. D. a. Lumen gloriæ exigit connaturaliter visionem sibi n. a. exigit visionem alteri, nempe intellectui, tanquam favorem indebitum illius c. a. & d. c. ergo non est implicantia, quod substantia connaturaliter exigat visionem, si eam non deberet sibi, & tanquam bonum suum connaturale exigere c. c. secus n. c. Si intellectus aliquis creatus ex sua natura exigeret visionem beatificam, ut sibi connaturaliter debitam, tunc sequeretur, quod ille connaturaliter videret Deum, & Deus se necessario, & clare ei manifestare deberet, quod est inconveniens: hoc non sequitur ex lumine gloriæ, utpote quod, tanquam ens inanime, non videt Deum, exigit vero visionem alteri, scilicet intellectui, cui adhuc conceditur tanquam specialis favor, illumque, nempe intellectum, ex viribus & exigentia sua connaturali insufficientem, ad talem visionem elevat.

Objic. 2. Omni accidenti debet respondere subjectum connaturale: ergo & visioni; atqui huic non potest aliud respondere, quam aliquis intellectus creabilis: ergo aliquis intellectus creabilis potest esse subjectum connaturale visionis beatificæ. ℞. N. a. Imo congruit, ut Deus possit aliqua accidentia efficere, quæ nulli creatæ exigentiæ sint connaturalia, vel debita. Deinde accidens quidem omne exigit alicui subjecto inhærere, sed non connaturali: sic calor inhæret aquæ, cui contrarius est: sic visio potest inhærere intellectui, cui supernaturalis, vel indebita est, quamvis *passive* sit ei connaturalis, quatenus intellectum perficere potest.

Objic. 3. Forma substantialis dicit semper ordinem ad subjectum connaturale: ergo & forma accidentalis. ℞. N. c. Nam forma substantialis ordinatur a natura ad faciendum compositum substantiale cum materia tanquam subjecto, & quidem hoc compositum est finis

finis naturalis formæ: aſt accidens, quia interdum poteſt eſſe favor naturaliter indebitus, non ſemper ita ordinatur ad finem naturalem.

Objic. 4. Unio hypoſtatica eſt ſubſtantia, & tamen exigit connaturaliter viſionem beatificam, ergo ſubſtantia poteſt exigere connaturaliter viſionem betificam. ℞. 1. Scotiſtas probabiliter negare, unionem hypoſtaticam eſſe ſubſtantiam. ℞. 2. D. a. Eſt ſubſtantia ut quo, & exigit alteri, nempe animæ Chriſti, viſionem beatificam tr. a. exigit ſibi n. a. Ratio diſtinguendi colligitur ex reſponſione ad objectionem primam. Adeoque nos ſolum negamus, poſſibilem eſſe ſubſtantiam ut quod, cui immediate in ſuum bonum connaturale eſſet debita viſio beatifica, eoquod talis ſubſtantia ut quod connaturaliter videret Deum. Ex hoc capite etiam negamus ſubſtantiam ut quod, cui connaturaliter eſſet debita gratia ſanctificans; quia etiam talis ſubſtantia connaturaliter, & ex intrinſeca creata ſua eſſentia exigeret Deo uniri per amicitiam ſupernaturalem, & vi connaturalis exigentiæ redderetur amica, filia, & hæres Dei.

§. III.

Expediuntur aliquæ Quæſtiunculæ.

Quæres 1. An Deus ab homine viatore, ſeu in hac vita poſſit 292
intuitive videri? ℞. affirmative. P. 1. Quia Chriſtus qua homo in vita hac mortali clare, & intuitive vidit Deum: ergo etiam hoc Privilegium de abſoluta Dei potentia poſſet alteri quoque homini concedi. 2. Per potentiam Dei abſolutam homo exiſtens adhuc in corpore mortali poſſet in aliquibus cognitionibus non dependere a ſenſibus: ergo nihil obſtat, quin homo poſſit habere cognitionem Dei intuitivam independentem a ſenſibus.

Quæres 2. An viſio Dei clara, & intuitiva in hac vita ſit ali- 293
quando conceſſa puro homini? ℞. In hoc puncto non convenire TTos. Herincx p. 1. diſp. 5. n. 29. Henno diſp. 4. de Deo uno q. 3. Concl. 2. & communior, ac probabilior Scholaſticorum aſſerit, viſionem Dei intuitivam, & claram nunquam fuiſſe conceſſam in hac vita puro homini. Dixi: *puro homini*, ut exciperetur ſolus Chriſtus, qui Deus & homo eſt, ac fuit etiam in hac vita mortali. P. 1. Quia Scriptura univerſaliter exprimit, neminem in hac vita Deum vidiſſe. Sic Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam.* & c. 6. *Non quia Patrem vidit* quis-

quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. item 1. Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Neque est ratio, cur fiat exceptio in his textibus universaliter loquentibus.

P. 2. ex SS. PP. S. Irenæus l. 4. c. 17. ait: *Neque Moyses vidit Deum, neque Elias, neque Ezechiel, qui multa de cælestibus viderunt.* Plures alios Patres allegatos vide partim apud Herincx, & Henno citt. partim apud nostrum Smising Tract. 2. disp. 6. n. 301.

Non desunt tamen, qui pie ab hac universali conclusione excipiunt Beatissimam Virginem, & credunt, eam aliquando, quamvis non constanter, in hac vita clare, & intuitive Deum vidisse. Vasquez, Lorca, & alii apud Herincx allegati. Ratio est: quia rationabiliter creditur, quod Bma Virgo præ omnibus aliis maxima privilegia gratiæ acceperit; neque Mater Unigeniti Dei inclusa videtur in lege illa universali, qua specialis favor aliis inferioribus Sanctis denegatur.

294 Quæres 3. An Beati in cœlo habeant cognitionem comprehensivam Dei? Ante responsionem nota, cognitionem comprehensivam esse, qua res intelligitur secundum omnem suam cognoscibilitatem, vel qua tota cognoscibilitas objecti exhauritur, ita ut omnes formalitates, & prædicata objecti secundum omnem gradum cognoscibilitatis suæ cognoscantur, prout S. Augustinus Epist. 122. indicat c. 8. dicens: *Res comprehenditur, cum ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* H. N.

℟. negative; Nam esto, Beatus cognoscere possit omnia, quæ in Deo sunt formaliter, & eminenter, tamen ea non potest cognoscere secundum omnem gradum cognoscibilitatis eorum; etenim prædicata divina sunt infinita, & habent infinitam cognoscibilitatem: cognitio vero intellectus creati est tantum finita, adeoque non commensuratur cognoscibilitati divinæ.

Articu-

Articulus II.

Quando Beati videant Deum?

§. I.

Pro Notitia critica præmittenda eſt Synopſis Hiſtorica de Millenariorum Hæreſi, quæ & refellitur.

Error de millenario regno Chriſti primum, & nefandum Authorem 295
habet Cerinthum. Hic commentus eſt millenarium quoddam regnum Chriſti in terris poſt reſurrectionem Juſtorum, & mille annos ante judicium univerſale, in quo millenario Chriſti in terris regno Juſti per mille annos illicitis carnis voluptatibus, & obſcænis illecebris indulgere, urbs Jeruſalem, & templum inſtaurari, præcepta Legis Moſaicæ ſervari, Sacrificia juxta ejusdem Legis ſtatuta immolari, & homines more Judaico circumcidi deberent. Propter illud millenarium Chriſti in terris regnum a Cerintho confictum, ejus ſectatores appellati ſunt *Chiliaſtæ*, ſeu *Millenarii.*

Non defuerunt quidem antiqui Patres aliqui, & trium priorum ſæculorum Eccleſiæ Scriptores, qui poſt Papiam Hieropolitanum Epiſcopum docuerunt, Chriſtum per mille annos ante judicium univerſale corporaliter cum Juſtis regnaturum in terris, priusquam ad conſpectum Dei in cœlis reciperentur; atque adeo negabant, animas Juſtorum defunctorum ſtatim poſt mortem in cœlum ad viſionem beatificam recipi, ſed primum poſt diem generalis judicii. Aſt antiqui illi Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici longiſſime diſcrepabant ab illo terreno Chriſti millenario regno, quale ſomniabat Hæreſiarcha Cerinthus; primo enim in eo regno Chriſti, & Juſtorum millenario, quod Papias, vir vere probus, & Sanctus, ac S. Joannis auditor, & nonnulli antiqui Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici admiſerunt, nulla omnino fit mentio de Templi inſtauratione, neque de adimpletione præceptorum Legis Moſaicæ, neque de circumcidendis hominibus, & ſacrificiorum immolatione, quæ tamen omnia in regno Chriſti & Juſtorum millenario Cerinthus effutiebat. Secundo impius ille Seductor in eodem regno effuſiſſimam libidinis intemperiem poſuit: ſed Papias, aliique Patres antiqui Millenarii, nihil de illo regno docuerunt,

runt, nisi sanctum & honestissimum, & delicias, quas illi regno tribuebant, justas, modestas, & honestas fore, sicut sanctum populum decet. Quare antiqui illi Patres istius pestiferi dogmatis Cerinthiani argui non debent, cum ab eo fuerint longissime alieni.

Nihilominus & Horum antiquorum opinio de millenario Christi, & Justorum regno cum in Ecclesia Orientali, tum Occidentali, a saniore SS. Patrum, & Scriptorum numero semper fuit rejecta, ac tandem ab Ecclesia proscripta, eisque hæresis nota inusta, qui post solenne, & decretorium illud judicium eam deinceps tuendam suscipere auderent. Igitur cum Ecclesia Catholica

296 Assero: Regnum mille annorum in terris cum Agno est fictitium. Ita Catholici contra Millenarios, quorum opinionem adhuc post Concilii Florentini definitionem tueri videntur Armeni, & Græci Schismatici, & aperte satis eam adoptat Calvinus L. 4. Instit. c. 20. Hi omnes ergo docuerunt, neminem Dei visione fruiturum, nisi post diem generalis judicii.

P. 1. ex S. Scriptura. *Regnum meum non est de hoc mundo*, dicit Christus Joan. 8. v. 36. Item Luc. 6. v. 33. *Regni ejus non erit finis*: quæ verba Concilium Constantinopolitanum suo adjunxit Symbolo propter Apollinaristas, qui regnum mille annorum admittebant in terris pro Sanctis. Iterum Luc. 23. v. 43. ais Christus Justis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. - - - Discedite a me maledicti; & ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt omnes sicut Angeli Dei.* Joan. 14. v. 17. *Regnum Dei non est esca, & potus.* Ex his

Argumentor 1. Regnum, quod adstruunt Chiliastæ, est regnum Sanctorum cum Agno in terris: sed ex Scriptura S. regnum Dei non est de hoc mundo: ergo hoc regnum mille annorum pro animabus justis in terra, & mundo fictitium est.

Argumentor 2. Regnum hoc, de quo controvertitur, est tantum mille annorum: sed regnum Christi, teste Scriptura, est æternum, & sine fine, seu est vita æterna: ergo non est regnum tantum mille annorum.

Argumentor 3. In regno Christi animæ justæ, & nulla purgatione indigentes, statim fruuntur vera beatitudine, & visione Dei, quæ tamen juxta Chiliastas ad mille annos differretur; sic enim promissum

missum erat a Christo bono Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo tale regnum millenarium frustra assignatur.

Argumentor 4. Primi Chiliastæ in hoc regno admittunt illecebras carnales: sed ex Scriptura Beati in regno Christi neque nubent, neque nubentur: imo teste S. Hieronymo in uxoribus apparet turpitudo, & juxta Evangelium in regno Christi *omnes erunt sicut Angeli Dei*, & secundum Joannem *regnum Dei non est esca*, *& potus*: ergo.

Argumentor 5. Ecclesia nullo decreto, vel sententia comprobavit hoc millenarium regnum: ergo fictitium est.

P. 2. Ex constanti Patrum, & Scriptorum antiquorum sententia. S. Dionysius de Cœlest. Hierarch. c. 7. vocat Millenariorum opinionem fabulam hæreticorum. Cajus perantiquus Scriptor apud Eusebium L. 3. Histor. Eccles. c. 22. hoc regnum millenarium ut commentum Cerinthi explodit. Idem facit S. Dionysius Alexandrinus Lib. de Promissionibus. S. Hieronymus Lib. 18. Commentariorum in Isaiam cum laudato Dionysio Alexandrino irridet mille annorum fabulam. S. Epiphanius hæresi 77. hunc errorem ab Apollinario suscitatum refellit verbis sane gravibus. S. Ignatius Epist. ad Romanos tenet, Justum post mortem statim visurum Deum in cœlo. Id ipsum censent plures alii Patres antiqui, & Scriptores. S. Justinus Dialog. cum Tryphone, & S. Irenæus l. 5. c. 35. quamvis Millenariorum fabulæ patrocinarentur, nihilominus fatentur, plures Catholicos nostræ sententiæ, quam *puram*, *piamque Christianorum sententiam* appellat S. Justinus, assertores fuisse.

Nec amplius de hac re dubitari potest, postquam per Ecclesiam est definita. Ita enim definivit Benedictus XI. alias XII. anno 1336. in Decretali *Benedictus Deus*. Item Concilium Florentinum in literis unionis, dicens: *Animas purgatas in cœlum mox recipi*, *& intueri Deum Trinum & unum*, *sicuti est*. Idem sentit Tridentinum Sess. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum, & antea jam tradiderat Innocentius III. cap. *ad Apostolicam*. de Presbytero non baptizato.

Accedit ratio. Tum: quia anima soluta corpore, & plene purgata, statim est capax visionis, & fruitionis Dei: ergo mox ad eam admittitur, maxime, quia meritum exigit, ut merces statim conferatur, dum non est obstaculum. Tum: quia animæ impiorum statim in puncto mortis ad supplicium æternum descendunt: ergo etiam animæ Justorum, si nihil purgandum restet, in puncto mortis

ſtatim ad viſionem beatificam, tanquam prœmium aſcendunt; non enim Deus pronior eſt ad inferendum ſupplicium, quam concedendum prœmium.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

297 Objic. 1. Electi in extremo tantum judicio audient hæc Chriſti verba: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum:* ergo primum tunc aſſequentur regnum, & gloriam cœleſtem, & non antea. ℞. N. c. Adducta Chriſti verba vel intelliguntur de beatitudine completa etiam integraliter, quæ tam animæ, quam corporis gloriam complectitur: vel hæc verba ſignificant ſolum publicam declarationem, & confirmationem ſententiæ ſtatim poſt mortem latæ.

298 Objic. 2. Matth. c. 20. In parabola Operariorum denarius diurnus, quo ſignificatur merces bonis operibus reddenda, non ſolvitur, niſi poſt veſperam, qua ſignificatur finis mundi: ergo. ℞. Explicando parabolam, per veſperam in ea ſignificari vel diem ultimum, & mortem cujuslibet privati: vel ſi prætendas, intelligi finem mundi, denarius ſignificat mercedem completam integraliter, quæ in animæ, & corporis gloria ſimul conſiſtit. Ad hæc in parabolis non ſemper attendi debent omnes circumſtantiæ, cum ſæpe aliquæ ſint poſitæ ad ornatum duntaxat, ſed attendi debet ſcopus, ad quem proferuntur. Interea prædictam parabolam multi Patres intelligunt de vocatione gentium, quæ ſub veſperam Legis Moſaicæ venientes, receperunt fidem, & in hoc ſenſu æqualem cum Judæis, qui primi laboraverunt in vinea Domini, gratiam. Alii exponunt de judicio particulari, & de gloria, quæ tunc datur quandoque æqualis ei, qui in brevi magna charitate explevit tempora multa, qualis confertur illi, qui multis quidem vixit annis, ſed non tam fervide Deo ſervivit.

299 Objic. 3. Apoc. c. 6. v. 9. & 10. S. Joannes dicit, ſe vidiſſe *ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. - - - Et clamabant - - dicentes: usquequo Domine, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* quibus v. 11. dicitur: *ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi eorum,* &

& fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. Ex quibus deducitur, animas, quæ ſunt ſub altari, & exſpectant, donec impleatur numerus fratrum, hoc eſt, electorum omnium, nondum frui viſione Dei intuitiva: ergo.

℞. Conceſſis Textibus Negando explicationem, cui ſubſtituo hanc veriſimiliorem: Eſſe *ſubtus altare* ſignificat, expectare gloriam conſummatam & animæ, & corporis. Hoc ipſum patet ex eo, quod animæ illæ petant judicium, & vindictam ad juſtificationem, & purgationem, ut ita dicam, canonicam, toti mundo notam, quæ quidem usque ad finem mundi reſervatur; non autem eſt expectare gloriam animæ, qua jam fruuntur; unde poſt verba in objectione poſita additur: *& datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ;* ſtola autem alba ex Patrum mente ſignificat gloriam partialem, conceſſam animabus Sanctorum. Præterea clamor ille, & vindicta ſanguinis, quam poſtulant Sancti, eſt etiam ardens deſiderium, quo animæ illæ cupiunt, corpora ſua reſumere ad completam beatitudinem; completa enim, & integra non erit omni ex parte Sanctorum felicitas, niſi reſumptis poſt generalem carnis reſurrectionem corporibus, quæ perfecta felicitas differtur usque ad extremum diem judicii, donec numerus fratrum compleatur.

Objic. 4. Apocal. c. 20. v. 2. dicitur Angelus ligaſſe *Diabolum* 300
per annos mille, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni. Item: *qui non adoraverunt beſtiam - - - vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* Additur: *Hæc eſt reſurrectio prima - - - in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.* Quo textu videtur Millenariorum opinio ſuſtineri: ergo.

℞. Conceſſo textu nego inde illatam objectionem. Ut obſcuriſſimus iſte textus plenius percipiatur, adjungo hic explicationem plane inſignem, quam ex D. Auguſtino L. 20. de Civit. Dei c. 7. dat Alexander Natalis Tom. III. Hiſt. Eccleſ. Sæcul. I. Diſſert. XXVII. art. 2. ibi:

„ Mille anni, quibus Sancti cum Chriſto regnabunt, tempus „ deſignant univerſum a morte Chriſti ad usque Antichriſti adventum „ decurrens; ſeu totam Eccleſiæ per Chriſtum in terris fundatæ durationem. Millenarius namque numerus, ſolenni Scripturæ phraſi „ multitudinem maximam, atque indefinitam ſignificat, ut Pſal. 104. „ *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille ge-*

„ *nerationes.* Et Pfal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Et Job. 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Hinc S. Auguftinus l. cit. ait: „ *Mille annos pro annis omnibus hujus fæculi pofuit, ut perfecto numero notaretur ipfa temporis plenitudo.*

„ Itaque Chriftus ille magni Confilii Angelus, de cœlo defcendens, diabolum per annos mille alligavit, id eft, toto illo temporis intervallo, quod ab Ejus paffione ad finem mundi intercedit: quia nimirum ejus *poteftatem ab eis feducendis, ac poffidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit, atque frænavit,* ut exponit S. Auguftinus. „ *Et mifit illum in abyffum* (inquit S. Joannes) id eft, in corda hominum impiorum, ejiciendo ipfum ex gentium electarum finibus, in quibus antea per idololatriam regnabat. Miffus autem illuc dicitur a Chrifto, non quod ibi antea non effet, fed *quia exclufus a credentibus, plus cœpit impios poffidere. Plus namque poffidetur a Diabolo, qui non folum alienatus eft a Deo, verum etiam gratis odit fervientes Deo,* inquit S. Auguftinus. *Et claufit, & fignavit fuper eum, ut non feducat amplius Gentes,* (inquit dilectus difcipulus) id eft, compreffit ejus ferociam, ipfumque cohibuit, ne feduceret amplius gentes, *Ex quibus prædeftinata conftat Ecclefia, quas antea feductas tenebat, antequam effet Ecclefia,* inquit S. Auguftinus. *Et claufit, & fignavit* (pergit S. Joannes) *Quia occultum effe voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in fæculo ifto prorfus latet; quia & qui videtur ftare, utrum fit cafurus: & qui videtur jacere, utrum fit refurrecturus, incertum eft.* (ex S. Auguftino)

„ *Poft hæc oportet eum folvi modico tempore* (inquit S. Joannes) id eft, completo millenario, feu mundo ad finem vergente, & ultimi judicii die imminente, folvetur Diabolus, ut per Antichriftum perfecutionem excitet in Ecclefiam, Deo permittente, qualis ab initio non fuit. Modicum autem dicitur tempus, quo folvendus eft. *Nam tribus annis, & fex menfibus legitur totis fuis, fuorumque viribus fæviturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum eft, ut vinci tanto ejus impetu, infidiisque non poffint. Si autem nunquam folveretur, minus appareret maligna ejus potentia, minus fanctæ civitatis fideliffima patientia probaretur, minus denique perfpiceretur, quam magno ejus malo tam bene fuerit ufus omnipotens Deus, qui eum nec omnino abftulit a tentatione Sanctorum, quamvis ab eorum interioribus omnibus,*

„ ubi

„ ubi in Deum creditur, foras missum: ut forinsecus ejus oppugnatione „ proficerent: & in eis, qui sunt ex parte ipsius, alligavit: ne quantam posset effundendo, & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos, „ ex quibus Ecclesiam multiplicari, & impleri oportebat, alios credituros, alios jam credentes, fide pietatis hos deterreret, hos frangeret. „ Et solvetur in fine, ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui Redemptoris, Adjutoris, Liberatoris aspiciat. Ita S. Augustinus L. 20. de Civit. Dei cap. 8.

„ Ait autem S. Joannes, Sanctos, qui judiciariæ potestatis honore a Christo exornati sunt, & Martyrum præcipue animas, qui „ non adoraverunt bestiam, id est, Antichristo non cesserunt, aut infidelium, impiorumque populo consensere, nec acceperunt inscriptionem bestiæ, *Notam scilicet criminis, in fronte, propter possessionem; in manu, propter operationem* (ut ait S. Augustinus) regnasse cum Christo mille annis: id est, intra illud temporis intervallum, quod judicium ultimum præcedet. Regnant autem cum Christo, non in regno terreno, sed spiritali, scilicet in Ecclesia, quæ regnum cœlorum dicitur. *Regnant*, inquam, *cum illo, qui eo modo sunt in regno ejus, ut sint etiam ipsi regnum ejus.*

„ Quod autem addit S. Joannes, *Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*, ad reprobos spectat, qui eo tempore non vixerunt in Christo, quo vivere debuerunt, de morte peccati ad vitam gratiæ transeundo. Hæc resurrectio prima est, id est, resurrectio animæ. Beatus, qui ejus est particeps. In hoc secunda mors, quæ est æterna damnatio, non habet potestatem. Ille autem particeps est primæ resurrectionis, *Qui non solum a morte, quæ in peccatis est, revivi[s]cit, verum etiam in eo, quod revixerit, remanebit* (inquit S. Augustinus c. 9. L. 20. de Civit. Dei.)

„ Denique quod addit S. Joannes: *Sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi*, non significat, Sanctos ministeria Sacerdotum legalium obituros, offerendo sacrificia & victimas secundum legem Mosaicam; „ sed innuit, ipsos fore intimos Dei amicos, divinorum conscios arcanorum, regnique cœlestis Principes. Sæpissime enim in Scriptura „ sacra nomen Sacerdotis, nomen est dignitatis, & honoris in aulis „ Principum, ut cum 2. Reg. 10. dicitur: *Ira autem Jairites, erat Sacerdos David*: id est (ut vertit Paraphrastes Chaldæus) *Princeps Davidi*. Et c. 8. ejusdem libri dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*; id est, ut vertunt LXX. *Aulæ Principes*. Quam versionem

„ juvat locus ex 1. Paralipomen. c. 17. in Vulgata noſtra: *Porro Fi-*
„ *lii David primi ad manum Regis.* Vel, Sancti vocantur *Sacerdo-*
„ *tes*, quod juge laudis, & gratiarum actionis ſacrificium Deo, & Chri-
„ ſto offerant. Vel denique Sacerdotes dicuntur, quia *Membra ſunt*
„ *unius Sacerdotis. De quibus Apoſtolus Petrus: Plebs*, inquit, *ſan-*
„ *cta regale Sacerdotium.* Sic exponit S. Auguſtinus L. 20. de Civit.
„ Dei c. 10. Igitur citatum Apocalypſis oraculum, Cerinthi, & Mille-
„ nariorum errori nullatenus ſuffragatur. „

Doctrinam itaque D. Auguſtini liceat paucis complecti: Per mille annos, quibus ligatus eſt Sathanas, ſeu ejus reſtricta poteſtas in Chriſti vere fideles, & Ei fideliter ſervientes, intelligitur totum tempus a Chriſto usque ad adventum Antichriſti. Ratio hujus eſt: quia, ut dictum eſt, phraſi S. Scripturæ per numerum millenarium, intelligitur numerus magnus indefinitus. Sic dicitur etiam Eccli 16. v. 3. *Melior eſt enim unus timens Deum, quam mille filii impii*, hoc eſt, quam plurimi. Et Pſal. 104. v. 8. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, quod mandavit in mille generationes*, id eſt, innumeras. Proinde a primo adventu Chriſti usque ad ſecundum in extremo judicio, tempore hoc ſat longo Sancti ſecundum animam regnabunt cum Chriſto in cœlis per gloriam eſſentialem. Per primam vero reſurrectionem ſignificatur beatitudo animæ a corpore ſeparatæ ante judicium generale: mille vero poſteriores anni deſignant æternitatem futuram poſt ultimum generalis judicii diem, poſt quem Prædeſtinati completa, & perfecta beatitudine, ſeu animæ & corporis gloria in æternum perfruentur; nam æternitas in S. Scriptura interdum diuturno tempore deſignatur, & vox, *mille anni*, in Prophetico ſenſu longiſſimam, proin etiam æternam durationem ſignificat, ut advertunt Scripturiſtæ. Videatur de hoc Tirinus in caput 20. Apocal. v. 3. & 5. Sic etiam per mortem primam reproborum intelligitur condemnatio animæ in inferno: mors eorum ſecunda eſt damnatio animæ & corporis in generali judicio futura.

Dices: Regnum illud Chriſti, de quo vaticinatus eſt S. Joannes in Apocalypſi c. 20. ſequetur primum judicium generale, & tunc primum juſti regnabunt cum Chriſto mille annis; dicitur enim v. 4. *Vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt:* ergo. Rſ. N. a. Illa enim verba minime debent accipi de extremo generali judicio, ſed ita in ſenſu Catholico exponi petunt: Vidi ſedes ſplendidas, ſuper quas ſederunt ut judices animæ decollatorum, aut alio mortis genere per Tyran-

Tyrannos extinctorum Martyrum, incipiendo ab Apostolis, & Discipulis Christi, usque ad ultimos Heroes, qui per Antichristum occidentur. Horum enim omnium animae, licet in terris despectae, & quasi una cum corporibus sepultae, & oblivioni traditae sint, coram Deo tamen *vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis:* non in antris otiosae, vel dormientes delituerunt, sed palam in conspectu totius coelestis curiae jam inde a martyrio suo *sederunt* in throno, & una cum Christo regnarunt, & Ecclesiae militanti praefuerunt annis istis mille, seu toto isto tempore, quod a morte Christi effluxit usque ad Antichristum, & regnabunt adhuc usque ad finem mundi. Ita Tirinus cum aliis Expositoribus.

Objic. 5. S. Paulus Hebrae. 11. v. 13. & 16. *Juxta fidem defuncti sunt omnes* (Sancti veteris Testamenti) *non acceptis repromissionibus. - - - Nunc autem meliorem appetunt* (Patriam) *id est, coelestem.* ergo Sancti veteris Testamenti non nisi post generalem carnis resurrectionem Deum intuitive visuri sunt in coelo. ℟. N. c. Sancti V. T. repromissiones, factas de aeterna per visionem Dei felicitate, ante Christum quidem non sunt consecuti; quia nemini coelum patuit, nisi post descensum Christi ad inferos, ubi *captivam duxit captivitatem.* Dum autem Apostolus dicit, eos meliorem *nunc* appetere Patriam, *nunc* non significat tempus, quo Apostolus loquebatur, sed locum tenet particulae adversativae *sed*, ut sensum faciat, animas illas ante ascensum Christi in coelum, repromissiones sibi factas, non obtinuisse, *sed* eas expectasse, quas post adventum Christi Liberatoris sunt adepti. Ita Gallus Cartier. 301

Objic. 6. Nostra sententia est contraria Traditioni Veterum, quorum multi cum Justino, Irenaeo, Tertulliano, & Papia Millenariorum opinioni adhaeserunt: imo & S. Bernardus Saeculi duodecimi Scriptor docet Serm. 3. de omnibus Sanctis. animas Justorum, sine labe ex hac vita decedentium, aeterna Dei visione ante corporum resurrectionem in extremo judicio non fruituras: ergo. 302

℟. N. a. Fuit omnium saeculorum Traditio, animas, quibus nihil est amplius expiandum, simul ac corpore solutae sunt, in coelum admitti, ibique intuitiva Dei visione perfrui, quamvis nonnulli ex antiquis contrarium senserint. Sic etiam semper creditum est in Ecclesia, ratum esse baptismum, collatum ab haereticis debita forma, licet S. Cyprianus, & Firmilianus, Tertullianus, & plures Episcopi eum reprobarint, veritate necdum eliquata, ut loquitur S. Augustinus. Vigebat ergo

ergo jam olim in Ecclefia Dei veritas adverfus errorem Millenariorum, quamvis necdum plene fuiffet eliquata, & definita. Unde multi absque culpa, & hærefis vitio errare potuerunt; error enim ex ignorantia, & humana infirmitate nafcitur: hærefis vero ex animi pertinacia, qua quis veritati definitæ reclamat. Aft nunc, ubi Ecclefia in Conciliis Lugdunenfi II. Florentino, & Tridentino, ac in Bulla Benedicti XI. vel XII. definivit, animas Sanctorum, quibus nihil luendum reftat, ftatim ac corporibus funt folutæ, frui vifione Dei intuitiva, citra hærefis labem nemo contrariam fententiam afferere, vel tueri poteft.

303 Neque multa difficultas videtur effe in conciliandis cum Catholico dogmate SS. Patribus, qui videntur paulo durius, aut obfcurius in hac re effe locuti. Nam cenfeo, eorum mentem fuiffe, completam ex omni parte, nempe animæ & corporis, non fore felicitatem hominis, nifi poft refurrectionem, ob illud, quo anima tenetur, naturale defiderium refumendi corpus fuum, & fimul cum eo fruendi plena laborum mercede, prout exponi pofcit S. Bernardus Serm. 2. & 3. in fefto OO. SS. Et recte ait Habert: S. Bernardus obfcurius locutus eft, & bene intelligi poteft de gloria confummata, & omnimodo perfecta, quæ habetur tantum poft refurrectionem.

S. Hilarius in Pfal. 138. dicens: *Humana ifta lex neceffitatis, ut fepultis corporibus, ad inferos animæ defcendant,* videtur loqui de animabus Juftorum ante Chrifti refurrectionem. Et aperte eft in noftra fententia; dicit enim in Pfal. 64. n. 5. de Juftis: *Beati funt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi funt.* in Pfal. 14. n. 5. ait: *Sanctos in fublimitate Domini cum Angelorum choris requiefcere.*

Neque S. Ambrofius in contraria fuit fententia, imo expreffe pro noftra pugnat L. 7. Epift. 59. ad Theff. & Libro de bono mortis c. 7. & licet ibi non exprimat nomen vifionis beatificæ, rem tamen fatis declarat.

Etiam a noftris partibus ftat S. Chryfoftomus. Præter alios textus hunc unum feligo Homil. 32. in Epift. ad Rom. poftquam dixit, Paulum cum Angelis affiftere ante thronum Dei, addit: *Non folum admiremur ipfum, fed & imitemur, ut mereamur & hinc migrantes Deum ipfum videre, & ineffabilis Ipfius gloriæ participes effe.* Si forte alicubi, ut Homil. 18. in Epift. ad Hebræ. loqui videatur contra nos, tantum loquitur

tur de gloria adæquata, quæ primum poſt reſurrectionem, & judicium univerſale obtinetur.

S. Auguſtinus omnino in noſtra eſt ſententia: etenim in Pſal. 116. explanans illa verba: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* ait: *ibi omnes Juſti, & Sancti, qui fruuntur Verbo Dei ſine lectione, ſine literis; quod enim nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.* Et quamvis primo impegerit in errorem Millenariorum, illum tamen poſtea, re magis deliberata revocavit L. 1. Retract. c. 14. & L. 20. de Civit. c. 7.

Quid de Joanne XXII. in hac materia cenſendum ſit, fuſe dixi Tom. I. de Prolegomenis. n. 184.

Articulus III.

Quomodo Beati videant Deum?

§. I.

An Beati Deum videant de facto per ſpeciem impreſſam?

Nota 1. Omnem cognitionem procedere a potentia, & objecto. po- 304
tentia quidem, v. g. intellectus, immediate, ac per ſe ipſam concurrit ad cognitionem: objectum vero influit in eam, vel per ſe ipſum immediate, vel mediate per ſpeciem impreſſam, ſui vicariam. Et ideo quæritur, an ad viſionem beatificam Deus, tanquam objectum, immediate per ſe ipſum concurrat cum intellectu Beati, vel an concurrat mediate per ſpeciem impreſſam?

Nota 2. Nomine ſpeciei impreſſæ in propoſito intelligi qualitatem intentionalem virtualiter, ſeu in actu primo repræſentativam Dei, quæ per ſe eſt ordinata ad influendum in viſionem beatificam, influxu objectivo vice ipſius Dei, tanquam objecti, ea fere ratione, qua ſpecies intelligibilis parietis eſt ordinata per ſe ad cognoſcendum parietem.

Nota 3. Viſionem beatificam eſſe ſpeciem expreſſam Dei: quia eſt actualis, & formalis objecti repræſentatio, & ejus formalis ſimilitudo, intentionalis tamen. Et hinc, ut in Phyſica dici ſolet, intelligens

fit intentionaliter fimilis objecto cognito. Sic etiam Beati videntes, & cognofcentes Deum, intentionaliter affimilantur Deo, juxta illud 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, ficuti eft.* Unde etiam eft illud D. Auguftini l. 14. de Trinitate c. 27. *In hac imagine tunc perfecta erit Dei fimilitudo, quando perfecta erit Dei vifio.* H. N.

305 Affero: Beati vident defacto Deum immediate fine fpecie impreffa. P. 1. Species impreffa requiritur tantum ad vifionem intellectivam, 1mo quando objectum vel in fe non exiftit, aut eft abfens. 2do Quando objectum eft materiale, & improportionatum potentiæ intellectivæ, adeoque per fe non immediate intelligibile. 3tio. Quando intellectus adhuc eft indifferens ad plura intelligenda, & deberet determinari ad hoc objectum præ alio intelligendum: atqui ex nullo capite iftorum requiritur fpecies impreffa: ergo non requiritur. m. p. 1mo enim Effentia divina eft præfentiffima cuivis intellectui: ergo non requiritur fpecies illa ad fupplendum defectum præfentiæ, vel exiftentiæ objecti. 2do. Deus ex fe eft fpiritualis, & fumme intelligibilis, ac fatis intellectus proportionatur Deo, & cognofcibilitati ejus fupernaturali per lumen gloriæ, quod intellectum fupernaturalizat, & quafi divinizat, ut nofter Henno loquitur: ergo etiam fine fpecie impreffa Deus eft fatis proportionatus, ut videri poffit ab intellectu Beati. 3tio. Per ipfam intimam præfentiam fuam, & per voluntariam, ac liberam manifeftationem fui Deus intellectum fatis determinat fine omni fpecie impreffa ad vifionem beatificam: ergo ex nullo capite requiritur ejusmodi fpecies. Proinde ejusmodi fpecies fuperflue poneretur in Beato: atqui Deus non folet aliquid fuperfluum facere: ergo.

Ex hoc habes, quod Deus duplici titulo concurrat effective, immediate ad vifionem beatificam: 1mo. Ut Caufa prima, & univerfalis, concurrens ad actus omnes creaturarum. 2do. Concurrit influxu particulari tanquam objectum vifionis beatificæ.

Neque dicas, vifionem beatificam connaturalius fieri per fpeciem impreffam, quam fine illa; hoc enim non videtur effe verum. Nam fi objectum eft debite præfens, tunc magis connaturale eft, ut illud in cognitionem influat concurfu objectivo per fe ipfum, quam per fpeciem fui vicariam. Sic etiam fubftantia Angeli per fe ipfam influit in cognitionem illam, qua Angelus fe ipfum intuitive cognofcit. Quare equidem connaturalius eft potentiæ, compleri per intrinfecum aliquid,

quando illud se tenet ex parte potentiæ, non tamen quando se tenet ex parte objecti; tunc enim objectum, si præsens sit, connaturaliter influit per se ipsum.

Denique, quando D. Paulus dicit 2 Corinth. 5. *ambulamus per fidem, non per speciem:* tunc per speciem intelligit claram visionem Dei, non vero speciem impressam.

Objic. Si Deus per essentiam suam in ratione objecti immediate 306
concurrit ad visionem beatificam, tunc necessario concurrit; atqui hoc est falsum; quia omnis actio Dei ad extra est libera: ergo. M. p. quia Essentia, ut præcise essentia est, antecedit liberam determinationem voluntatis divinæ. ℞. D. M. tunc necessario concurrit, si essentia divina concurreret, & se manifestaret intellectui Beati ante determinationem, & volitionem voluntatis divinæ c. M. secus n. M. Deus est speculum voluntarium, & se nulli manifestat, nisi libere volens: ergo semper libera volitio, & determinatio Dei præsupponitur tali manifestationi, & concursui objectivo.

§. II.

An saltem sit possibilis ejusmodi species impressa?

Assero, & ℞. affirmative. Colligitur ex Scoto 2. d. 3. q. 9. n. 7. 307
& 10. Ita sentiunt communiter SSæ ac plerique alii contra TTas. P. 1. Quia nulla apparet implicantia, quin Deus possit in intellectu creato producere aliquam speciem impressam, suæ Essentiæ repræsentativam: ergo. Ant. patebit ex solut. Objectionum.

P. 2. Species hæc, si sit possibilis, commendat perfectionem Dei in ratione objecti beatifici: eoquod Ipse influxum objectivum non possit solum per se ipsum immediate exercere, sed etiam mediate, liberaliter assumendo speciem intelligibilem pro suo beneplacito; sicut & inde commendatur perfectio Dei, ut causæ primæ, quod effectus causarum secundarum non solum se ipso solo, sed & una cum causis secundis producere possit, earum influxum admittendo liberaliter.

P. 3. Non repugnat species expressa Dei, scilicet ipsa visio beatifica, quæ de facto in Beatis datur: ergo neque repugnat species impressa.

308 Reſpondebis 1. cum TT. Viſionem beatificam non eſſe ſpeciem expreſſam. Contra eſt 1mo. Omnis intellectio eſt ſpecies expreſſa, & ſimilitudo, ac imago intentionalis objecti ; atqui viſio beatifica eſt intellectio; eſt enim actus intellectus: ergo. M. patet; quia intelligere nil aliud eſt, quam exprimere vitaliter objectum, & ejus intentionalem imaginem efformare. 2. Textus ſupra §. præc. n. 304. citati ex D. Joanne, & Auguſtino fatentur, viſionem eſſe quamdam intentionalem imaginem, ſeu ſpeciem expreſſam Dei: ergo.

Dices: Tunc ſolum producitur imago rei cognitæ, & ſpecies expreſſa, quando res cognita per ſe non eſt præſens intellectui; nam cum per ſe eſt præſens, non eſt neceſſaria ejus ſimilitudo, & imago formalis, quæ rem cognitam repræſentet: ſed in viſione beatifica præſens eſt Eſſentia divina, quæ eſt res cognita: ergo tunc non eſt neceſſaria ulla ſpecies expreſſa. ℞. N. M. nam ſola præſentia objecti non ſufficit ad cognitionem ejus, ſed requiritur inſuper actus intellectus, repræſentans intentionaliter objectum, & in illud tendens: atqui talis actus eſt ſpecies expreſſa objecti: ergo.

Dices 2. Ad viſionem objecti intellectualem non requiritur ſpecies impreſſa, ſi objectum eſt præſens in ſe, ut colligitur ex §. 1mo hujus Articuli: ergo neque ad viſionem talem eſt neceſſaria ſpecies expreſſa. ℞. N. c. & parit. nam ſpecies impreſſa ſolum eſt neceſſaria ad ſupplendam abſentiam, vel influxum objecti: unde ſi ipſum objectum eſt præſens, & influit in viſionem, non requiritur aliqua ſpecies impreſſa. Aſt ſpecies expreſſa non ideo exigitur, ut ſuppleat influxum, vel locum objecti, ſed ut per illam formaliter, & vitaliter videatur ipſum objectum: ergo etiam præſente, & influente objecto requiritur. imo ſpecies expreſſa eſt ipſa viſio: ſed viſio etiam præſente, & influente objecto requiritur, ut videatur objectum beatificum, ſeu Deus: ergo.

309 Reſpondent alii 2do. Eſſe diſparitatem inter ſpeciem impreſſam, & expreſſam; etenim ſpecies impreſſa debet eſſe immaterialior, quam ſit objectum, cum ſuppleat vicem objecti: atqui ſpecies nulla poteſt eſſe immaterialior quam Eſſentia divina; ergo nulla poteſt eſſe ſpecies impreſſa, repræſentativa Eſſentiæ divinæ. Tale abſurdum juxta ipſos non ſequitur ex admiſſa ſpecie expreſſa, utpote quæ non ſupplet vicem objecti.

Contra

Contra eſt 1mo. Gratis dicitur, quod ſpecies impreſſa objecti immaterialis debeat eſſe immaterialior, quam ſuum objectum. Certe ſpecies impreſſa repræſentativa Angeli, non debet eſſe immaterialior Angelo, quem virtualiter repræſentat. 2do. Tunc ſolum ſpecies debet eſſe immaterialior, quam objectum, ſi hoc eſt materiale, & improportionatum intellectui, ubi ſpecies ideo requiritur, ut objectum materiale reddatur proportionatum per ſpeciem intelligibilem ſpiritualem intellectui ſpirituali. Aſt hoc non requiritur, quando ſpecies illa adeſt ex alio titulo.

Reſpondebis 3tio. Talis ſpecies impreſſa, ſi daretur, foret infinita, quia immediate a ſolo Deo produceretur, & ſic non haberet cauſam limitatam, a qua limitaretur: aſt ſpecies expreſſa, quia effective & immediate non a ſolo Deo, ſed & ab intellectu creato, & lumine gloriæ, tanquam cauſis finitis producitur, ab his etiam, ne infinita ſit, limitatur. 310

Contra eſt: Angeli a ſolo Deo immediate ſunt producti, & tamen ſunt limitati, & finiti: ergo a pari, etiamſi ſpecies impreſſa a ſolo Deo produceretur, tamen foret limitata, & finita, quia foret creatura. 2do. Deus eſt objectum liberum, & ſpeculum voluntarium, & videtur tantum, quando, & quomodo vult: ergo etiam poteſt emittere ſpeciem ſui impreſſam, quando vult, & quomodo vult, eamque pro libitu limitare in eſſendo, & repræſentando; adeoque ejusmodi ſpecies non debet eſſe infinita. Atque in hoc differt Deus ab aliis objectis, quæ ſuas ſpecies non libere, ſed neceſſario emittunt.

Dices 1. Species impreſſa debet eſſe in eodem genere immaterialitatis, in quo eſt objectum: atqui Deus eſt objectum infinitum in ratione immaterialitatis: ergo & ſpecies impreſſa Dei debet eſſe infinita in ratione immaterialitatis. M. patet: quia ſpecies impreſſa eſt actus ſecundus intelligibilitatis objecti: ergo debet eſſe in eodem genere intelligibilitatis, in quo eſt actus primus, ſeu objectum.

℟. 1. Dando inſtantiam de ſpecie expreſſa, quæ non debet eſſe in eodem genere immaterialitatis, in quo eſt objectum, ſeu Deus. ℟. 2. D. M. Species, quæ connaturaliter promanat ab objecto c. M. ſpecies libere a Deo aſſumpta n. M. Nam ſpecies, quæ connaturaliter ab ipſo objecto emittitur, ſeſe accommodat objecto; hinc ab objecto materiali ſolum emittitur ſpecies materialis, non vero ſpiritualis. Aſt contra ſpecies, quæ a Deo libere producitur, ſe ſe ac-

 commo-

commodat beneplacito Dei producentis, non vero objecto, ad quod repræsentandum ordinatur.

Dices 2. Angelus nequit intelligi per speciem materialem; quia species impressa, & objectum debent esse in eodem ordine: ergo objectum immateriale, & species ejus debent esse in eodem ordine immaterialitatis.

℟. 1. Retorq. Argument. Angelus nequit intelligi per speciem expressam materialem: ergo etiam species expressa, sicut impressa, debet esse in eodem ordine immaterialitatis. ℟. 2. N. a. Ratio, cur Angelus nequeat cognosci per speciem materialem, est: quia species materialis non est proportionata intellectui cognoscenti Angelum. ideo etiam ab intellectu nequit cognosci per speciem materialem, sed debet adesse species intelligibilis spiritualis, ut docetur in Philosophia.

Porro sic insto contra AArios. Quamvis Deus ab intellectu creato non possit cognosci per speciem expressam materialem, potest tamen cognosci per speciem expressam finitam: ergo etiamsi Deus non possit cognosci per speciem impressam materialem, potest tamen cognosci per speciem impressam finitam.

Dices 3. Speciem impressam esse perfectionem objecti, expressam vero esse perfectionem potentiæ: ergo species impressa repræsentativa Dei, erit illimitata sicut Deus, non vero species expressa, sed hæc erit limitata, sicut potentia intellectiva creata, cujus est perfectio.

℟. D. a. Est perfectio objecti, quatenus loco objecti influit in visionem c. a. est perfectio objecti, quatenus omnem gradum perfectionis objecti participat n. a. & c.

311 Respondebis 4to. Species impressa esset causa effectiva beatitudinis, & visionis; ast hoc est falsum, quod aliqua creatura possit esse causa effectiva nostræ beatitudinis: hoc autem non sequitur ex specie expressa, quæ est formalis beatitudo, non vero causa efficiens ejusdem.

Contra est: Quamvis intellectus, & lumen gloriæ creaturæ sint, tamen effective influunt in beatitudinem: ergo etiam talis species, etiamsi esset creatura, posset effective influere in beatitudinem.

§. III.

§. III.

Solvuntur Objectiones reliquæ.

Objic. 1. Species impressa argueret imperfectionem in Deo: 312
ergo non est possibilis in Deo. a. p. argueret enim insufficientiam Dei ad præstandum concursum objectivum in ordine ad visionem beatificam: ergo. ℟. N. a. utrumque; talis species enim non ex necessitate, & indigentia a Deo assumeretur, sed ex mera liberalitate, & abundantia perfectionis, vi cujus vel ipse per se, vel pro suo beneplacito per speciem impressam potest concursum objectivum præstare ad visionem beatificam.

Objic. 2. Speciei impressæ munus est, vel supplere insufficientiam objecti, vel ejus absentiam, & improportionem: atqui tale munus non potest competere speciei impressæ, concurrenti ad visionem beatificam; nam Deus ipse, tanquam infinitus, est sufficiens per se ad concurrendum objective, & simul est spiritualis, & præsentissimus intellectui &c. ergo. ℟. N. M. nam munus speciei impressæ in genere est, supplere vices objecti, non præstantis concursum objectivum, saltem adæquatum, abstrahendo a sufficientia, vel insufficientia, proportione, vel improportione &c. objecti. ℟. 2. D. M. speciei impressæ in genere c. M. speciei impressæ in specie, nempe illius, quæ a creato objecto necessario, & naturaliter promanat, non autem libere a Deo producitur, & sine necessitate ad objectum aliquod repræsentandum assumitur n. M. & c.

Objic. 3. Saltem talis species esset inutilis, quia sine illa posset dari visio beatifica per concursum immediatum ipsius Essentiæ, ut nos ipsi fatemur: ergo. ℟. 1. Retorq. Argum. Etiam sine aliquo igne causante, & concurrente posset solus Deus producere alium ignem, & tamen influxus, & causalitas, quam ignis erga ignem exercet, non est penitus inutilis. ℟. 2. N. a. Serviret etiam ejusmodi species ad ostendendam extraordinariam potentiam, & abundantiam perfectionis Dei, qua non solum per se ipsum immediate, sed & mediate per speciem pro libitu suo posset objective ad visionem beatificam influere.

Objic. 4. Etiam data specie impressa deberet adhuc Deus in ratione objecti influere in visionem beatificam: ergo penitus foret superflua ejusmodi species. ℟. 1. Retorq. Argum. Etiam influentibus causis

causis secundis, & agentibus, debet Deus simul tanquam causa universalis, & prima coagere: & tamen influxus talium causarum secundarum non est inutilis, & penitus superfluus, quia saltem, dum Deus cum causis secundis agit, non debet tantum, & tam fortem concursum exercere, quantum exerceret, si ipse solus effectum produceret. Quare

R. 2. Tr. a. n. c. Quia saltem, si coagit species, Essentia non deberet tantum concursum objectivum præstare, quantum exhiberet, si sola sine specie influeret. Respondent alii 3tio N. a. Nam quamvis creatura, tanquam causa particularis non possit agere, nisi Deus per omnipotentiam suam coagat ut causa universalis efficiens, tamen posset ejusmodi species in ratione objecti, & loco Essentiæ sola concurrere, non concurrente immediate Essentia; tum, quia Essentia, in ratione objecti concurrens ad hanc visionem, non agit ut causa universalis, sed particularis: tum, quia licet Essentia immediate non influat, tamen sic immediate adhuc influit omnipotentia Dei in visionem beatificam, proinde hæc adhuc satis subordinatur dominio Dei.

Objic. 5. Inter speciem impressam, & objectum debet dari similitudo: sed inter Deum, & speciem intelligibilem creatam non potest dari similitudo: ergo. R. 1. Retorq. Argum. in speciem expressam, quæ major, & formalis debet esse similitudo objecti. R. 2. D. M. Debet dari similitudo entitativa n. M. intentionalis, & repræsentativa c. M. Sed hæc non implicat; quia etiam species expressa, seu visio beatifica, est similitudo intentionalis, & quidem formalis Dei.

Objic. 6. Ex nostra sententia sequeretur, quod posset dari perfectior similitudo Dei, quam esset homo, vel Angelus: atqui sequela est contra doctrinam Patrum: ergo M. patet; quia ejusmodi species magis duceret in cognitionem Dei, quam homo, vel Angelus. R. 1. Retorq. Argum. in speciem expressam. R. 2. D. M. Sicut prius: perfectior similitudo intentionalis c. M. entitativa n. M.

Objic. 7. Juxta Scotum nequit dari in Angelis species, infinita objecta repræsentans; quia esset infinitæ repræsentativitatis: ergo etiam nequit dari species repræsentans Deum, tanquam objectum infinitum, & infinita objecta possibilia, & creabilia in se saltem eminenter continens. R. N. c. Quia talis species repræsentativa Dei repræsentaret quidem infinitum objectum, sed non modo infinito; quia non

non exhauriret, nec adæquaret omnem cognoſcibilitatem Dei, ut ſuo loco dicetur.

Adde, ejusmodi ſpeciem tantum fore repræſentativam Eſſentiæ divinæ, & eorum, quæ formaliter in Deo ſunt: non autem omnium illorum, quæ in Deo tantum eminenter, vel virtualiter continentur. Conſequenter non repræſentarentur per eam omnia entia poſſibilia.

Objic. 8. Ex noſtra ſententia ſequeretur, quod Angelus poſſet naturaliter Deum videre; poſſet enim in intellectu alterius Beati videre ſpeciem repræſentantem Deum: atqui ſequela eſt abſurda: ergo. ℟. 1. Retorq. Argum. in ſpeciem expreſſam, & ipſam viſionem beatificam, de qua eadem objectio fieri poteſt. ℟. 2. N. M. Eſto enim, ſpecies impreſſa, vel expreſſa in Beato naturaliter videri poſſit ab aliquo Angelo, tamen is non videret naturaliter Deum, ſaltem clare, & intuitive. Ratio eſt: quia talis ſpecies tantum repræſentat Deum ut quo, & non ut quod: ſeu, eſt tantum medium cognoſcendi Deum, & quidem ſolum reſpectu illius intellectus, quem informat. De hac objectione plura in Tractatu de Angelis.

Objic. 9. Non poteſt Deus producere qualitatem, qua reddatur ſapiens, etiam accidentaliter: ergo neque poteſt producere qualitatem, qua reddatur accidentaliter intelligibilis. ℟. N. c. & paritatem. Denominatio ſapientis poteſt tantum oriri a forma intrinſece inexiſtente ſubjecto, quod dicitur ſapiens; nemo enim dicitur ſapiens ex eo, quod ſapientia ſit in alio; atqui Deus non poteſt in ſe producere aliquam formam accidentalem, per quam dicatur ſapiens: ergo. Verum, ut dicatur Deus intelligibilis accidentaliter, non debet aliquid in ſe recipere, ſed ſufficit, quod producat ſpeciem intelligibilem in intellectu creato, per quam hic determinetur ad viſionem beatificam, & intellectionem Dei.

Quæres: An talis cognitio, & viſio beatifica, quæ daretur per 313
ſpeciem impreſſam, eſſet intuitiva, vel abſtractiva? ℟. Quamvis talis cognitio eſſet clara, & diſtincta, tamen ea foret abſtractiva. Ratio eſt: quia non dependeret ab objecto ut præſente, & exiſtente, eo ipſo, quod dependeret a ſpecie objecti vicaria, & intelligibili, quæ ex ſua natura exiſtere, & eſſe poteſt etiam abſente objecto.

Nec obeſt 1mo. Quod per ejusmodi ſpeciem cognoſceretur, & videretur Deus ut exiſtens: etenim ad viſionem intuitivam non ſufficit cognitio ſolius exiſtentiæ objecti; quia & nos in via cognoſcimus exi-

existentiam Dei, & tamen non habemus cognitionem intuitivam Dei: sed insuper requiritur, ut cognitio talis dependeat ab objecto ut existente, & præsente.

Neque obest 2do. Deum esse præsentissimum, & existentem necessario, etiam tunc, cum ejus species influeret in visionem; nam non sufficit sola præsentia, & existentia objecti, sed ab hoc debet dependere visio, vel saltem species impressa, per quam fit visio: Ast species intelligibilis ex sua natura non dependet ab existentia, & præsentia objecti. Sic nos habemus species intelligibiles de pluribus objectis, quæ jam præterierunt, vel saltem sunt absentia. Quod autem Deus sit ubique præsens, & existens, esset quasi per accidens ad talem speciem impressam intelligibilem, neque ad eam per se requiritur.

Dissertatio II.

DE CAUSA VISIONIS BEATIFICÆ.

Articulus. I.

An Intellectus creatus indigeat lumine gloriæ ad videndum Deum, & in quo hoc Lumen consistat?

§. I.

Resolvitur prima pars Articuli.

314 Ex Philosophia constat, quod ad omnem intellectionem creatam, consequenter etiam ad visionem beatificam, debeant duo effective concurrere, nempe intellectus, & objectum intelligibile: Et quidem objectum vel per se, si præsens sit, & actu intelligibile, vel per speciem vicariam, si illud absens sit, aut actu non intelligibile. Hactenus dictum est, quod ad visionem beatificam ex parte objecti non exigatur species intelligibilis, sed sufficiat ipsa Essentia divina, quæ per modum objecti libere, & gratuito concurrit ad sui visionem eliciendam. Nunc quæritur, an ex parte intellectus requiratur aliquod auxilium supernaturale, quod intellectum elevet, & adjuvet ad eliciea-

ciendam eandem visionem; an vero intellectus creatus ex sua parte, & ex suis viribus naturalibus sufficiens sit, modo ex parte objecti non sit defectus? Pecanus p. 1. c. 9. q. 3. *de visione Dei* ait, Durandum asseruisse, quod Deus ablato impedimento sensuum, in altera vita immediate manifestetur intellectui creato, & ideo ab eo immediate videri possit sine ullo auxilio supernaturali. Contra quem

Assero: Ad claram, & intuitivam Dei visionem requiritur au- 315
xilium supernaturale, quod intellectum juvet, & compleat in ratione principii activi in ordine ad Essentiam divinam videndam. Communis.

P. Ad actum fidei supernaturalem non sufficit solum, objectum fidei per revelationem esse debite propositum, sed requiritur insuper aliquod auxilium supernaturale, se tenens ex parte potentiæ intellectivæ. Idem est de actu charitatis supernaturali respectu potentiæ volitivæ: ergo etiam ad actum visionis beatificæ non requiritur solum, objectum beatificum esse clare manifestatum nostro intellectui, sed & intellectus ipse ex parte sua debet insuper novo supernaturali auxilio corroborari, & in ratione principii activi, & effectivi compleri in ordine ad Deum clare, & beatifice videndum.

Objic. 1. Sufficit concursus supernaturalis objecti beatifici ad 316
visionem Dei supernaturalem: ergo superfluit aliud auxilium supernaturale ex parte potentiæ intellectivæ. ℞. 1. Invertendo Argum. Non sufficit concursus objectivus in ordine ad actum fidei, vel spei, aut charitatis supernaturalem eliciendum: ergo neque sufficit ad visionem beatificam, & quidem a fortiori; quia actus visionis est nobilissimus, clarissimus, actus vero fidei est obscurus, & multo inferior visione beatifica.

℞. 2. D. a. Sufficit concursus objectivus supernaturalis objecti, quantum est ex parte objecti c. a. quantum est ex parte potentiæ intellectivæ, quæ etiam stante concursu supernaturali objectivo, in ratione potentiæ est adhuc improportionata, & insufficiens ad visionem beatificam n. a. &c. Sicut oculus debilis, sine alio auxilio confortante superaddito, non potest clare, & debite videre solem meridianum, etsi hic in ratione objecti sufficienter determinet oculum; ita etiam intellectus noster non potest clare, beatifice videre Deum sine alio auxilio supernaturali elevante, & confortante ipsum intellectum, quamvis hic in ratione objecti fuerit determinatus ab Essentia divina.

Ex hoc habes, nec speciem impressam, qua talem, sufficere sine alio auxilio supernaturali. Ratio est: quia & species impressa Essentiæ divinæ, quamvis sit supernaturalis, tamen se solum tenet ex parte objecti, & hujus concursum solum supplet, non vero complet ipsam potentiam intellectivam, quæ tamen in ratione potentiæ est incompleta, & compleri debet.

317 Objic. 2. Authoritatem Scoti, qui in variis locis videtur docere, non requiri ejusmodi auxilium supernaturale, vel lumen gloriæ ad visionem beatificam. ℟. Scotum in illis locis tantum velle, quod non requiratur lumen gloriæ tanquam dispositio ad recipiendam visionem in intellectu, neque ad hoc, ut objectum beatificum reddatur clare visibile: vel ait, *de potentia absoluta*, & extraordinaria non requiri illam qualitatem elevantem, quam nos communiter vocamus lumen gloriæ; non vero negat aliud auxilium supernaturale, supplens vices hujus qualitatis &c. Deinde Scotus constanter asseruit, visionem beatificam solis viribus naturæ esse impossibilem, ut patet ex illis, quæ habet 4. d. 49. q. 11. ubi initio quæstionis dicit, hæresin asserentium, Deum a nobis naturaliter videri posse, esse pejorem hæresi Pelagii, qui voluit, hominem sine gratia justificari posse. Hoc pro defensione Scoti, contra aliquos non satis honeste sentientes de Scoto, quorum falsitatem etiam cognoscit Amicus disp. 9. n. 197.

§. II.

Resolvitur altera pars Articuli.

318 Assero 1. Principium elevans supernaturaliter intellectum ad videndum est lumen gloriæ: 2. quod est habitus, & qualitas supernaturalis confortans, seu complens, & elevans intrinsece, & permanenter intellectum Beatorum in ordine ad Dei visionem eliciendam. Communis.

P. 1ma pars ex Scoto, qui 1. dist. 17. q. 3. n. 36. assertive ait: *Nullus communiter negat in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iste ex parte intellectus potest correspondere charitati ex parte voluntatis.* Per quod etiam patet secunda pars Assertionis. Ulterius id constat ex eo, quia Clemens V. in Concilio Viennensi, ut refertur *in Clementina* Ad nostrum *de Hæreticis.* hoc auxilium elevans intellectum ad videndum beatifice Deum vocat *Lumen gloriæ.*

P. 2da

P. 2da. pars. In via dantur habitus fidei, ſpei, ac charitatis ſupernaturales ad actus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturales eliciendos, qui habitus ſunt qualitates permanenter, & intrinſece elevantes intellectum, & voluntatem ad prædictos actus: ergo idem eſt dicendum de lumine gloriæ.

Confirm. Deus etiam elevando potentias noſtras in ordine ad actus ſupernaturales, ſolet id facere modo magis connaturali, atqui connaturalius eſt potentiæ intellectivæ alicujus Beati permanenter, & intrinſece elevari ad viſionem beatificam per lumen intrinſece in ſe receptum, & ad modum habitus conſtanter permanens: ergo. M. multis exemplis oſtendi poteſt, & oſtendetur Art. 3. hac Diſſert. m. vero patet: tum, quia vita conſiſtit in hoc, quod vivens ſe poſſit movere per virtutem intrinſecam, & ideo agens vitale connaturaliter exigit, virtutem ſuam activam omni poſſibili modo eſſe completam intrinſece, & non tantum extrinſece: tum, quia ex ratione majoris connaturalitatis habitus naturales, & alii ſupernaturales, ſcilicet fidei, ſpei &c. intrinſece inhærent ſuis potentiis, quas adjuvant.

Objic. Lumen gloriæ non eſt vitale: ergo non poteſt elevare potentiam ad actum vitalem. ℞. 1. Retorq. Habitus fidei, ſpei, & charitatis non ſunt vitales: ergo non poſſunt elevare potentiam vitalem ad actus vitales fidei, ſpei, & charitatis. ℞. 2. D. a. Lumen gloriæ non eſt vitale *ut quod* c. a. non eſt vitale *ut quo* n. a. Lumen gloriæ eſt vitale *ut quo*, quia ſufficiens eſt ad corroborandam potentiam intellectivam, ut vitaliter operetur.

Aſſero 2. Lumen gloriæ non requiritur, ut intellectum diſponat 319
ad ſuſcipiendam viſionem beatificam. Communis contra *Richardum*, & *Marſilium*. P. Si requireretur lumen gloriæ ad ſuſcipiendam viſionem beatificam, tunc ideo, quia viſio ceu forma ſupernaturalis non poteſt recipi in ſubjecto naturali, niſi prius diſpoſito per aliquid ſupernaturale, nempe per lumen gloriæ: atqui hæc ratio nulla eſt: ergo. m. p. 1mo. Infantes ſine prævia diſpoſitione ſupernaturali recipiunt habitus per ſe infuſos, & ſupernaturales fidei, ſpei, ac charitatis. 2do. Adulti peccatores ſine prævia diſpoſitione ſupernaturali excitantur per primam gratiam in ſe receptam ad fidem, & contritionem. 3tio. Beati recipiunt ipſum lumen gloriæ tanquam formam ſupernaturalem ſine prævia diſpoſitione ſupernaturali in intellectu.

Ratio rationis est: si nulla forma supernaturalis posset recipi in subjecto sine praevia dispositione supernaturali, daretur processus in infinitum; nam illa praevia dispositio, cum etiam esset supernaturalis, iterum non posset recipi sine praevia alia dispositione supernaturali: & sic deinceps in infinitum.

Objic. Illae formae requirunt praeviam dispositionem, quae sunt quasi termini productionis, seu generationis: non autem illae, quae sunt quasi viae ad terminos: sed visio beatifica est forma per modum termini: ergo requirit praeviam dispositionem. M. patet in naturalibus. ℞. 1. Retorq. Argum. in gratiam sanctificantem, quae est terminus generationis spiritualis in infantibus, in quibus tamen nulla praecedit dispositio. ℞. 2. D. M. in naturalibus tr. M. in supernaturalibus *subd.* aliquoties c. M. universaliter, & in proposito casu n. M. Etiamsi aliquando contingat, ut forma supernaturalis requirat praeviam dispositionem in subjecto, ut patet in adultis, qui non recipiunt gratiam justificantem, nisi dispositi per supernaturalem actum fidei, & contritionis, tamen hoc neque semper fit, neque ex natura rei necessarium est, sed tantum ex divina ordinatione. Ex hoc

Inferes 1mo. Neque lumen gloriae requiri ad recipiendam Essentiam divinam loco speciei intelligibilis. Ita communis contra nonnullos. Ratio est: 1mo. Forma non requirit dispositionem in subjecto, nisi sit inhaerens subjecto: atqui Essentia divina non est inhaerens intellectui Beatorum. 2do. Essentia divina supplet locum speciei intelligibilis, non quatenus haec est accidens, sed quatenus praecise species, & repraesentativa objecti est. Itaque non supplet ratione inhaerentiae, sed ratione praesentiae, & efficientiae.

Inferes 2do. Lumen gloriae tantum requiri tanquam causam partialem ad efficiendam una cum intellectu visionem beatificam. Unde

320 Assero 3tio. Lumen gloriae efficit visionem beatificam: sed non solum lumen; nam 2do simul tanquam causa partialis concurrit intellectus.

P. 1ma pars. Lumen gloriae non requiritur ut mera conditio, sed ut complens vires potentiae intellectivae, alioquin insufficientes ad visionem beatificam: ergo eo ipso debet active, & effective concurrere ad visionem beatificam.

Confirm. Habitus infusi fidei, spei, & charitatis effective concurrunt ad actus suos: ergo etiam lumen gloriae.

P. 2da.

P. 2da pars: Visio beatifica est actus vitalis; est enim aliqua cognitio: atqui actus vitalis connaturaliter petit effici ab aliqua potentia vitali, qualis respectu visionis beatificæ est intellectus: ergo.

Confirm. 1mo. Actus charitatis, & alii actus supernaturales in via producuntur effective a potentia vitali, ut constat ex Trident. Sess. 6. c. 5. & can. 4. ergo & visio beatifica in Patria.

Confirm. 2do. Si intellectus mere passive se haberet, & Deus se solo visionem beatificam produceret, tunc frustra Concilium Viennense requireret lumen gloriæ ad elevandum intellectum: atqui sequela est absurda, & falsa: ergo. M. p. inutiliter, & frustra elevatur potentia ad nihil operandum. Neque dicas, elevari potentiam ad recipiendam visionem; hoc enim superius jam rejectum est.

Assero 4to. Intellectus ad visionem beatificam concurrit, non 321
ut causa instrumentalis per virtutem alienam luminis, sed ut causa principalis per virtutem propriam, sibi identificatam. Est communis contra quosdam alios.

P. 1. Causa instrumentalis non denominatur simpliciter agens; sic malleus non dicitur ædificare domum, bene vero opifex utens malleo eam exstruere dicitur: atqui intellectus Beatorum simpliciter denominatur videns Deum: ergo.

P. 2. Intellectus noster respectu actus fidei supernaturalis est causa principalis, & non mere instrumentalis: ergo & respectu visionis beatificæ.

P. 3. Causa instrumentalis non movet se, nec operatur ex intrinseca, & propria virtute, sed ab extrinseco movetur, ut patet in malleo, calamo &c. atqui intellectus ad actus vitales, qualis etiam est visio beatifica, se ab intrinseco, & ex propria virtute movet: ergo.

Objic. 1. SS. PP. negant, liberum arbitrium esse agens princi- 322
pale in actibus meritoriis: ergo etiam intellectus non est agens principale respectu visionis beatificæ. ℞. D. a. negant, liberum arbitrium esse agens principale, prout hoc opponitur causæ instrumentali n. a. prout opponitur causæ, & agenti primario c. a. Vel d. aliter: negant, esse agens principale, id est, primarium c. a. negant, esse agens principale, intelligendo præcise per agens principale illud, quod operatur ex intrinseca & propria virtute, & non movetur mere ab extrinseco, ut causa instrumentalis n. a. &c. Aliud est agens primarium, aliud principale juxta nostram Philosophiam. Agens prima-

rium

rium eft, quod præcedit alterum dignitate, & operandi virtute. Tale agens in negotio falutis femper eft gratia, cui proinde SS. PP. & nos tribuimus primatum. Et in hoc fenfu etiam concedi poteft, vel omnino debet, lumen gloriæ effe agens primarium refpectu vifionis beatificæ. Per caufam vero principalem intelligimus illam, quæ operatur ex propria virtute, & non mere ex virtute aliena ut inftrumentum, quod propriam, & intrinfecam agendi vim non habet. Poteft autem agens principale dividi in magis, & minus principale, feu in primarium & dignius, & in minus dignum.

Objic. 2. Intellectus Beatorum agit ut motus, & elevatus per lumen gloriæ: ergo non agit ut caufa principalis. R. D. a. Agit ut motus, & elevatus, id eft, agit mere per virtutem alienam fibi impreffam, ut penicillus n. a. agit ut elevatus quidem per lumen gloriæ tanquam concaufam partialem, ita tamen, ut & ipfe intellectus per virtutem innatam etiam fimul influat c. a. & n. c.

Objic. 3. Caufa debet continere totam perfectionem fui effectus: fed intellectus non continet totam perfectionem vifionis beatificæ: ergo intellectus non eft caufa vifionis beatificæ. m. patet; intellectus enim tanquam potentia mere naturalis non continet fupernaturalitatem. R. 1. Retorq. Argum. Lumen gloriæ, tanquam res inanimata, non continet vitalitatem vifionis beatificæ: ergo etiam non continet totam perfectionem vifionis, confequenter non poteft effe caufa vifionis beatificæ. R. 2. D. M. Caufa totalis debet continere totam perfectionem, & omnes formalitates effectus c. M. caufa partialis n. M. Sufficit, quod caufæ partiali particularis quædam perfectio in effectu refpondeat: fic refpondet intellectui vitalitas, & lumini gloriæ fupernaturalitas vifionis.

323 Affero 5. Per abfolutam Dei potentiam poteft Deus a Beato videri fine lumine gloriæ: vel, influxus in vifionem, qui eft a lumine gloriæ, tanquam caufa partiali, poteft fuppleri aliunde a Deo, v. g. per fpecialem, ac extrinfecum Dei concurfum. Contra paucos TT. P. 1. Quidquid Deus poteft facere per caufas fecundas, poteft etiam per fe ipfum facere: ergo, quia per lumen gloriæ, tanquam caufam fecundam, poteft producere vifionem beatificam, etiam per fe ipfum poteft.

P. 2. Deus per fpecialem concurfum, etiam extrinfecum fuum, poteft fupplere habitum charitatis per fe infufum in ordine ad actus dile-

dilectionis: ergo etiam sic supplere potest habitum luminis gloriæ ad actum visionis.

Confirm. Deus est fons omnis supernaturalitatis: ergo potest perfectissime per se immediate supplere omne coagens supernaturale, consequenter & habitum supernaturalem luminis gloriæ.

Dixi, quod Deus possit habitum luminis supplere per *specialem* concursum extrinsecum; ordinarius enim concursus, quo Deus in omnes actus intellectus influit naturaliter, & ut agens naturale juxta exigentiam naturalem potentiæ intellectivæ, non sufficeret: quia ad visionem beatificam requiritur concursus specialis extraordinarius, & nobilior, a Deo ut agente supernaturali; alias enim non suppleret lumen gloriæ supernaturale.

Objic. 1. Intellectus sine lumine gloriæ non est in actu primo respectu visionis: ergo non potest illum elicere sine lumine gloriæ. 324
℞. N. a. Nam etiam sine lumine gloriæ per omnipotentiam Dei specialiter applicatam intellectus sufficienter est in actu primo.

Objic. 2. Intellectus, posito concursu Dei speciali, non habet in se majorem virtutem, quam antea habebat: sed ante concursum Dei specialem non poterat videre Deum: ergo neque posito illo concursu. ℞. D. M. Non habet in se, & intrinsece majorem virtutem, habet tamen illam extrinsecè per aliam concausam specialiter concurrentem c. a. secus n. a. & c.

Objic. 3. Tali modo Deus esset causa visionis, & intellectus foret mere instrumentum: & sic Deus denominaretur videre Deum, non vero intellectus Beati. ℞. N. illat. Nam & intellectus juxta dicta est causa aliqua principalis, & non mere instrumentalis. Deinde visio non denominat Deum, sed intellectum Beati, quia in intellectu Beati recipitur; etenim visio est actio immanens, proinde denominat solum subjectum, in quo est &c. Deinde est actus vitalis: ergo etiam denominat solum agens, quod per ejusmodi actum vitaliter operatur: atqui solus Beatus per ejusmodi actum vitaliter operatur, & tendit in objectum: ergo.

Objic. 4. Intellectus est intrinsece impotens ad videndum Deum: ergo debet fieri intrinsece potens, & non sufficit concursus mere extrinsecus. ℞. N. c. Sufficit enim, quod per specialem extrinsecam assistentiam omnipotentiæ divinæ defectus virium intrinsecarum nostri intellectus suppleatur.

Objic. 5. Intellectum proportionari ad vifionem beatificam, eft intrinfeca denominatio: ergo debet fieri per virtutem intrinfecam. ℞. D. a. Intellectum proportionari inchoative, vel per virtutem inchoatam, eft intrinfeca denominatio c. a. complete, & per virtutem completam eft intrinfeca denominatio fubd. fi potentia compleatur per virtutem intrinfece receptam c. a. fi compleatur per omnipotentiam extrinfece tantum fpecialiter affiftentem n. a. & c.

Objic. 6. Deus nequit fupplere defectum caufæ formalis: fed fi fuppleret defectum luminis gloriæ, fuppleret defectum caufæ formalis: ergo. m. p. effectus luminis gloriæ eft intrinfece elevare intellectum: fed intrinfece elevare eft effectus caufæ formalis: ergo. ℞. N. m. ad ejus prob. D. M. effectus luminis gloriæ unicus eft intrinfece elevare n. M. fecus c. M. Lumen gloriæ duplicem effectum præftat: primus eft, quod informet intrinfece intellectum, eumque intrinfece, & formaliter denominet potentem elicere vifionem beatificam: & hunc effectum in genere caufæ formalis Deus non poteft fupplere. Alter effectus luminis gloriæ eft, quod in genere caufæ efficientis una cum intellectu efficiat vifionem beatificam: atque hunc effectum Deus fupplet efficiendo immediate cum intellectu id, quod efficeret lumen.

Objic. 7. Clemens V. in Concilio Viennenfi, prout refertur *Clement.* Ad noftrum. *de Hæret.* damnat Beguardos, & Beguinas, aliosque dicentes, *quod anima non indigeat lumine gloriæ, ipfam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum:* ergo non poteft dari vifio fine lumine gloriæ.

℞. Concilium tantum ibi definiiffe, quod anima non fit naturaliter beata, neque videre poffit Deum fine conprincipio fupernaturali eam elevante. Quod ex ipfo Concilio conftat; non enim dicit, fine lumine *intrinfeco*, fed præcife dicit, fine lumine, abftrahendo, an hoc lumen, vel conprincipium debeat effe intrinfecum, vel extrinfecum. Deinde conprincipium hoc extrinfecum, quod eft Deus, etiam metaphorice, & forte magis proprie, quam habitus aliquis, poteft dici lumen, cum Deus alias juxta receptum loquendi modum dicatur *lux vera, lumen de Lumine.*

Articulus II.

An inæqualitas Visionis beatificæ proveniat a solo lumine gloriæ.

§. I.

Notanda, & Conclusio.

Certum, ac de fide est, Beatos æqualiter perfectum intellectum habentes, inæqualiter videre Deum, adeo, ut unus altero videat 325 perfectius pro diversitate meritorum. Hæc doctrina Catholica est contra Jovinianum, cujus hæreses impugnavit, & extinxit D. Hieronymus libris duobus adversus eundem: estque teste Viva curs. Theol. p. 1. disp. 2. q. 4. art. 3. contra Lutheranos, dicentes, quod Justitia unice in nobis derivetur ab imputatione extrinseca meritorum Christi, & ideo eam, consequenter & gloriam huic justitiæ respondentem, esse in omnibus æqualem: eoquod Christus æque pro omnibus meruerit.

Assertio vero nostra est definita in Florentino, in *Literis Unionis*, ubi postquam Sacra Synodus definivit, omnes Beatos *intueri clare ipsum Deum, Trinum, & unum, sicuti est*, subdit: *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Constat etiam ex S. Scriptura. 1. Corinth. 3. dicitur: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et 2. Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Præterea Joan. 14. dicit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* quod non de diversis gradibus hominum in Ecclesia militante, ut voluit Jovinianus, sed de diversis Ordinibus Electorum, & Beatorum in aula cœlesti intelligendum est, ut ex verbis ibi statim sequentibus colligitur: *Vado, parare vobis locum, ut, ubi ego sum, & vos sitis:* nempe in cœlo.

Accedit ratio æquitatis: quia gloria datur tanquam merces; mercedem autem ex æquo congruit proportionari meritis. Deinde, sicut damnati inæqualiter puniuntur pro inæqualitate demeritorum, ita Beati inæqualiter præmiantur pro inæqualitate meritorum.

Nec opponas cum Joviniano parabolam vineæ Matth. 20. propoſitam, in qua Paterfamilias deſcribitur, æqualem denarium, ſcilicet diurnum, dediſſe inæqualiter laborantibus: nimirum juxta hanc parabolam æque denarium diurnum acceperunt noviſſimi, qui ultima ſolum hora laborarunt, ac primi, qui die integro operi inſtiterunt. Nam ℞. cum Tirino, & aliis: hanc parabolam ſolum velle, quod illi, qui in ultima ætate mundi, vel vitæ ſuæ erunt ad Deum convertendi, & illi fideliter ſervituri, ſint etiam reportaturi æternam gloriam, ſicut illi, qui in prima ætate mundi, vel vitæ Deo ſervierunt. imo ex hac parabola colligitur, quod noviſſimi ſint aliquoties futuri primi, ſeu præferendi illis, qui prima ætate mundi vixerunt, vel in juventute jam Deo ſervierunt: ſi videlicet noviſſimi, qui in ultima ætate mundi, vel vitæ Dei ſervitium amplectuntur, majori fervore, quam primi, Deum colant.

Reſpondent alii cum D. Thoma, Scoto, & Scholaſticis, omnibus, tam noviſſimis, quam primis eſſe ſolutum denarium æqualem, ſeu eſſe datam æqualem beatitudinem ſecundum ſubſtantiam, & viſionem, ac fruitionem Dei, non vero ſecundum intenſionem. Hoc tanquam certo præmiſſo

Reſtat dubium, utrum inæqualitas viſionis, & beatitudinis unice oriatur ex inæqualitate luminis gloriæ elevantis, vel an etiam provenire poſſit ab inæqualitate intellectuum, ita, ut inæqualiter videant Deum duo Beati, qui habent æquale quidem lumen gloriæ, inæqualem tamen intellectum, nempe unus perfectiorem, & alter minus perfectum? Exemplum habemus in Angelo, & homine beato. Certum eſt, quod Angelus habeat perfectiorem, & nobiliorem intellectum, quam homo; ponamus ergo, quod Angelus, & homo beatus habeant æquale lumen gloriæ. Jam eſt quæſtio, an intellectus Angelicus tanquam perfectior eliciat perfectiorem viſionem, quam intellectus humanus minus perfectus, quamvis uterque habeat æquale lumen, v. g. ut duo intenſum? H. N.

326 Aſſero: Duo intellectus in perfectione inæquales cum æquali lumine gloriæ vident inæqualiter Deum. Ita SSæ cum Richardo, Durando, Cajetano, Molina, Leſſio, Viva p. 1. diſp. 2. q. 4. art. 3. & pluribus aliis contra alios non paucos. Quamvis huic Aſſertioni contradicant TTæ; tamen ei favet D. Thomas p. 3. q. 10. art. 4. ad 2. *gradus in viſione magis attenditur ſecundum ordinem gratiæ, quam ſecundum ordinem naturæ:* per quod indicat, quod etiam ſecundum naturam,

ram,

ram, seu naturalem perfectionem intellectus, licet minus, attendatur perfectio visionis.

Scotus vero 3. d. 13. q. 4. n. 18. §. *ad tertiam quæstionem dico.* ℣. *secundo modo.* docet, amorem beatificum esse perfectiorem, ubi est perfectior voluntas. adeoque idem ob paritatem rationis tenere debet de visione beatifica, scilicet, quod ea sit perfectior, ubi est perfectior intellectus.

Nec obstat Doctor 4. d. 50. q. 6. §. *quinta conclusio.* n. 7. & 8. ibi enim potius nostram assertionem satis clare confirmat, n. 7. dicens: *sive sit voluntas æqualis, charitas vero inæqualis, sive charitas æqualis, & voluntas inæqualis, potest tamen in æqualem actum, probo: in effectu potest esse perfectio aliqua non solum a prima causa, sed etiam a secunda.* ubi vult, voluntatem nobiliorem cum minore habitu charitatis, & nobiliorem habitum charitatis cum minus perfecta voluntate producere fruitionem æqualem; quia, quidquid deest ex parte habitus in primo casu, supplet major voluntatis perfectio, & quidquid deest ex parte voluntatis in casu secundo, supplet habitus charitatis perfectior. Nec aliud vult postea, si bene intelligatur. Jam

P. Assertio. Universim causa perfectior, quando influit ut perfectior, causat effectum perfectiorem: sed intellectus Angelicus cum lumine gloriæ ut unum est causa perfectior, quam intellectus humanus pariter cum lumine ut unum, & simul intellectus Angelicus qua perfectior influit in visionem beatificam: ergo intellectus Angelicus cum lumine gloriæ ut unum causat visionem perfectiorem, quam intellectus humanus pariter cum lumine ut unum. M. constat ab inductione, præsertim in causis necessariis, quæ semper agunt secundum totam virtutem suam, nisi divinitus per miraculum impediantur: tales causæ necessariæ etiam sunt intellectus, & lumen gloriæ respectu visionis. m. p. quoad 1mum membrum: quia intellectus nobilior, & Angelicus cum lumine ut unum constituit perfectius complexum, & perfectiorem causam totalem, quam intellectus humanus, & minus nobilis cum lumine æquali ut unum. p. etiam 2. membrum minoris. Tunc influit causa ut perfectior in effectum, quando assimilat sibi effectum in ea formalitate, in qua est perfectior, vel quando influit secundum eam formalitatem, in qua est perfectior: atqui intellectus Angelicus assimilat sibi visionem beatificam in formalitate vitalitatis, in qua est perfectior intellectu humano: ergo.

Confirm. 1. Juxta axioma Theologicum ordo gratiæ imitatur ordinem naturæ: vel causæ supernaturales imitantur causas naturales: atqui causæ naturales totales inæquales causant effectum inæqualem, quando illum assimilant sibi in eo prædicato, in quo sunt inæquales, non vero, si non assimilent: ergo. M. constat; sic enim dicimus, lumen gloriæ esse intrinsecum, & inhærens intellectui, quia causæ naturales non agunt, nisi sint intrinsece completæ: sic etiam dicimus, Sacramenta causare gratiam inæqualem in subjectis inæqualiter dispositis, quia etiam causæ naturales in subjectis inæqualiter dispositis producere solent effectum inæqualem &c. m. p. ab inductione: etenim dentur duo oculi inæquales in virtute visiva, tunc causabunt visionem materialem inæqualem, non obstante, quod quilibet oculus habeat speciem visivam impressam æqualem: & vicissim, dentur duæ species visivæ inæquales, tunc causabunt etiam visionem inæqualem, esto, oculi imbuti illis speciebus sint æquales. Ratio horum omnium est, quia causæ totales talium visionum sunt inæquales in illis prædicatis, in quibus sibi assimilant effectum. sic oculi supponuntur inæquales in vitalitate, & vivacitate, & species in repræsentativitate objecti, in quibus prædicatis visio suæ causæ totali efficienti assimilatur.

Confirm. 2. Causa habens majorem activitatem, producit effectum perfectiorem: sed intellectus perfectior habet majorem activitatem, quam minus perfectus: ergo etiam producit perfectiorem effectum, seu visionem.

Confirm. 3. Intellectus secundum se totum, & secundum totam activitatem suam elevatur per quemvis gradum luminis gloriæ: ergo secundum totam activitatem influit in visionem beatificam: ergo, quia activitas major est in perfectiore intellectu, etiam hic meliorem visionem producet. Adde, quod lumen gloriæ non impediat, sed potius perficiat, & adjuvet activitatem intellectus: adeoque non est ratio, cur intellectus per quemcunque etiam minimum gradum luminis elevatus, non exerat totam suam vim eliciendo visionem. a. constat; intellectus enim est indivisibilis; adeoque non potest elevari secundum aliquid, nisi elevetur secundum se totum, & totam activitatem suam.

Confirm. 4. Lumen gloriæ perfectius producit perfectiorem visionem: ergo etiam intellectus perfectior producit visionem perfectiorem. conf. tenet a pari; ideo enim lumen gloriæ perfectius producit visio-

visionem perfectiorem, quia causa perfectior perfectiorem effectum causat: atqui hæc ratio etiam pugnat pro intellectu perfectiore: ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. Florentinum in *Literis Unionis* definit, Beatum alium 327
alio perfectius intueri Deum pro diversitate meritorum: sed hoc esset falsum in nostra sententia: ergo. m. p. In nostra sententia posset aliquis habens minora merita æque perfecte intueri Deum, ac ille, qui haberet majora merita; habens enim minora merita, & consequenter minus lumen, posset habere perfectiorem intellectum, qui suppleret defectum luminis majoris. Unde cum minore lumine, & perfectiore intellectu æque perfectam visionem eliceret, ac ille, qui habet majora merita, & majus lumen, at simul minus perfectum intellectum, ut consideranti patet: ergo.

℟. D. M. Definit ibi Concilium, unum altero perfectius intueri Deum pro diversitate meritorum, & luminis, cæteris paribus c. M. secus n. M. Concilium ibi loquitur de casu, ubi sunt omnes intellectus perfectione pares, & æquales; tunc enim pro diversitate meritorum, & luminis diversificatur visio: non vero loquitur de casu nostro, ubi ponuntur intellectus esse inæquales. Ratio autem sic interpretandi Concilium est, tum: quia recte dicimus, unum altero perfectius videre pro diversitate oculorum, vel visus, quamvis hæc locutio sit intelligenda *cæteris paribus*, si nempe respectu utriusque videntis supponatur æqualis species visiva, & par dispositio medii. tum: quia Florentinum loquitur de eo, quod de facto contingit, & de *intellectibus humanis animarum beatarum* inter se præcise comparatis: omnium autem hominum intellectus in moderna providentia æqualis esse perfectionis, supponit vulgaris Philosophia, & forte ipsum Concilium. Tum: quia, sicut juxta S. Augustinum verba Scripturarum, quoad ejus fieri potest, semper explicanda sunt in sensu excludente miraculum, vel in sensu magis connaturali, ita etiam explicari debent verba Conciliorum: atqui sensus magis connaturalis, & magis excludens miraculum est, quod lumen gloriæ cum perfectiore intellectu, seu cæteris non paribus, producat perfectiorem visionem: ergo. Tum: quia non apparet, quod Florentinum determinare voluerit quæstionem inter Scholasticos contro-

troverfam, præfertim ubi definitio ad fcopum Concilii non fpectabat, nec præcefferat defuper controverfia inter Græcos, & Latinos.

328 Objic. 2. Tota vifio beatifica eft prœmium: ergo ea eft folum inæqualis, ubi inæqualia funt merita; nam vi æquitatis præmia proportionaliter fecundum merita dividuntur. ℞. D. a. Tota vifio eft prœmium, quatenus refpicit Deum prœmiantem, & lumen gloriæ tanquam caufam c. a. quatenus refpicit intellectum, tanquam alteram concaufam n. a. & c. Vifio beatifica, quatenus refpicit lumen gloriæ, eft prœmium, & corona, quia ipfum lumen gloriæ a Deo prœmiante juxta menfuram meritorum conceditur. Quare eatenus, quatenus provenit a meritis, & lumine gloriæ, vifio beatifica duorum Beatorum, æqualia merita habentium, non eft inæqualis, cum etiam lumen gloriæ in talibus non fit inæquale : poteft tamen effe inæqualis ratione alterius concaufæ, fcilicet intellectus, fi unus Beatus habet perfectiorem intellectum. Neque enim Deus, dum coronas, & præmia bene meritis diftribuit, potentias, & activitates naturales immutat, aut impedit, fed potius perficit, & promovet; cum gratia, & gloria non deftruant naturam, fed perficiant.

Porro fi unus inter duos Beatos, æqualia habentes merita, excelleret perfectione intellectus, reportaret quidem prœmium majus materialiter, non formaliter; nam formaliter eft prœmium, quatenus refpondet lumini gloriæ, & meritis : atque uterque talis Beatus vi luminis, & meritorum haberet æqualem vifionem, materialiter autem differt hoc prœmium ratione alterius concaufæ, quam Deus non vult impedire. Sic fi in prœmium detur duobus æque meritis gladius æqualis, tunc uterque formaliter æquale prœmium haberet, efto ille, qui viribus, & arte militari præftaret, feliciusque uteretur gladio accepto, materialiter majus prœmium cenferetur retuliffe.

329 Objic. 3. Homo eft perfectior, quam Aquila, & tamen homo cum æquali fpecie vifiva non efficit perfectiorem vifionem, quam aquila: ergo a pari. ℞. D. a. Homo eft perfectior, quam aquila, fecundum potentiam intellectivam, & volitivam &c. fecundum quas non influit in vifionem materialem c. a. homo eft perfectior fecundum formalitatem vifus materialis, fecundum quam influit in vifionem, & fibi affimilat eam n. a. & ex hoc capite n. c. & paritatem. Nos ponimus illam potentiam, feu intellectivam, effe perfectiorem, fecundum quam Beatus influit formaliter in vifionem beatificam.

Objic. 4. Solum lumen gloriæ exigit viſionem beatificam: ergo ad ſolius luminis gloriæ menſuram creſcit intenſio viſionis beatificæ. c. patet; quia univerſaliter conſtat, effectum menſurari ſolum a perfectione cauſæ ipſum exigentis. Sic ſi Deus ut author naturæ juxta exigentiam alicujus cauſæ particularis creatæ concurrat ad effectum talis cauſæ particularis, tunc perfectio ejusmodi effectus tantum proportionatur, & commenſuratur perfectioni cauſæ ſecundæ, & creatæ concurſum, & effectum exigentis. a. pariter liquet; nam potentia naturalis, ſcilicet intellectus, non poteſt exigere viſionem beatificam, tanquam effectum ſupernaturalem, conſequenter hanc exigit ſolum lumen gloriæ. 330

℟. N. a. Quamvis intellectus ſolitarie ſumptus non exigat viſionem beatificam, tamen eam exigit una cum lumine gloriæ, ſeu ut informatus a lumine gloriæ; nam ut talis eſt cauſa adæquata, & proportionata ad producendum effectum ſupernaturalem, ita quidem, ut talis effectus ſupernaturalis, ſcilicet viſio, quoad vitalitatem ſuam aſſimilari petat intellectui, quoad ſupernaturalitatem vero lumini gloriæ reſpondeat. Atque per hoc patet reſponſio, & diſparitas ad probationem conſequentis; nam Deus non influit ita in effectus cauſæ ſecundæ, ut eos ſibi aſſimilet: adeoque perfectio talium effectuum non creſcit juxta perfectionem Dei, tanquam cauſæ primæ, bene juxta gradum perfectionis cauſæ ſecundæ, cui aſſimilantur ſimiles effectus. Idem reſponde ad exempla de influxu Solis, tanquam cauſæ univerſalis in effectus ſublunares.

Objic. 5. Aqua perfectior, ſi aſſumatur ad baptiſmum: vel oleum perfectius, ſi aſſumatur pro extrema unctione, non cauſant gratiam perfectiorem: ergo etiam intellectus perfectior cum æquali lumine non cauſat viſionem perfectiorem c. p. Ideo aqua perfectior non cauſat gratiam perfectiorem, quia gratia, tanquam effectus ſupernaturalis, non commenſuratur perfectioni naturali aquæ, ſed elevationi ſupernaturali ejusdem: ergo idem eſt dicendum in noſtro caſu. ℟. N. c. & paritatem. Aqua in baptiſmo, & aliæ materiæ Sacramentales, non cauſant gratiam phyſice ſecundum virtutem, & perfectionem phyſicam, ſed eam cauſant ſolum moraliter ratione inſtitutionis paſſivæ Chriſti, quæ eſt eadem, ſive aqua perfectior, ſive minus perfecta, dummodo elementaris adhibeatur: adeoque æqualem etiam parit effectum. Aliud eſt de intellectu Beatorum, qui ſecundum ſuam virtutem naturalem, tanquam cauſa inadæquata phyſica, phyſice, & vere effi- 331

cienter influit in visionem beatificam, eamque sibi in vitalitate assimilat. Adeoque mirum non est, si etiam crescat visionis perfectio juxta perfectionem intellectus.

332 Objic. 6. Tota visio beatifica est supernaturalis: ergo tota debet proportionari perfectioni luminis gloriæ, tanquam causæ supernaturalis. ℞. 1. Retorq. Argum. Tota visio est vitalis: ergo etiam tota debet proportionari perfectioni principii vitalis, seu intellectus. Ex hoc patet etiam responsio directa; nam, cum visio beatifica sit supernaturalis, & vitalis simul, hinc utrique principio nempe supernaturali, & vitali debet quoad perfectionem assimilari.

333 Objic. 7. Intellectus tantum habet virtutem incompletam respectu visionis Dei, ita, ut nullo modo posset efficere visionem hanc, nisi elevaretur per lumen gloriæ: ergo intellectus non agit, nisi juxta qualitatem principii elevantis luminis. ℞. 1. Retorq. Argum. Etiam lumen gloriæ est tantum causa incompleta respectu visionis Dei, ita, ut eam nullo modo eliceret, nisi concurreret intellectus: ergo etiam lumen gloriæ non agit, nisi juxta qualitatem principii concurrentis, nempe intellectus. ℞. 2. N. c. Oculus est tantum causa incompleta visionis, adeo, ut videre non possit sine specie visiva: ex hoc tamen non sequitur, oculum aquilæ cum æquali specie non videre perfectius, quam oculum Noctuæ. Idem dic in proposito.

334 Objic. 8. Intellectus producit visionem beatificam, in quantum elevatus per lumen gloriæ: ergo solum ratione luminis eam producit, consequenter tali perfectioni luminis, non vero intellectus, respondet perfectio visionis beatificæ. c. p. quia aqua tantum calefacit qua calida, ideo & calor productus, & ejus intensio tantum respondet calori in aqua existenti, non vero ipsi aquæ: ergo a pari.

℞. D. a. Intellectus producit visionem beatificam, in quantum elevatus per lumen gloriæ tanquam causam inadæquatam c. a. tanquam causam adæquatam, quæ sola ratione sui producat visionem beatificam n. a. & c. Ex quo datur disparitas ad probationem: Nam aqua una cum calore non concurrit physice ad alium calorem ad extra producendum, ut in Philosophia docetur. Hinc totus calor ad extra productus, & ejus perfectio commensuratur soli calori aquæ, non vero ipsi aquæ: ast intellectus simul cum lumine, & non solum lumen efficit visionem beatificam: ergo.

335 Objic. 9. Intellectus creatus elevatur ad visionem, quatenus intellectus est, & non quatenus talis, & tam perfectus intellectus est: ergo

ergo perfectio visionis non est pensanda ex perfectione intellectus. ℞. N. a. Elevatur enim intellectus secundum totam suam virtutem innatam, & inchoatam, quæ convenit ei, etiam quatenus talis, & perfectior est intellectus. Deinde, sicut nulla datur visio beatifica, quæ est mere generica, & non determinatæ specificæ perfectionis, ita etiam nullus intellectus tantum secundum rationem genericam, sed secundum specificam suam virtutem in eam influit: adeoque ut influere possit, etiam secundum specificam perfectionem elevatur.

Objic. 10. Intellectus solum est causa universalis respectu visionis, lumen gloriæ vero est causa particularis: ergo soli lumini gloriæ proportionatur perfectio effectus. consequentia videtur patere ex superius dictis, quia Deo, Soli, ac Astris, tanquam causis universalibus, non commensuratur perfectio effectus. ℞. N. c. Quamvis enim intellectus, quatenus plures diversos, & specie distinctos actus producere potest, dicatur aliqua sub ratione causa universalis; est tamen talis causa universalis, cui in perfectione vitalitatis assimilatur effectus, seu visio, adeoque juxta mensuram perfectionis vitalitatis intellectivæ, etiam crescit ipsa perfectio visionis. Ratio rationis: Intellectus, & visus respectu suorum actuum possunt dici causæ universales, & tamen intellectus perfectior cum æquali specie intelligibili producit perfectiorem intellectionem. Idem est de oculo perfectiore cum æquali specie visiva. 336

Objic. 11. Ex nostra sententia sequitur, quod intellectus valde perfectus cum lumine gloriæ ut duo possit visionem beatificam elicere intensam ut tria, vel quatuor. in quo casu duo gradus visionis, nempe tertius, & quartus, deberent refundi in causam mere naturalem, scilicet in perfectionem naturalem intellectus: atqui effectus supernaturalis (qualis etiam sunt isti duo gradus visionis) non potest refundi in causam mere naturalem: ergo. ℞. Neg. quod tertius, & quartus gradus debeant refundi in meram causam naturalem; etenim etiam iste excessus, & tertius, ac quartus gradus adhuc procederent a lumine gloriæ, tanquam causa partiali; nam nihil esset in tota visione, quod non procederet ab utraque causa, scilicet ab intellectu, & lumine, sicut in visione naturali, procedente a potentia visiva naturali perfectiore, & minus perfecta specie, nihil est, quod non causetur simul tam a potentia, quam a specie. 337

Nec te turbet, quod visio beatifica magis intendatur, quam intensum sit lumen; nam hoc non est novum, quod effectus, procedens

a duabus caufis inadæquatis, magis fit intenfus, quam una caufa partialis. fic etiam actus fupernaturalis fidei cum magna applicatione elicitus, poteft effe magis intenfus, quam fit ipfe habitus fidei: non vero poteft ejusmodi actus effe magis intenfus, quam fit, & exigat caufa totalis.

338 Pro aliis objectionibus Nota: Perfectionem intellectus nunquam poffe ita crefcere, ut omnem defectum luminis gloriæ, vel alterius conprincipii fupernaturalis, neceffarii ad vifionem beatificam, fuppleat; etenim intellectus eft principium longe inferioris, & naturalis ordinis, confequenter non poteft fupplere totaliter defectum luminis. Ratio rationis: quia, quantumcunque crefcat perfectio intellectus, nunquam ad fupernaturalitatem afcendet: ergo nunquam principium fupernaturale fupplere poterit, quod neceffario requiritur ad omnem effectum fupernaturalem. 2. Etiamfi Angeli defacto habeant perfectiorem intellectum, quam Chriftus Dominus, tamen vifio beatifica Chrifti Domini eft excellentior, & perfectior, quam omnium Angelorum; quia Ipfe tanto informatus eft lumine gloriæ, ut activitatem omnis intellectus fuppleat, & tranfcendat.

Differtatio III.

DE OBJECTO, ET RELIQUIS QUALITATIBUS VISIONIS BEATIFICÆ.

Articulus I.

§. I.

Quodnam fit objectum terminativum, & motivum Vifionis beatificæ?

339 Affero 1. Beati defacto vident omnia, quæ funt formaliter in Deo, fcilicet Effentiam divinam, perfectiones abfolutas, & attributa, nec non prædicata relativa, ac Perfonalitates divinas: 2. quamvis non videant quamlibet terminationem, quam prædicata divina habent ad

ad creaturas. Communis Th.Th. P. 1ma pars ex Florentino definiente, Deum unum, & trinum videri a Beatis, ſicuti eſt. per Deum autem unum, & trinum ordinarie intelliguntur omnia formaliter in Deo contenta. 2do. 1. Joan. 3. dicitur: *Videbimus eum, ſicuti eſt.* eſt autem Deus ſua Eſſentia, eſt infinitus, omnipotens, immenſus &c. eſt trinus in Perſonis: ergo hæc omnia, quæ Deus eſt, & quæ ſibi identificat, videmus; alioquin eum non videremus, ſicuti eſt a parte rei. Accedit ratio, quia clara, & intuitiva viſio, qualis eſt beatifica, ex natura ſua fertur in omnia identificata cum objecto talis viſionis.

Dices: S. Bonaventura Art. 1. q. 2. dicit, Beatos aliquid latere de profunditate Dei: ergo Beati non cognoſcunt omnia formaliter contenta in Deo. ℞. D. a. Beatos aliquid latet de profunditate Dei ex parte modi cognoſcendi c. a. ex parte rei cognitæ n. a. Secundum Doctorem Seraphicum, & omnes Th. Th. quamvis Beatus cognoſcat omnia in Deo contenta, tamen ea non cognoſcit, nec cognoſcere poteſt ſecundum omnem gradum cognoſcibilitatis eorum; etenim prædicata divina abſoluta ſunt infinitæ perfectionis, habentque infinitam cognoſcibilitatem: viſio vero Beati eſt tantum finita, adeoque quoad modum, & intenſionem cognoſcendi non commenſuratur cognoſcibilitati divinorum prædicatorum.

P. etiam 2dum membrum, quod nempe Beati non videant omnes 340
terminationes, vel potius terminos Attributorum divinorum. Sic utique Beati, etſi clare videant ſcientiam Dei, tamen non vident omnia illa, quæ per ſcientiam ſuam a Deo ſciuntur; alias Beatus omnia poſſibilia, & futura, atque actu exiſtentia ſciret, & videret, ſicuti Deus ea ſcit, quod tamen non eſt verum; nam nec Angeli Beati omnia illa ſciunt, conſequenter nec homines Beati. Sic Marc. 15. dicitur: *De illo die nemo ſcit, neque Angeli in cælo.* Sic etiam Angeli non ſciunt omnia decreta Dei, quæ ſubinde Deus pro beneplacito ſuo primum revelat, & de quibus inferiores a ſuperioribus Angelis illuminantur. Ac S. Paulus ad Epheſ. 3. dicit: *Mihi data eſt gratia evangelizare, ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam.* ubi notat Gloſſa, quod *Angeli multa didicerint per Eccleſiam.* quod & S. Chryſoſtomus Homil. 7. affirmat: ergo Angeli, quamvis Beati, non omnia ſciverunt, quia potuerunt aliqua diſcere per prædicationem Pauli.

341 Affero 2. Beati etiam vident aliquas faltem creaturas. Communis, ac certa Th. Th. P. 1. ex Concilio Provinciali Senonenfi Decreto fidei 13. ubi damnando errorem Lutheri, & aliorum afferentium, quod Sancti non fint invocandi, quia orationes noftræ ipfis funt ignotæ, ait: *Hoc facile intelliget, qui Beatis pervium effe non ignorat uniforme illud Divinitatis fpeculum, in quo, quidquid eorum interfit, elucefcit:* ergo Beati juxta hoc Concilium vident in Effentia divina omnia, quæ fcire, & videre ipforum intereft, & ipfis congruit: fed congruit ipfis, fcire aliquas creaturas actuales, futuras, & poffibiles: ergo. Accedunt SS. PP. Auguftinus, Gregorius, & alii, qui communiter docent, a Beatis videri aliquas creaturas.

Deinde harum cognitio fpectat etiam ad accidentalem beatitudinem, vel ad complementum beatitudinis, ut fic Beati creaturas faltem aliquas etiam poffibiles cognofcendo, pleniori vifione poffideant ea, quæ in thefauris Sapientiæ, & Potentiæ divinæ abfconduntur. Et certe absque fundamento diceretur, quod Deus totam multitudinem rerum, quas facere poteft, & non faciet, velit abfcondere Beatis &c. Adde, quod Beati fint Amici Dei maximi: fed Amicus Amico fecreta fua aperire folet, præcipue ea, quæ ad Amicum aliquo modo fpectant: ergo etiam Deus aperiet Beatis fecreta aliqua circa res creatas, præfertim eas, quæ aliquo modo attingunt ejusmodi Beatum &c.

§. II.

Refolvuntur aliqua Quæfita.

342 Quæres 1. An defacto creaturæ omnes futuræ, & poffibiles videantur a Beatis? ꝶ. negative. Ita communis. Ratio eft: quia Concilium Senonenfe tantum dicit, videri illas creaturas, quas videre Beatorum intereft, feu quæ ipfos aliqualiter concernunt: atqui non omnes res futuræ, ac poffibiles concernunt fingulos Beatos. Præterea beatitudo debet effe rationabiliter fatiativa: atqui ratio non exigit, Beatum plura cognofcere, quam quæ ipfum concernunt: ergo. Congruit etiam, intellectum creatum non tot creaturas cognofcere, quot ipfe Deus fcit.

Ex citato fupra Concilii textu infert Viva cum aliis, Beatos omnes clare videre myfteria noftræ fidei, quorum fidem infufam habuere in via; nam hæc myfteria, quæ media & via fuere ad beatitudinem

nem consequendam, clare cognoscere, maxime congruit Beatis. Infert ulterius, etiam a Beatis distincte cognosci res naturales præcipuas, & res, quæ in hoc mundo geruntur, ac specialiter ad Beatos pertinent. Unde probabiliter vident etiam aliqua futura contingentia ad ipsos spectantia; horum enim omnium cognitionem status Beatorum connaturaliter videtur exigere, tanquam complementum beatitudinis.

Quæres 2. An implicet absolute, Beatum videre simul omnes creaturas actuales, futuras, & possibiles? ℞. negative; nam nulla implicantia hujus assignari potest. Etenim nec ex parte Dei est implicantia, qui omnia ista objecta potest ostendere Beato: neque ex parte objectorum, quæ omnia sunt visibilia, & intelligibilia: neque ex parte Beati; nam si hic plura creata objecta, vel creabilia simul videre potest, cur non omnes creaturas? Neque per ejusmodi visionem comprehenderetur omnipotentia divina: esto enim, omnes termini, & objecta omnipotentiæ divinæ cognoscerentur, tamen intrinseca cognoscibilitas entitatis omnipotentiæ non exhauriretur, quæ nullam habet connexionem cum possibilitate creaturarum. 343

Neque talis visio omnium creaturarum possibilium syncategorematice infinitarum foret infinita: tum, quia visio Essentiæ divinæ infinitæ foret tantum finita, & possibilis intellectui creato: ergo & visio objectorum numero infinitorum. Tum, quia ista objecta viderentur in Essentia divina: adeoque eorum visio non fatigaret, sed recrearet intellectum: consequenter non requireretur major, & infinita attentio ad infinita hæc objecta cognoscenda. Tum, quia ista instantia *quo plura objecta videntur, eo major attentio requiritur, consequenter si infinita videntur, requiritur attentio infinita:* hæc, inquam, instantia est solum vera de intellectu conjuncto cum Phantasia, & dependente ab illa; Phantasia enim facile distrahitur a pluribus objectis, & inde, quo plura sunt objecta, eo majori attentione opus habet. Ast hoc non est verum, quando intellectus est separatus, & non dependens a phantasmate.

Quæres 3. Quomodo a Beatis videantur creaturæ? Ante responsionem nota ex nostro Coën, triplicem in Beatis posse distingui cognitionem. *Prima* est, qua Beati Deum, & quæ formaliter in Deo sunt, intuentur: & dici potest *meridiana* juxta illud S. Bernardi in Cantica Serm. 33. *Vultus tuus meridies est.* Per quod Doctor Mellifluus 344

fluus indicat, claram Dei visionem esse cognitionem meridianam. *Altera* est, qua Beati in Deo, vel (ut SS. PP. & Th. Th. appropriate loquuntur) in Verbo cognoscunt creaturas: & hæc vocatur a D. Augustino *matutina*. *Tertia* est, qua Beati cognoscunt creaturas in se ipsis, seu per propriam earum speciem, & repræsentationem: quæ cognitio a D. Augustino appellatur *Vespertina*.

Nota ulterius, creaturas in Verbo a Beatis iterum duplici modo cognosci posse: 1mo *formaliter*, ita nempe, ut creaturæ videantur in ipsa Essentia divina (quæ per Verbum hic intelligitur) tanquam in ratione motiva, & determinativa, & quidem per eandem visionem, & per idem lumen gloriæ, per quod videtur Verbum, seu Essentia divina. 2do *Causaliter*, quod tunc fit, quando istæ creaturæ non quidem cognoscuntur per ipsam visionem beatificam, qua videtur Essentia divina, sed per cognitionem aliam, v. g. per revelationem divinam, aut species a Deo supernaturaliter infusas, ita tamen, ut ista cognitio alia, revelatio, aut species infusæ intuitu visionis beatæ, vel status beatifici concedantur, consequenter visio beatifica sit causa, vel saltem occasio talis alterius cognitionis. H. S.

345 ℟. Probabiliter aliquæ saltem creaturæ videntur in Verbo formaliter juxta explicationem præfatam. Ita Herincx, Henno, & alii contra alios. P. 1. Ex Concilio Senonensi citato §. 1. hujus Articuli, quod satis clare indicat, aliquas creaturas videri in Essentia divina tanquam speculo, consequenter formaliter. Id videtur etiam indicare modus loquendi PP. 2do Deus in se ipso tanquam motivo cognoscit creaturas: ergo etiam Beati in Deo tanquam motivo possunt intueri creaturas aliquas. 3tio Est summa perfectio, Essentiæ divinæ non deneganda, quod illa possit & suo, & Beatorum intellectui & se ipsam, ac omnia alia objecta repræsentare. 4to Idem actus potest tendere in plura objecta, ita, ut unum sit motivum, & ratio cognoscendi, vel volendi alterum: sic eadem volitio potest simul tendere in finem, & media: ergo & eadem visio potest simul tendere in Essentiam divinam tanquam motivum, & simul in aliquas creaturas tanquam objecta terminativa. Proinde Beati in Essentia divina vident creaturas non solum secundum esse eminentiale, quod illæ in Deo, & Essentia divina habent, sed etiam secundum esse proprium, quod ipsæ creaturæ in se habent; nam Essentia divina est ratio repræsentativa etiam proprii esse creaturarum. Vide dicta de objecto motivo, & terminativo intellectus divini.

Dixi

Dixi autem: *aliquas creaturas*, videlicet illas, quas nunquam a Beatis congruit ignorari, vel quas expedit a principio beatitudinis per totam æternitatem invariabiliter ab ipsis videri. An autem etiam reliquas creaturas, quas non semper, & invariabiliter a principio beatitudinis cognoscunt, videant in Verbo formaliter per eandem visionem beatificam, qua Deum vident, non ita certum est, ut patebit ex resolutione sequentis quæsiti.

Dices 1mo. Deus, & creatura valde inter se differunt: ergo in Deo non potest formaliter videri creatura. ℞. D. a. Et tamen creatura habet aliquam subordinationem ad Deum, tanquam objectum terminativum ad objectum motivum c. a. secus n. a. Etiam distinctissima possunt attingi per unum actum, si habent aliquam subordinationem, ut Veritas prima, & res revelatæ, finis & medium, imago, & prototypon &c. 346

Dices 2. Si creaturæ videntur in Essentia divina, tunc debent videri omnes; quia Essentia divina non unam magis, quam alteram repræsentat: atqui juxta nos a Beatis in Essentia non videntur omnes creaturæ: ergo &c. ℞. N. M. Essentia divina, quamvis in actu primo sit repræsentativa omnium omnino creaturarum, tamen in actu secundo solum repræsentat illas intellectui creato, quas libere vult repræsentare. Essentia siquidem divina ad extra est speculum voluntarium, adeo, ut pro libertate sua possit se ipsam ostendere intellectui creato, vel non ostendere: item, ut possit se solam, vel aliquas, vel omnes etiam creaturas spectandas exhibere Beatis. Ex his

Colligis, non provenire a lumine gloriæ, quod ab hoc Beato hæ creaturæ, ab alio aliæ videantur; sufficit enim divina voluntas, determinans essentiam ad has potius, quam alias repræsentandas. Deinde lumen gloriæ est homogeneum, & tantum differt secundum magis & minus: ergo non potest præstare tot variationes in visione, sed potius est indifferens ad hoc, vel illud objectum creatum cognoscendum.

Quæres 4. An Beati ab initio beatitudinis videant in Verbo formaliter, quæcunque sunt in eo videnda per totam æternitatem? Respondent aliqui apud Herincx p. 1. tr. 1. disp. 5. n. 69. Beatos visuros esse successive nunc has, nunc illas creaturas, prout congruum ipsis erit, manente semper eodem actu visionis. Rationem dant: quia actus non variatur, nisi varietur objectum primarium, & motivum, quod hic non variatur. Verum hæc responsio merito reji- 347

citur a Smifing, & Herincx, quia vifio, & cognitio creata non poteft repræfentare aliquod objectum de novo, quod antea non repræfentavit: nam tendentia in objectum, & repræfentatio ejusdem identificatur cum actu cognitionis creatæ: ergo, fi ifta tendentia, & repræfentatio mutatur, debet etiam mutari intrinfece, ac deftrui totus actus cognitionis talis. Quare actus cognitionis creatæ non folum variatur juxta variationem objecti motivi, fed etiam terminativi. Et quamvis Scotus 1. d. 1. q. 2. n. 6. videatur favere huic refponfioni, tamen explicandus eft de identitate fpecifica fubalterna, quod fcilicet femper maneat vifio beatifica, feu faciens Beatum, quamdiu verfatur circa effentiam divinam: non vero quod maneat eadem numero, vel fpecie infima.

348 Refpondent alii 2do melius: Beatos vifuros nunc has, nunc illas creaturas, prout expediens eis erit, idque per diverfas vifiones beatificas fibi fuccedentes. Neque hoc obftat perpetuitati beatitudinis: cum etiam in hac fententia Beati continuo videant Deum, quamvis per diverfas vifiones beatificas, fine interruptione fuccedentes.

Neque obeft D. Auguftinus L. 15. de Trinitate c. 16. dicens: *fortaffis volubiles non erunt noftræ cogitationes ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, fed omnem fcientiam noftram uno fimul confpectu videbimus.* ℟. enim 1. Hæc verba non effe affertiva, fed potius indicare dubium, ut infinuat τὸ *fortaffis.* ℟. 2. cum D. Bonaventura 3. d. 14. art. 2. q. 2. ad 1. S. Auguftinum effe intelligendum de objecto primario, & effentiali beatitudinis, a cujus confideratione Beati nunquam recedent, fed femper illud intuebuntur, quamvis non per eundem actum.

349 ℟. 3. Cum Laudato Herincx, actum beatificum effe probabiliter femper ftabilem fine aliqua variatione, vel mutatione. Ita plerique cenfent, & indicat Scotus 3. d. 14. q. 2. n. 3. Et hinc, ne in noftra fententia vifio beatifica variari debeat, dico probabiliter, illa tantum *formaliter* videri in Verbo, quæ a principio beatitudinis, & per totam æternitatem congruit a Beatis videri: reliqua vero, quæ folum congruit fciri, quando contingunt, vel certo tempore, videri in Verbo a Beatis tantum *caufaliter*, v. g. per revelationes, aut illuminationes ipfis immiffas. Sic preces, dum funduntur ad Beatos, videntur quidem primum tunc, dum fiunt, & non antea: aft non per vifio-

visionem beatificam ipsam, bene vero intuitu visionis beatificæ per revelationem, aut illuminationem specialem &c. Ita probabiliter discurrit Herincx laudatus.

Articulus II.

§. Unicus.

An de absoluta Dei potentia videri possit Essentia divina non visis Personalitatibus, & una Persona non visa altera?

Assero. De absoluta Dei potentia videri potest Essentia divina non visis Personalitatibus. Ita communiter SSæ cum Scoto 1. q. 2. 350
n. 2. & 5. quos sequuntur multi RR.

P. 1. Inter Essentiam divinam, & Personalitates intercedit distinctio ex natura rei formalis, nec hæ in essentiali conceptu Essentiæ includuntur: ergo non est ratio, cur Essentia non possit videri sine Personalitatibus, quia sine his habet conceptum adæquatum visibilem, vel intelligibilem.

P. 2. Natura divina per æternam generationem communicatur Filio divino, & non communicatur illi Paternitas: ergo etiam Natura divina potest intentionaliter communicari intellectui Beati in ratione objecti, quin eidem communicetur, vel ab eo videatur Paternitas, aut alia Personalitas. Ex his

Deduces 1. Quod etiam Essentia divina possit per absolutam 351
Dei potentiam videri a Beato, quin videantur attributa ex natura rei formaliter distincta. Ratio est: quia & Essentia divina habet conceptum adæquate conceptibilem non conceptis attributis.

Deduces 2. Etiam unam Personam posse videri, quin videatur altera clare, Patrem divinum v. g. quin clare videatur Filius, quamvis Filius debeat in confuso cognosci. Ratio est: quia una Persona potest hypostatice uniri humanitati, quin uniatur altera: ergo etiam una potest uniri intentionaliter intellectui creato, & ab hoc videri clare, quin videatur altera clare. 2. Quamvis correlativa sint simul natura, & cognitione, & sic unum relativum non possit cognosci, altero non cognito; tamen non sequitur ex hoc, quod eodem

modo tendendi utrumque correlativum debeat cognofci. Sic poterit clare cognofci Pater, & ejus Paternitas, quin fimul attingatur clare, & intuitive Filius; fufficit enim fcire, Patrem referri ad aliquem filium, quamvis filius ipfe non clare, & intuitive, fed tantum confufe cognofcatur, ut Herincx, & Viva notant.

Deduces 3. Etiam attributa poffe videri, & Perfonalitates, non vifa Effentia. Ratio eft: quia hæc omnia fine Effentia habent conceptum adæquatum intelligibilem. Neque obftat, quod Effentia divina fit objectum motivum vifionis hujus, confequenter non vifa Effentia intellectus Beati non poffit moveri, aut determinari ad cognofcendas Perfonalitates, vel attributa; nam objectum hoc motivum, & repræfentativum, quod eft Effentia divina, tanquam medium prius cognitum, poffet probabiliter fuppleri per fpeciem intelligibilem divinitus productam, ut innuit Herincx.

352 Petes 1. An ejusmodi inadæquata vifio foret adhuc beatifica? Hæc eft plane quæftio de nomine; five enim beatifica fit, five non, dummodo fit poffibilis. ℞. tamen 1mo Vifionem Perfonalitatum, vel Attributorum fine effentia non effe beatificam. Ratio eft: quia non tenderet in objectum primarium beatitudinis, quod eft Effentia divina.

℞. 2do. Si Effentia divina videretur fine attributis, vel Perfonalitatibus, probabiliter poffet adhuc dici vifio beatifica, quamvis non tam perfecta, quam illa, quæ de facto in Beatis datur. Ratio eft: quia adhuc foret vifio primarii, & motivi objecti beatitudinis, effetque Beatus per talem vifionem fatiatus, ita, ut nihil aliud appeteret, eoquod appetitus in Patria fit fumme rectus, & ex affe conformis voluntati divinæ, nullumque gradum vel modum in gloria appetat, quem divina voluntas non concedit. Verum, ut dixi, hæc eft quæftio de nomine, parum curanda.

Petes 2. An Effentia divina poffit videri clare, & intuitive fine fuis modis intrinfecis, v. g. fine infinitate? Herincx p. 1. tr. 1. difp. 5. n. 56. Refpondet negative: rationem dat; quia modi intrinfeci continentur in conceptu perfecto, & adæquato Effentiæ. Ita quoque juxta laudatum non poteft videri Perfona divina fine fuis intrinfece conftituentibus, fcilicet fine natura, & Perfonalitate.

353 Objic. 1. S. Auguftinus in Pfal. 85. ait, Patris, & Filii vifionem non poffe feparari. ℞. Hos, & fimiles textus effe exponendos de potentia ordinaria, fecundum quam Beati vident intuitive Deum, ficuti

cuti est, & secundum omnia, quae in Deo formaliter continentur: Imo similes textus, uti & ille: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, loquuntur de cognitione abstractiva fidei. Ast nos ipsi concedimus, quod non possimus per fidem credere Filium, quin simul in confuso credamus, vel intelligamus Patrem; sunt enim correlativa.

Objic. 2. Visio Dei manifestat Deum, ut est in se: ergo secundum omnia praedicata divina. a. p. visio Dei est intuitiva: sed cognitio intuitiva semper manifestat objectum, prout est in se: ergo. ℟. D. a. Visio Dei manifestat Deum, ut est in se, hoc est, non aliter, ac est in se c. a. hoc est, secundum omnes formalitates, quas Deus habet in se subd. de potentia ordinaria c. a. extraordinaria n. a. Deinde visio intuitiva potest etiam esse praecisiva: differt tamen ab abstractiva praecise in hoc; quod cognitio abstractiva non dependeat necessario ab objecto praesente, & existente, bene vero intuitiva: atqui visio Essentiae sine attributis adhuc posset dependere ab Essentia, ut praesente, & existente, & sic esse intuitiva, quamvis etiam dari posset visio mere abstractiva, clara tamen, mediante specie intelligibili.

Objic. 3. Si creatura videret Deum sine attributis, videret eum tanquam ens imperfectum: sed hoc est absurdum: ergo. ℟. N. M. Talis enim visio non esset negativa, sed tantum praecisiva, seu non negaret perfectiones attributales de Deo, sed tantum ab illis praescinderet: seu videret quidem Deum sine aliquibus perfectionibus, non autem videret, Deum habere aliquam imperfectionem. Sic nos plures actus praecisivos, etiam fidei, de Deo elicimus, quibus unum tantum praedicatum in Deo concipimus, & tamen nemo dicit, nos concipere Deum tanquam ens imperfectum; talis enim conceptus esset falsus, & Deo injuriosus.

Objic. 4. Qui videt Essentiam, videt eam esse communicabilem tribus Personis: ergo non potest videre eam, nisi etiam videat tres Personas. ℟. D. c. Nisi videat abstractive, & confuse c. c. nisi videat clare, & distincte n. c.

Objic. 5. Non potest videri Persona divina, sine Essentia divina: ergo etiam non potest videri Essentia divina sine Personalitate. ℟. N. c. & paritatem: Persona divina intrinsece constituitur ex Essentia, & Personalitate: ast Essentia divina (formaliter spectata) non includit intrinsece in suo formali conceptu Personalitatem.

Dissertatio IV.

DE IPSA BEATITUDINE HOMINIS.

Articulus I.

Quid sit Beatitudo hominis?

§. I.

Præmittuntur Notanda.

354 Nota 1. Beatitudo est summum bonum hominis, quo obtento appetitus satiatur, & quiescit. Ita D. Thomas q. 1. Art. 5. & q. 3. Art. 1. & 2. Ratio hujus est: quia beatitudo perfecta, de qua hic agimus, excludit miseriam, & defectum; quod non faceret, nisi perfecte satiaret appetitum: non autem perfecte eum satiaret, & repleret, nisi esset summum bonum; nam appetitus non satiatur ullo bono, extra quod restat majus desiderandum. Ex quo

355 Nota 2. Beatitudinem, & ultimum finem esse idem secundum rem; nam finis ultimus rationabiliter intendendus utique ille est, quo obtento quiescit appetitus, nec aliud desiderare habet: atqui obtenta beatitudine juxta dicta quiescit appetitus: ergo ultimus finis, & Beatitudo secundum rem sunt idem.

356 Nota 3. Beatitudinem dividi in objectivam, & formalem. *Objectiva* est bonum illud, cujus possessione Beati efficimur, vel, est objectum beatitudinis formalis. *Formalis* est ipsa possessio illius boni. Interea beatitudo formalis magis proprie dicitur beatitudo, quam objectiva. Ratio est: quia magis proprie reddimur Beati ipso usu, & possessione rei, quam ipsa re; ab usu enim, & possessione dicimur Beati formaliter & intrinsece, per formam intrinsece inhærentem: a re autem sumus tantum Beati extrinsece, & objective. Constat vero denominationem formalem, & intrinsecam magis propriam esse, quam extrinsecam. Ut patet in exemplo: sic homo magis proprie dicitur sanus, quam medicina; quia homo intrinsece est sanus, medicina vero extrinsece, & causaliter, quatenus causat sanitatem formalem in alio. Quare beatitudo formalis a Theologis semper essentialis solet vocari.

Nota 4. Beatitudo objectiva, seu illud bonum, & objectum, 357
quod nos perfecte Beatos efficit, est solus Deus: quia ipse solus perfecte satiat appetitum nostrum juxta illud Psal. 16. v. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* & Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Unde D. Augustinus L. 1. Confess. c. 3. ait: *Fecisti nos Domine ad Te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te.* Ob hunc finem Deus non aliam mercedem, quam se ipsum, proposuit Abrahæ, omnium credentium Patri Genes. 15. *Ego merces tua magna nimis.* & Psal. 72. dicitur: *Pars mea Deus in æternum.*

Neque obstat, quod appetitus noster finitus sit; est enim solum finitus entitative, & intrinsece: hinc etiam intrinsece per entitative finitam possessionem summi boni satiari potest. Non vero est finitus objective, & terminative, sed etiam in infinitum bonum tendere potest: quo ergo solo terminative, & objective satiatur.

Ex quo habes, nullum bonum creatum, neque honores, neque divitias, neque voluptates esse beatitudinem objectivam; quia possessio nullius boni creati nos perfecte satiat, eoquod relinquat appetitum ad majus, nempe infinitum bonum possidendum.

Nota 5. Beatitudinem formalem non consistere in aliquo habi- 358
tu, sed potius in actu. Ratio est: quia illa assecutio ultimi finis, & conjunctio cum summo bono dicitur nostra essentialis beatitudo, qua obtenta rationalis appetitus quiescit: atqui nulla habitualis conjunctio, quæ v. g. fieret per habitum luminis gloriæ, charitatis, aut alium habitum, est ejusmodi: ergo. M. est definitio ipsius beatitudinis formalis. m. p. 1mo Quia etiam possesso ejusmodi habitu necdum quiesceret anima, sed appeteret ulteriorem conjunctionem, nempe actualem per actum visionis, & fruitionis. 2do Habitus supernaturales sunt potius causæ, & semina beatitudinis, non autem formalis beatitudo. 3. Destructis omnibus habitibus supernaturalibus, & Deo tantum extrinsece concurrente posset anima beatificari, & possidere Deum per visionem, & actum amoris fruitivum. 4to Quia nullum bonum hominem facit beatum, nisi illud rationali modo possideatur, & ejus bonitas percipiatur: atqui non possidetur rationali modo, nec percipitur, nisi per actus aliquos, non vero per meros habitus. 5. Quia esse beatum, est quoddam actuale vivere, quod solis actibus convenit. 6. In AAriorum sententia etiam dormiens, neque actu videns Deum esset beatus, dummodo haberet habitum illum supernaturalem, a quo dicitur beatus: quod est absurdum.

Nota 6.

359 Nota 6. Beatitudinem formalem non confiftere in illapfu quodam fubftantiæ divinæ in fubftantiam animæ. Ita unanimis contra Henricum, qui docuit, animam per talem illapfum transformari in Deum, ficuti ferrum candens apparet fransformatum in ignem. Ratio eft 1. Quia ille illapfus nequit effe præftantior unione hypoftatica: & tamen unio hypoftatica non formaliter beatificat animam Chrifti, quamvis eam juxta SS. PP. Deiformem reddat. 2. Quia non dato ipfo illapfu, qui aliunde difficillime explicatur, homo erit perfecte fatiatus per vifionem, & fruitionem Dei.

360 Nota 7. Neque beatitudinem formalem noftram confiftere in vifione, & fruitione increata Dei hominibus communicata. Ita unanimis TT. contra nonnullos DD. Parifienfes. Ratio eft 1. Quia S. Scriptura fignificat, beatitudinem confiftere in operatione noftra, quæ eft aliquid creatum; ait enim 1. Joan. 3. *Videbimus eum, ficuti eft.* 2. Beatitudo noftra fecundum PP. eft vita æterna: atqui vita connaturaliter eft interna viventi, & ab hoc connaturaliter exigit procedere. 3. Tali modo poffet dici, quod homini etiam poffent communicari alia attributa, v. g. Omnipotentia, Immenfitas &c. & fic poffet creatura fieri omnipotens, & immenfa per omnipotentiam, & immenfitatem Dei, ficut poteft fieri beata per communicatam beatitudinem Dei.

361 * Nota 8. Beatitudinem etiam non poffe dari in potentiis fenfitivis; hæ enim tanquam materiales non poffunt fe occupare circa objectum beatificum, nempe circa Deum, qui eft fpiritualis, & a fenfu imperceptibilis. Unde beatitudo formalis dabitur tantum in potentiis rationalibus. In his vero varii actus confiderari poffunt: ex parte intellectus quidem eft vifio Dei clariffima, quæ fuccedit fidei; ex parte voluntatis vero eft fruitio, feu amor amicitiæ, quo Beati in Deum clare vifum, & præfentem feruntur propter Deum. Præter fruitionem datur in voluntate Beati etiam amor concupifcentiæ, feu *tentio,* & *comprehenfio*, qua Beatus inhæret Deo per fruitionem, & vifionem poffeffo, hancque poffeffionem beatificam amat ut nobis bonam: hæc tentio fuccedit fpei. Ultra has operationes in voluntate etiam datur gaudium tam de vifione, quam de fruitione.

Nota c. Reftare dubium, in quo ex prædictis actibus confiftat Beatitudo formalis. Alii cum TT. volunt, eam confiftere in fola vifione: alii in fola fruitione: alii cum SS. & RR. multis in complexo ex utroque. Ubi advertas: Nos hic non loqui de beatitudine accidenta-

dentaliter, & integraliter accepta, quæ a Boëtio L.3. de Conſolat. deſcribitur *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus:* in qua acceptione includit etiam accidentia, quæ potius ad connaturalem ſtatum, quam ad eſſentiam beatitudinis faciunt. Et tali modo accepta beatitudo non ſolum importaret ſatietatem potentiarum rationalium, ſed & ſenſitivarum, ac corporis glorificationem. Sermo igitur ſolum nunc eſt de beatitudine eſſentialiter ſumpta, ſeu de illa perfectione, quæ primo, ac per ſe conſtituit Beatum, ac ſimpliciter appellatur Beatitudo, ſeu poſſeſſio formalis ſummi boni, complete, ac per ſe ſatians appetitum naturæ rationalis. H. N. ſit

§. II.

Statuitur noſtra Sententia.

Aſſero. Beatitudo formalis conſiſtit eſſentialiter in complexo ex 363
viſione beatifica, & amore fruitivo. Favet noſtræ ſententiæ Scotus 4. d. 49. q. 3. §. *ad quæſtionem* ℣. *primo modo.* n. 6. & 7. ubi docet, quod poſſit dici, quod beatitudo conſiſtat in actu intellectus, & voluntatis, quamvis principalius, & perfectius in actu voluntatis, quia per hunc perfectius attingitur, & poſſidetur objectum beatificum. Hanc concluſionem ex profeſſo tenent multi RR. & ex SS. Maſtrius in 1. diſp. 6. n. 306. Baſſolius, Bruniatus, Herincx, Sannig, Panger, & alii.

P. 1. Authoritate. Benedictus XII. Conſtit. IV. ait: *Quod ex tali viſione, & fruitione animæ eorum, qui jam deceſſerunt, ſunt vere beatæ.* ubi particula *vere* videtur idem ſonare, ac *eſſentialiter.* 2do. Catechiſmus Romanus in explicatione ultimi Articuli Symboli dicit: *Beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut Deum videamus, ejus pulchritudine fruamur.* 3tio. S. Dionyſius de Cœleſti Hierarch. c. 7. *In his beatitudo conſtat, cognoſcere, & amare Deum.*

Favet etiam noſtræ ſententiæ D. Auguſtinus, qui, quamvis l. 1. de Trinit. c. ult. dicat: *Sola viſio eſt ſummum bonum noſtrum, cujus adipiſcendi gratia præcipimur agere, quidquid recte agimus.* alibi tamen etiam in actu voluntatis conſtituit beatitudinem, ut L. 1. c. 32. *Hæc autem merces ſumma eſt, ut Deo perfruamur.* ac L. 1. de moribus Eccleſiæ c. 3. negat eſſe beatum, *qui non amat, quod habet, etiamſi* opti-

mum fit: & paulo poft fubjungit: *Quantum reftat, ut video, ubi vita beata inveniri queat, cum id, quod eft hominis optimum, & amatur, & habetur.*

P. 2. ratione. Beatitudo formalis eft completa poffeffio fummi boni, adæquate, ac per fe fatians appetitum creaturæ rationalis: atqui ejusmodi completa poffeffio fummi boni adæquate fatians appetitum creaturæ rationalis, eft complexum ex vifione, & amore fruitivo: ergo beatitudo formalis eft complexum ex illa vifione, & amore fruitivo. M. eft ipfa definitio beatitudinis formalis. Et plane, fi non habetur completa poffeffio fummi boni, tunc appetitus non eft fatiatus, fed petit compleri: fi autem non eft fatiatus, non eft plene contentus, fed adhuc inquietus, confequenter necdum vere beatus. m. vero p. Creatura rationalis habet duplicem potentiam, quæ poteft attingere Deum, ac proinde Deo fatiari petit, nempe intellectum, qui petit fatiari vifione Dei, & voluntatem, appetentem amorem fruitivum. adeoque creatura rationalis nequit aliter complete fatiari, nifi complexo ex utroque prædicto actu: neque adæquate poffidet Deum, nifi per utrumque hunc actum, & potentiam intentionaliter eidem uniatur: ergo.

364 Objic. 1. Multi textus funt, qui indicant, folam vifionem effe effentiam beatitudinis: ergo. ℞. 1. opponendo alios textus fuperius pro noftra affertione allegatos, præfertim Benedictum XII. qui certe nihil contra S. Scripturam, aut SS. PP. locutus eft. ℞. 2. Iftos textus loqui de vifione conjuncta cum amore, non autem de vifione qualicunque, ac præcife fecundum fe. Quemadmodum textus illi, qui fidei adfcribunt juftificationem, non intelligendi funt de fide fola, fed ut conjuncta cum aliis virtutibus: ita etiam textus Scripturæ, & PP. quando loquuntur de vifione, vel etiam amore beatifico, intelligendi funt non de fola vifione, vel de fola dilectione fruitiva, fed de qualibet ut conjuncta cum altera partiali beatitudine.

365 Objic. 2. Illud eft beatitudo formalis adæquata, quod primo diftinguit beatum a non beato, & quod eft radix omnium aliorum, quæ ad beatitudinem pertinent: fed iftud eft vifio beatifica fola: ergo. m. p. vifio enim beatifica diftinguit Beatum a non beato, ut per fe clarum eft: iterum hæc vifio eft radix, & fundamentum amoris beatifici, & confequenter aliorum prædicatorum, quæ vifionem, & amorem iftum confequuntur: ergo.

℟. N. 1mum membrum majoris; nam forma essentialis ligni distinguit primo lignum ab omni non ligno, & tamen hæc forma non est adæquata essentia ligni. 2dum membrum Maj. Dist. Illud est beatitudo formalis adæquata, quod est radix omnium aliorum, quæ ad beatitudinem pertinent tanquam proprietates, & accidentia c. M. quæ ad beatitudinem pertinent tanquam compars n. M. Potest una pars esse radix alterius compartis: sic in hoc concreto *ignis calidi*, quod ex igne, &, calore constituitur, ignis est pars, & simul radix alterius compartis, scilicet caloris, quem etiam exigit connaturaliter. Et insuper materia prima in omni toto materiali est pars, & simul est radix formæ tanquam alterius compartis, ad cujus eductionem tanquam causa materialis concurrit.

Præterea totum hoc argumentum retorqueri posset in lumen gloriæ, quod beatum distinguit a non beato, & simul est radix ipsius visionis, ac omnium aliorum, quæ Beato conveniunt. Denique illa major, quod illud sit prædicatum essentiale, ac differentiale primarium, quod est primo distinctivum, & simul est radix omnium enti alicui qua tali convenientium, locum universaliter tantum habet, quando agitur de essentia metaphysica, constituta ex pluribus prædicatis realiter identificatis: non vero, quando quæritur de pluribus entitatibus realiter distinctis, an omnes, vel una tantum ex illis ingrediatur essentiam non tam metaphysicam, quam physicam; in hoc enim ultimo casu prædicta regula, & major fallit, ut patet ex retorsione de lumine gloriæ. Imo etiam illa major, & regula non est intelligenda de tota, & adæquata essentia metaphysica rei, sed tantum de prædicato differentiali, præter quod & alia adhuc dantur prædicata essentialia.

Ex hoc habes, quid respondere debeas ad illam paritatem de Aseitate, quæ ideo est primarium prædicatum essentiale, & quasi differentiale in Deo, quia est primo distinctivum, & quia est radix reliquorum prædicatorum soli Deo convenientium. Nam 1mo potes retorquere in lumen gloriæ juxta dicta. 2do. Aseitas est prædicatum differentiale realiter identificatum cum reliquis, quorum est radix: non sic visio est identificata cum amore fruitivo, cujus est radix &c. 3. Aseitas non est solum prædicatum essentiale, sed præter illam etiam singularitas, & ratio Viventis &c. ergo etiam sola visio non erit constitutiva essentiæ beatitudinis, sed simul etiam amor fruitivus.

366 Objic. 3. Beatitudo objectiva eſt una: ergo & formalis. ℞. 1. Retorq. Argum. Objectum terminativum, & materiale fidei, & charitatis eſt ſæpe unum, nempe Deus: ergo etiam actus fidei, & charitatis eſt unus, idemque. ℞. 2. D. a. Beatitudo objectiva eſt una, ſed tamen attingibilis immediate duplici diſtincto actu c. a. ſecus n. a. & c.

Objic. 4. Beatitudo eſt operatio perfectiſſima: ergo etiam eſt una. ℞. D. c. eſt una, unitate ſimplicitatis n. c. unitate aggregationis c. c. Eſt una quidem beatitudo, ſed duplex operatio, quæ unam beatitudinem conſtituit: ſicut Petrus eſt unus homo, habet tamen duas partes, ex quibus conſtituitur.

Objic. 5. In ſigno priori, quo homo habet viſionem, jam eſt beatus: ergo beatitudo conſiſtit in viſione. ℞. D. a. eſt beatus inadæquate c. a. adæquate n. a.

Objic. 6. Ad beatitudinem formalem ſufficit radicalis ſatietas voluntatis: atqui hæc jam habetur per viſionem, quæ eſt radix fruitionis, & conſequenter ſatietatis voluntatis: ergo. ℞. 1. Retorq. Argum. ad beatitudinem ſufficit radicalis ſatietas intellectus, & voluntatis: ſed hæc jam habetur per lumen gloriæ, quod eſt radix viſionis, & conſequenter etiam fruitionis: ergo ſolum lumen gloriæ ſufficit ad beatitudinem formalem. Neque dicas, lumen gloriæ non eſſe actum vitalem; diſtinguo enim: non eſſe actum vitalem formalem, bene vero radicalem, ſicut viſio non eſt formalis, ſed radicalis fruitio, vel amor. ℞. 2. n. M. nam juxta communem perſuaſionem non eſt aliquis plene, & formaliter contentus, conſequenter nec formaliter beatus, niſi formaliter actu ſit ſatiatus. Ratio rationis habetur ex retorſione.

Objic. 7. Solus intellectus trahit ad ſe objectum, & quaſi poſſidet: voluntas vero potius trahitur, & poſſidetur ab objecto: ergo beatitudo, quæ eſt poſſeſſio objecti, in ſolo actu intellectus conſiſtit. ℞. D. M. in ſenſu metaphorico c. M. in ſenſu phyſico n. M. quia intellectus per ſpeciem expreſſam, & intellectionem objectum in ſe repræſentat, & efformat, ideo metaphorice dicitur objectum quaſi ad ſe trahere, voluntas vero, quia objectum in ſe non repræſentat, ſed quaſi pondus ad objectum fertur, ideo dicitur metaphorice trahi: in ſenſu tamen vero, & phyſico, cum amor ſit fortiſſima unio amantis cum amato, videtur eſſe firmior poſſeſſio, & conſecutio objecti amati, quam cogniti; ſæpe enim objectum cognitum fugimus.

Objic. 8. Fruitio est ipsa visio, & perceptio, non autem est actus appetitus, vel amoris; sic enim visio spectaculi, vel perceptio odoris, est fruitio talis spectaculi, est fruitio odoris: ergo. ℞. 1. N. a. quod est contra D. Augustinum, qui L. 1. de Doctr. Christ. c. 4. ait: *frui enim est, amore inhærere alicui rei propter se ipsam.* ℞. 2. Etiam in potentiis sensitivis probabiliter datur duplex actus: unus est perceptio objecti, alter est actus appetitus, & est delectatio de objecto percepto, quæ potest dici fruitio. Unde etiam, si sensus externi percipiant v. g. odorem ingratum, vel saporem ingratum, cum ejusmodi perceptione non statim conjungitur fruitio, vel delectatio &c. quia nempe tunc deest actus appetitus sensitivi &c.

Objic. 9. Pulchra spectacula solo visu possidentur: ergo etiam pulchritudo Dei. ℞. N. a. nam spectacula etiam complacentia possidentur.

Objic. 10. Si amor amicitiæ est pars essentialis beatitudinis, tunc & amor concupiscentiæ, seu tentio Dei, sicut & gaudium, quod consequitur utrumque amorem: sequela est contra nos: ergo. ℞. N. M. Tentio enim, & amor concupiscentiæ, uti & gaudium istud jam præsupponit essentialem beatitudinem, & hanc habet pro objecto; ideo enim delectantur beati, quia Deum plenissime possident per visionem, & fruitionem, in qua utraque possessione præsupposita tota beatitudo consistit. Tentio vero pariter respicit possessionem Dei, vel Deum beatifice jam possessum tanquam nobis bonum, & sic possessionem Dei non constituit, sed jam constitutam, & præsuppositam amat ut sibi bonam.

Objic. 11. Amor amicitiæ Dei etiam datur in via, ac præscindit ab absentia, & præsentia objecti; nam tam absentia, quam præsentia possunt amari: ergo per amorem amicitiæ Deus non possidetur tanquam bonum præsens. ℞. D. a. datur amor amicitiæ in via alius specie distinctus c. a. ejusdem speciei n. a. Amor Patriæ, qui essentialiter præsupponit visionem beatificam, essentialiter exigit præsentiam rei amatæ, qua tanquam præsente fruitur. Nam juxta Augustinum l. 8. de Civit. c. 9. *Nemo beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur.*

Objic. 12. Pœna damni est privatio solius visionis beatificæ: ergo sola visio beatifica est beatitudo. ℞. D. a. pœna damni inadæquata c. a. adæquata n. a. Adæquata pœna etiam importat privationem amoris.

367 Objic. 13. Amor Patriæ eſt operatio perfectiſſima, & viſio eſt ordinata ad amorem beatificum: ergo in amore unice conſiſtit beatitudo. ℞. N. c. nam totum integrale, vel eſſentiale componitur non raro ex partibus, quarum una eſt notabiliter perfectior, quam altera: ergo & taliter componi poteſt beatitudo ex partibus inæqualiter perfectis. 2. Eſto, viſio ſit ordinata ad amorem beatificum, tamen etiam eſt bonum ingens in ſe, appetibile propter ſe, & ſatians appetitum unius potentiæ.

368 De reliquo, quamvis beatitudo conſiſtat in complexo ex viſione, & amore fruitivo, tamen principaliter conſiſtit in actu amoris. Ita SSæ communiter. Ratio eſt 1. quia Amor eſt perfectior, quam viſio. 2. Quia perfectius unit hominem cum Deo; viſio enim eſt tantum imago intentionalis objecti præſentis: amor autem beatificus hominem quaſi in Deum transformat. 3. Fruitio procedit a nobiliori potentia, quam viſio. 4. Viſio ad fruitionem ordinatur, & fruitio eſt ultimo competibilis.

Advertas inſuper, operationem beatificam, nempe viſionem, & fruitionem, produci ab ipſo Beato effective influente cum habitibus ſupernaturalibus. Ratio eſt: quia ex una parte potentiæ vitales, ſcilicet intellectus, & voluntas, poſſunt effective concurrere ad iſtos actus: ex altera parte ipſi quoque hi actus, utpote vitales, connaturaliter exigunt produci a potentiis vitalibus Beati: ergo ſic ab ipſis potentiis vitalibus Beati producuntur &c. ne alias gratis, & ſine neceſſitate multiplicentur miracula, ſi recurratur ad Deum tanquam cauſam unice efficientem iſtorum actuum.

Articulus II.

Expenduntur aliqua dona, vel proprietates Beatorum, & Beatitudinis.

§. I.

De Perpetuitate Beatitudinis.

369 Affero 1. Beatitudo noſtra defacto eſt perpetua. Eſt de fide. P. Sap. 5. dicitur: *Juſti in perpetuum vivent.* Matth. 25. *Ibunt Juſti in vitam æter-*

æternam. Et ipsa beatitudo connaturaliter videtur exigere perpetuitatem; quia alias, si finiri posset, non perfecte eximeret hominem a miseriis. Hinc S. Augustinus L. 13. de Trinit. c. 8. *Nullo modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.*

Assero 2. Beati sunt etiam securissimi de æterna beatitudine, 370
seu etiam certo cognoscunt, nunquam esse amplius amittendam hanc beatitudinem. Ratio est: quia Beati partim æternitatem beatitudinis in via jam certo cognoverunt per fidem, partim etiam per visionem beatificam clare vident decretum Dei de beatitudine nunquam finienda; nam juxta Concilium Senonense vident per visionem beatificam omnia, quæ Ipsorum interest videre: atqui maxime interest videre Decretum de perpetuitate beatitudinis, utpote quæ cognitio tollit omnem anxietatem, quam de finienda illorum beatitudine habere possent.

Assero 3. Perpetuitas, & securitas, vel cognitio hujus perpetui- 371
tatis est connaturalis beatitudini, & ad eam complete, & integraliter sumptam spectat: non vero ipsam essentiam beatitudinis ingreditur. Scotus 4. d. 49. q. 6. §. *de tertio dubio.* n. 18. & §. *de secundo principali.* n. 23. Durandus, Ockam, Granadus, Herincx, & alii. Prima pars patet; quia beatitudo integraliter, extensive, & complete accepta secundum omnia, quæ quomodocunque ad statum beatitudinis pertinent, debet excludere, quantum est ex se, omnem miseriam, & anxietatem; ast hoc non faceret, si non perpetuo duraret, aut si de hac duratione perpetua Beatus non esset securus, sed dubius &c.

P. 2da pars. Beatitudo essentialiter consistit tantum in consecutione summi boni: atqui consecutio summi boni per visionem, & fruitionem potest dari sine perpetuitate, si etiam ad tempus alicui concederetur ejusmodi visio, & fruitio: ergo & perpetuitas, consequenter & securitas de ea, non spectat ad essentiam beatitudinis, sed potius est accidens aliquod, vel proprietas connaturalis, sequens essentiam.

Neque dicas: De essentia beatitudinis esse, ut satiet perfecte, & simul, ut anxietatem omnem depellat: quod non faceret ejusmodi temporanea visio, vel beatitudo. Contra enim est: Etiam temporanea sumptio cibi, & potus satiat perfecte pro aliquo tempore, licet non pro omni tempore: ergo & talis visio, & fruitio temporanea pro aliquo tempore perfecte satiaret, licet hoc non faceret pro omni tempore. 2. De essentia beatitudinis non est, ut omnem depellat anxietatem, & timorem

morem &c.; nam Chriftus patiens perfecte beatus fuit, & tamen anxietates, & timores fuftinuit.

§. II.

De Impeccabilitate Beatorum.

372 De fide eft, neminem donari beatitudine, nifi fit mundatus ab omni peccato. ut patet ex illo Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* & alibi. Imo etiam pœna pro peccato debita debet effe totaliter foluta, vel dimiffa ante ingreffum in beatitudinem. Ratio eft: quia neque macula peccati, neque pœna, aut reatus pœnæ ullatenus compatitur cum ftatu tantæ felicitatis, in quo eft omnium bonorum cumulus, cum carentia omnis miferiæ.

Pariter certum de fide eft, omnes Beatos defacto effe impeccabiles, feu non habere, vel unquam habituros potentiam propinquam ad denuo peccandum. Patet ex illo Apocal. c. 22. *Omne maledictum* (in cœlefti civitate Jerufalem) *non erit amplius.* Et 1. Petr. 1. Beatitudo dicitur *hæreditas incorruptibilis, & incontaminata.* Deinde, fi in fupernam civitatem Jerufalem nihil coinquinatum poteft intrare, minus poterit ibi exiftens coinquinari.

His, tanquam de fide certis, præmiffis, fuperfunt aliqua dubia. 1mum eft: an clara Dei vifio, qualem habent Beati, neque de potentia Dei abfoluta poffit ftare cum peccato habituali nondum remiffo, vel cum peccati macula. 2dum eft: an, & qua ratione habens claram Dei vifionem non poffit peccare actualiter? Quæ dubia per fequentes Conclufiones refolventur. Prius tamen ex Philofophia

Nota: Illud effe *phyfice* neceffarium, quod ita neceffario fit, ut naturaliter, vel fine miraculo omitti non poffit. *moraliter* neceffarium eft, quod quidem abfolute, & fine miraculo, vel naturaliter poteft fieri, vel omitti, ejus tamen omiffio eft ita difficilis, ut in æftimatione morali impoffibilis cenfeatur. Neceffitas ifta moralis habet fuos gradus: fupremus inter eos eft, quando quidem res aliqua naturaliter, & fpectando vires naturæ fine miraculo poteft omitti, certo tamen non omittetur. H. N.

Aſſero 1mo. Habens peccatum habituale nondum deletum poteſt per abſolutam Dei potentiam clare videre Deum. Ita Herincx p. 2. diſp. 2. n. 52. Viva p. 2. curſus Theolog. diſp. 1. q. 6. art. 3. n. 12. Suarez 1. 2. diſp. 10. ſect. 1. n. 23. Salas, Tannerus, Lorca, Medina, Hurtado, contra Vaſquez, Beccanum, Granadam, Turrianum. 371

P. Nulla eſt repugnantia, quin viſio clara Dei poſſit ſtare cum peccato habituali, vel concedi homini exiſtenti adhuc in ſtatu peccati habitualis; non enim eſt repugnantia moralis, vel indecentia: nam ſi Deus tot dona alia ſupernaturalia concedit ſine indecentia peccatoribus, cur non & viſionem claram ſui ſic illis concedere poteſt? Praeterea iſta clara viſio poſſet Deo ſervire ad juſte torquendum peccatorem; etenim hic peccator non modice torqueretur, ſi Deum ſibi infenſum clare aſpiceret.

Neque ideo repugnat, quia viſio beatifica ſanctificat formaliter, & ſic quaſi ex natura ſua phyſica expellit peccatum. Nam 1. forma formaliter ſanctificans eſt ſola gratia habitualis; cum enim gratia ſanctificans pro omni caſu aliquando futuro ſufficiat ad ſanctificandum formaliter, & expellendum formaliter peccatum &c. hinc non eſt ratio, cur iſtam vim ſanctificandi Deus etiam alicui alteri, v. g. viſioni clarae Dei annexuerit. 2. Quamvis etiam viſio beatifica formaliter ſanctificaret, & expelleret peccatum, tamen haec expulſio, & ſanctificatio eſſet reſpectu viſionis effectus ſecundarius, qui a Deo eſt ſupernaturaliter impedibilis. Sic etiam, quia expulſio frigoris ex ſubjecto eſt tantum effectus ſecundarius, poteſt a Deo impediri, ac calor, & frigus ſupernaturaliter in gradibus intenſis in eodem ſubjecto conſiſtere. Quod autem viſionis effectus tantum ſecundarius foret expellere peccatum, patet: quia viſio primario ordinatur ad Deum videndum.

Neque ideo repugnat, quia viſio ſemper conjungitur cum fruitione, & amore Dei perfectiſſimo, qui non poteſt ſtare cum peccato habituali. Nam 1. poteſt dari viſio clara Dei de potentia abſoluta, quin detur etiam amor amicitae fruitivus Dei. ut docet Scotus 1. d. 1. q. 4. §. *Negativa iſtius.* ℣. *Item quod dicit.* n. 14. Et in 4. d. 48. q. 1. §. *Hic dicitur.* ℣. *contra ſecundam concluſionem.* n. 5. & 6. & patet: Tum, quia Deus ſtante viſione clara poſſet ſuſpendere concurſum ad amorem

ſui fruitivum. tum, quia juxta dicenda viſio clara Dei non determinat metaphyſice, imo nec phyſice neceſſario ad amorem fruitivum. 2. Actus amoris Dei fruitivus non juſtificat formaliter, conſequenter nec formaliter expellit peccatum.

Confirm. Viſio Dei non eſt expulſio formalis peccati, ſed ſolum ex divina ordinatione, vel etiam connaturaliter exigit conjungi cum gratia ſanctificante prævia, formaliter expulſiva peccati, ad normam, qua calor exigit connaturaliter expelli frigus a ſubjecto: atqui Deus divinitus poteſt iſtas exigentias fruſtrare. Sic poteſt facere ſupernaturaliter, ut calor, & frigus in ſummo compatiantur in eodem ſubjecto, & non expellatur frigus juxta exigentiam caloris. Idem poteſt fieri in noſtro caſu.

Petes: An hæc clara viſio Dei in peccatore adhuc poſſet dici beatifica? Suarez apud Viva reſpondet, ejusmodi viſionem fore adhuc eſſentialiter beatificam; quia nimirum eſſet adhuc eſſentialiter viſio clara Dei: non autem fore beatificam quoad ſtatum, & perfectionem beatitudinis, eoquod non excluderet omnem miſeriam, & omne malum.

Aſſero 2. Viſio beatifica non neceſſitat Beatos phyſice ad non
374 peccandum actualiter: conſequenter Beati non ſunt phyſice impeccabiles. Herincx p.2. d.2. n.54. Brizenus, Poncius, Henno &c. contra plures alios.

P. Viſio beatifica nec ex ſua natura, nec ob amorem beatificum, cum quo conjungitur, neque ex alia ratione neceſſitat Beatos phyſice ad non peccandum: ergo non ſic neceſſitat. P. 1. memb. a. Viſio beatifica tantum hoc habet, quod clare oſtendat Deum ut ſummum bonum: atqui per hoc phyſice, & ex natura ſua non reddit Beatos impeccabiles; nam quamvis Beato habenti viſionem clare appareat Deus ut ſummum bonum, ſuper omnia amabile: & quamvis clare etiam videat Beatus, omnem offenſam Dei eſſe malam moraliter, tamen abſolute, & phyſice voluntas Beati manet adhuc libera, & indifferens ad eligendum peccatum velut delectabile, relicto, & poſtpoſito bono meliori, nempe Deo; etenim juxta dicenda in Tract. de Actibus humanis, voluntas humana poteſt inter duo bona propoſita relinquere notabiliter majus, & eligere minus. 2. Non obſtante viſione bea-

tifica

tifica Chriſtus libere fecit opera præcepta, ac proinde libere abſtinuit a peccato: conſequenter non fuit neceſſitatus phyſice ad non peccandum: ergo neque reliqui Beati, qui minorem habent viſionem beatificam, per eam phyſice neceſſitantur ad non peccandum.

P. etiam 2. memb. Licet amor beatificus Dei non poſſit ſtare cum offenſione Dei, tamen ipſa viſio beatifica ad amorem beatificum non neceſſitat phyſice: ergo neque mediate per amorem ſic neceſſitabit ad abſtinendum a peccato; ſi enim antecedens, ſeu amor beatificus, eſt phyſice liberum, tunc & conſequens, quod ſequitur ex amore beatifico, ſeu abſtinentia a peccato, erit phyſice liberum. a. probabitur Aſſertione ſequenti.

3tium membrum patebit ex ſolutione objectionum.

Aſſero 3. Beati adhuc libere amant Deum in Patria, libertate phyſica, ſeu non neceſſitantur phyſice ad Deum amandum. Ita laudati pro 2da aſſertione. 375

P. Nihil poteſt oſtendi, quod voluntatem Beati phyſice neceſſitaret ad actum amoris: ergo. a. p. nam 1mo non ſic neceſſitat viſio beatifica, quæ tantum eſt conditio applicativa objecti, infiniti quidem, finito tamen modo juxta capacitatem voluntatis creatæ; hæc autem eſt intrinſece libera, & indifferens ad agendum, vel non agendum, quam indifferentiam etiam videtur retinere, ſtante viſione beatifica; etenim clara viſio objecti nihil immutat in voluntate. 2. Neque neceſſitat phyſice habitus charitatis; ſiquidem hic jam exiſtit in Viatoribus, ſalva tamen libertate indifferentiæ. Iterum habitus hic ſubeſt dominio voluntatis, quæ illum pro libitu ſuo ad operationem determinare poteſt, vel ejus operationem ſuſpendere. 3. Neque alia cauſa phyſice neceſſitans poteſt oſtendi: maxime cum nulla ratio, nullaque authoritas ſuadeat, dari talem phyſicam neceſſitatem in Beatis; nam admiſſa ſola neceſſitate morali ſtrictiſſime tali, omnia, quæ in re hac ſunt ſalvanda, ſalvari poſſunt: ergo.

Confirm. Si objectum beatificum clare viſum neceſſitaret Beatum ad amorem Dei, tunc ideo, quia illud ſub omni ratione bonum, & ſub nulla ratione ut malum proponitur: atqui hæc ratio nihil probat; ſiquidem voluntas tanquam potentia libera, & domina ſuorum actuum ſe ipſam libere determinat ad agendum, non autem ab obje-

cto extrinfeco, qualitercunque ut bono oftenfo, determinatur; alias enim non effet amplius differentia inter voluntatem, & intellectum: quia voluntas æque neceffario ageret præfente objecto fub ratione boni propofito, ficut intellectus neceffario affentit objecto evidenter vero: atque tali ratione etiam voluntas foret potentia neceffaria. Adeoque, quamvis objectum fub omni ratione ut bonum, & fub nulla ratione ut malum proponatur, voluntas tamen manet indeterminata, & indifferens ad illud amandum, vel omittendum actum amoris; etenim bonum quidem movet, non vero neceffitat phyfice ad fui amplexum, & amorem. Hoc tamen verum eft, quod tale bonum, quod proponitur fub omni ratione ut bonum, & fub nulla ut malum, non poffit aliquis pofitive odiffe; quia non odimus, nifi malum: fed tale objectum, ut fupponitur, non proponitur ut malum: poffumus tamen omittere actum amoris. De hac re plura dicentur in Tract. de Actib. Humanis.

Affero igitur, Beatos moraliter quidem neceffitari ad amandum Deum, & abftinendum ab omni peccato, quatenus fe clare, & ut bonum fub omni ratione Deus ipfis oftendit, & fingulariter illos protegit, ne unquam ceffent ab amore. Sic etiam confirmati in gratia retinent fuam libertatem, ac poffunt quidem peccare, potentia etiam phyfica, & naturali, non tamen peccabunt unquam, eoquod a Deo ita fpecialiter protegantur, iisque gratiis præveniantur, quibus ftantibus moraliter eft impoffibile peccatum grave, vel amiffio ftatus gratiæ.

Neque contrarius eft Scotus 4. d. 49. q. 6. §. *contra fecundam propofitionem.* n. 9. ubi videtur docere, quod Beati folum habeant potentiam remotam ad peccandum, & non amandum Deum; per hoc enim intelligit, quod Beati non habeant potentiam proximam moralem, & immunem a neceffitate morali ftrictiffime tali, feu in fummo gradu. Cæteroquin ibi, & 1. d. 1. q. 4. n. 13. contra D. Thomam docet, quod Deus beatifice vifus non neceffitet phyfice voluntatem Beatorum ad fui amorem.

376 Objic. 1. Beatus fe habet ad Deum clare vifum, ficut Viator ad bonum ut fic propofitum: fed Viator neceffario amat bonum ut fic: ergo & Beatus neceffario amat Deum clare vifum. ℟. Tr. M. n. m. nam etiam Viator poteft fufpendere, & omittere actum amoris refpectu boni

boni ut sic: saltem habet potentiam adhuc physice liberam ad omittendum ejusmodi actum amoris.

Objic. 2. In objecto infinito, seu Deo, clare proposito apparet infinita ratio boni, & nulla ratio mali: neque in actu amoris apparet aliqua difficultas, vel ratio incommodi, aut mali: ergo voluntas necessario amat Deum clare visum. ℞. D. c. necessario necessitate morali c. c. necessitate physica n. c. Quamvis tale summum bonum clare propositum Beatus non possit odisse, uti nec odio habere potest bonum ut sic, aut beatitudinem in communi, posset tamen non amare, cessando ab actu amoris, adeoque haberet adhuc libertatem physicam contradictionis, & exercitii, quamvis non haberet libertatem contrarietatis, vel specificationis. Item non obstante clara visione summi boni posset amare bonum minus, & finitum, delectabile, ac prohibitum, uti dictum n. 374. 377

Objic. 3. Deus necessario se amat, necessitate physica & metaphysica, quia clare videt suam essentiam: ergo etiam Beatus ita necessitatur ad amandum Deum, quia ejus essentiam clare videt. ℞. N. a. vel potius causalem ejus. Deus non ideo, quia se clare videt, necessario se ipsum amat: sed potius quia ipse est ens omni ex parte infinitum, sibi identificans necessario omnem perfectionem simpliciter simplicem. qua de causa etiam beatitudinem, ac sanctitatem, quæ sunt perfectiones simpliciter simplices, & principaliter in amore rectissimo essentiæ divinæ consistunt, sibi identificare debet. Pariter ex ratione quidditativa voluntatis suæ rectissimæ, & sanctissimæ, præscindendo quoque a visione, & cognitione sui, non potest peccare. 378

Objic. 4. Infinita Bonitas, & Essentia Dei per fidem cognita sæpe tamen potens est, ut summa vehementia voluntatem ad sui amorem rapiat: ergo eadem bonitas clare cognita multo potentius voluntatem Beatorum trahet, eam necessitando. ℞. D. c. necessitando moraliter, & quidem in summo gradu necessitatis moralis c. c. necessitando physice n. c. Ex his 379

Deduces, gratis dici, quod Beati eatenus habeant physicam impeccabilitatem, quia a Deo prædeterminantur ad amorem beatificum incompossibilem cum peccato actuali; nam tale Decretum, vel qualitas prædeterminans non satis probatur, & aliunde sine illo per necessitatem moralem strictissimam omnia salvantur, quæ salvari debent. Sic enim in sensu proprio Beati dicuntur impeccabiles: quia quidem 380

peccare possunt, sed stante visione beatifica, & protectione divina singulari, qua gaudent habentes hanc visionem, certo nunquam peccabunt: unde habent impeccabilitatem moralem, seu necessitatem moralem non peccandi. Sic ex opposito dicimus, neminem sine speciali privilegio vitaturum esse omnia peccata venialia, vel sine gratia gravi tentationi restiturum, quamvis habeat potentiam physice liberam, etiam secluso privilegio illo vitandi omnia venialia collective sumpta, & quamvis sine gratia speciali possit physice loquendo vincere gravem tentationem. Proinde, sicut propriissime dicimus, esse impossibile sine gratia resistere gravi tentationi, ita etiam propriissime stante nostra sententia dicimus, esse impossibile, Beatum peccare.

Sunt etiam aliqui, qui dicunt, Beatos ideo necessitari ad non peccandum, & ad amandum, quia Deus offert tantum concursum ad amorem, & non ad peccatum. Verum hoc iterum sine necessitate videtur dici, maxime, quia sic Deus non connaturali modo juxta exigentiam voluntatis concurreret, & ipsam impediret, ne libertate sua uti posset. 2do. Dato, quod Deus tantum concursum offerret ad amorem, vel iste prædeterminaret, vel non? non primum: ob prius dicta. neque secundum: quia, si non prædeterminat, aut necessitat antecedenter, tunc voluntas saltem suspendere adhuc posset actum amoris, & eum omittere. ergo necdum esset necessitata ad amorem, quamvis ob denegatum concursum esset necessitata ad abstinendum a peccato.



TRA-

Tractatus V.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

Præfatio.

Dum ad contemplandum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium accedimus, non ad apertam, ac multo ſole illuſtratam planitiem, ſed ad abſtruſos receſſus, & ſacra caligine contectos calles, in quibus abyſſus abyſſum invocat, & nox nocti indicat ſcientiam, evocamur, inducimurque. Si enim unanimi Patrum ſuffragio fides eſt habenda, nil ita a ratione humana remotum, nil tam ſublime, quam ineffabile Dei Trini arcanum, de quo S. Auguſtinus L. 1. de Trinit. c. 3. veriſſime enuntiat: *Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.*

Nihilominus ad ingrediendum iter hoc caliginoſum, quo usque ad abſconditum Divinæ fœcunditatis ſinum penetrare eſt ſtatutum, omnes perhumane invito; quamvis enim laborioſum hoc opus ſit, imo, ut egregie Magnum Eccleſiæ Lumen, Maximus Auguſtinus loco mox cit. pronuntiat: *nec laborioſius aliquid quæratur:* eodem tamen authore, ac teſte, *nec fructuoſius quid invenitur.* Totius hic fidei noſtræ fundamentum latet, cujus cognitioni ipſa per baptismum regeneratione addicimur, & initiamur. Nec lapſum, nec tenebras metuamus, ubi captivato in obſequium fidei intellectu, lumen præfert ampliſſimum veritas orthodoxa. Si quid obſcuritatis affundant Scolaſticæ ſubtilitates, facem accendet Ductoris, ac Doctoris noſtri ſubtiliſſimi perſpicacia. Itaque in nomine, & ad honorem SSmæ & Individuæ Trinitatis ſit

Differ-

Dissertatio I.

DE COGNOSCIBILITATE HUJUS MYSTERII.

Articulus. I.

Probatur SS. Trinitas adversus Judaeos, & Haereticos.

381 Per Trinitatem Catholici intelligunt Triadem Divinarum Personarum sibi coaequalium, & ab aeterno existentium in unitate ejusdem essentiae. Quare Sanctissima Trinitas in essentiali suo conceptu non solum involvit tres realiter distinctas Personas, sed etiam unitatem essentiae, quae omnibus tribus Personis divinis aequaliter inest.

Hanc doctrinam Catholicam plures jam impugnarunt adversarii, expugnarunt tamen nunquam. Ita *Sabelliani* (a Sabellio suo Duce sic dicti) admiserunt unam tantum realiter Personam in Deo, quae secundum diversa connotata, munia, & nomina modo Pater, modo Filius, nunc Spiritus Sanctus appellatur: Pater quidem, quatenus in tempore creat mundum, & creaturas: Filius, quatenus ex Virgine natus est, & ex ea carnem assumpsit: Spiritus Sanctus, quatenus in tempore creaturas rationales, seu Angelos, & homines sanctificavit. Fuerunt hi etiam vocati *Patropassiani*, quia dixerunt, Patrem esse passum pro nobis. Hos secuti sunt *Deistae*, & *Trinitarii*, pariter unam tantum Personam in Deo admittentes.

Ariani dixerunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse quidem tres Personas, sed solum Patrem esse Deum, Filium autem, & Spiritum Sanctum esse creaturas, consequenter non consubstantiales Patri.

Macedoniani (qui & *Semi-Ariani* vocantur) tenuerunt, Spiritum S. esse creaturam, & nihil habere commune cum Patre, & Filio, sed tantum esse ministrum ipsorum.

Tritheitae admiserunt tres Deos, distinctos tam quoad Personas, quam essentias. Pariter SS. Trinitatem impugnant Mahometes, ac Judaei. Hi, seu Judaei, unum solummodo concedunt Deum sine pluralitate Personarum: ille vero non solum negat Trinitatem in unitate, sed

sed & absurdissime confitetur numerum binarium in Deo, scilicet essentiam divinam, & ejus animam. Hic agendo contra solos Haereticos, ac Judaeos, ponitur

§. I.

Probatur principiis Fidei veritas, & existentia SS. Trinitatis.

P. 1. Ex Veteri Testamento contra Judaeos. Genes. 1. Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* & subjungit: Et creavit Deus hominem *ad imaginem, & similitudinem suam.* In quo textu pluralitas Personarum per τὸ *faciamus*, & τὸ *nostram* indicatur, unitas vero naturae designatur per vocabulum *Deus.* 382

Respondebis 1mo. Deum fuisse locutum ad se ipsum, & se ad agendum excitasse, dicendo: *faciamus.* Contra est: si Deus una tantum esset Persona, & haec sibi ipsi fuisset locuta, tunc non adhibuisset numerum pluralem, sed debuisset dicere in singulari: *faciam.* 2. S. Basilius Homil 9. Hexameron explodit hanc responsionem his verbis: *quis sibi soli admurmurat, dicens: faciamus gladium, aut compingamus aratrum &c. ac non potius silentio suam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? sunt enim insignes profecto nugae, unum aliquem inveniri, qui sibi imperet.*

Respondebis 2do. Deum, licet sit una tantum Persona, locutum esse numero plurali more Principum, & Nobilium ad ostendendam suam authoritatem. Contra est: Hoc est contra usum Scripturae, juxta quem Deus loquens semper singulari utitur, ut Theodoretus advertit in Genesin q. 19. ergo quando praeter morem suum adhibet numerum pluralem, id facit ad exprimendum speciale mysterium, quale est SSmae Trinitatis.

Respondebis 3tio. Deum per τὸ *faciamus*, fuisse allocutum Angelos, ut illi quoque concurrerent cum Deo ad creationem hominis, nimirum efformando corpus, dum Deus produceret animam. Contra est 1. Sacra Scriptura productionem integram hominis soli Deo adscribit, ut c. 1. Gen. *creavit Deus hominem.* & c. 5. *In die, qua Deus creavit hominem.* 2. Ad illos directus est ille sermo *faciamus*, ad quorum similitudinem factus est homo; id enim colligitur ex textu supra citato: atqui homo est tantum factus ad similitudinem trium

Perſonarum divinarum, non autem Angelorum; hinc iterum dicitur Gen. 1. *creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam:* ergo ille ſermo ad tres Perſonas divinas, non autem ad Angelos fuit directus.

Reſpondebis 4to. Ex antiquo Teſtamento colligi quidem pluralitatem, non autem Trinitatem Perſonarum. Contra eſt 1mo Trinitas Perſonarum aperte colligitur ex illo Geneſ. 18. ubi Abrahæ *apparuit Dominus.* Ac ſubjungitur: *apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cum vidiſſet, accurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & odoravit in terram, & dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Ubi Tres Viri ſignificant Trinitatem Perſonarum; & τὸ *Dominus*, ac *Domine* in ſingulari dictum deſignat unitatem naturæ, quam habent illæ tres Perſonæ divinæ, prout advertit D. Auguſtinus L. 2. de Trinit. c. 12.

Contra eſt 2. Trinitas divinarum Perſonarum probatur ex illo Triſagio Seraphinorum, qui ut Iſai. c. 6. dicitur: *Clamabant alter ad alterum: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus exercituum.* ut egregie notat D. Ambroſius L. 2. de fide ad Gratianum c. 4. Plura alia teſtimonia ex antiquo Teſtamento deſumpta paſſim ſuppeditant Theologi.

Sunt & alii Critici Hebraicæ linguæ periti, qui ex ipſo initio Textus hebraici libri Geneſis deducere conantur efficacem probationem SS. Trinitatis, quod ſic ſonat: בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים ſeu *Bereſchit pala Eloim.* id eſt: *In principio creavit Dii:* ex quo per ſingularem verbi eliciunt unitatem Dei, per pluralem nominativi pluralitatem perſonarum. Quod ſaltem probabile momentum arbitratur P. Berty contra moroſos Criticos. Verum quia Bellarminus L. 2. de Chriſto c. 6. cum aliis non tribuit multum huic argumento, hoc aliis Criticis, quibus plus otii eſt, relicto, contentus ſum aliis multum efficacibus.

383 P. 2. Ex novo Teſtamento, & aliis contra Hæreticos. 1mo Matthæi ult. Chriſtus jubet baptiſma conferri *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* ubi non ſolum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nominantur ut diſtinctæ Perſonæ, ſed etiam per τὸ *in nomine*, unitas Potentiæ, Deitatis, ac authoritatis divinæ omnibus tribus Perſonis tribuitur. Hoc textu Ariani convicti in collatione baptiſmi omittebant τὸ *in nomine*, & dicebant ſolum: *Baptizo te in Patre,*

tre, & Filio, & Spiritu Sancto, ut ſignarent tres Naturas, ut ſcribit S. Athanaſius L. 7. ad Theophilum.

2do. Joannis 5. Chriſtus dixit: *Ego & Pater unum ſumus.* In quem textum D. Auguſtinus Tract. 6. in Joan. ita loquitur: *Quod dixit, unum, liberat te ab Ario*, qui negavit unitatem eſſentiæ Filii cum Patre: *quod dixit, ſumus, liberat te a Sabellio*, qui negavit diſtinctionem, & pluralitatem Perſonarum divinarum. Et pergit S. Doctor: *Si unum: non ergo diverſum. Si ſumus: ergo & Pater, & Filius; ſumus enim non diceret de uno.*

3tio. Oſtenditur hæc veritas ex doctrina conſtanti Eccleſiæ, a cujus ortu usque in præſentem diem ſemper hoc myſterium fuit creditum: imo illud eſt in variis Conciliis tam apud Græcos, quam Latinos definitum, ut videre eſt apud noſtrum Fraſſen. Patet etiam ex Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſii &c.

§. II.

Hoc Myſterium ſolidiſſime, & efficaciſſime probatur ex Epiſt. 1. *Joan. c.* 5. *v.* 7.

Dicitur hoc loco: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Hunc textum genuinum S. Joannis eſſe contra Eraſmum, & Richardum Simonium in Hiſtoria critica du Nouveau teſtam. l. 1. c. 18. valide

P. 1. Ex ipſo contextu hujus Epiſtolæ; ſiquidem cum v. 7. di- 384
xiſſet S. Joannes: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater &c. & hi tres unum ſunt:* ſtatim verſum 8vum a particula copulativa incipit: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Supponit ergo hæc connexio copulativa verſum ſeptimum, cui opponitur; duo enim hæc extrema *cœlum*, & *terram* ad ſe mutuo refert, & comparat inter ſe, atque ſibi invicem opponit. Hinc iſte verſus ſeptimus eſt vere S. Joannis, & ad ipſum Epiſtolæ Joannis textum ſpectat, ne alias ejus oratio manca, & confuſa ſit.

P. 2. Eccleſia hæc verba verſus ſeptimi legit in publico officio Dominica SS. Trinitatis aliiſque poſt Pentecoſten Dominicis. Concilium quoque Tridentinum, dum omnes S. Scripturæ libros cum omnibus ſuis partibus, & prout in Eccleſia legi conſueverant, ac in

veteri Vulgata editione habentur, suscepit, versum hunc simul suscipit, utpote qui in Ecclesia legi consuevit, & adhuc legi solet, & in veteri Vulgata lectione continetur.

Adde: Anno 484. Teste Victore Vitensi Episcopo L. 2. Persecut. Afric. Provinc. Episcopi Mauritaniæ, & Sardiniæ numero fere 400. in Professione fidei eorum nomine ab Eugenio Carthaginensi Episcopo Hunerico Wandalorum Regi oblata hæc inter alia affirmant: *ut adhuc luce clarius unius esse Divinitatis cum Patre, & Filio Spiritum S. doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.*

Confirmatur ex antiquis Manuscriptis Codicibus, tam Græcis, quam Latinis, in quibus hic versus legitur. In Codice quodam Britannico, cujus ob vetustatem suam tanta fuit apud Erasmum authoritas, ut versum hunc in præcedentibus suis versionibus omissum in posterioribus restituerit. In Codicibus, quibus usi sunt Authores Complutensis Editionis anno 1517. Qua de re, ait noster Cardinalis Franciscus Ximenius in Præfatione, maxima laborum pars in eo præcipue versata fuit, ut castigatissima, vetustissimaque exemplaria, Hebraica, Græca, & Latina pro Archetypis haberemus. In septem Codicibus, quos Robertus Stephanus ex Italia, Gallia, & Hispania conquisitos in adornanda novi Testamenti editione adhibuit. In Codice Latino Bibliothecæ S. Germani a pratis ante 800. & plures annos sub Lothario Rege scripto. In Codice Latino PP. Prædicatorum Parisiensium ante 400. vel plures annos conscripto, & emendato ex Codicibus Manuscriptis jussu Caroli Magni exaratis: ubi etiam ad hunc versum addita est in margine hæc nota: *Hic corrupti quidam libri Græcorum, ut ait S. Hieronymus hoc capitulum non habent, quo maxime fides catholica roboratur.* In Codice antiquissimo Corbejensi, & aliis multis, quos laudant Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia in Annotat. ad Prologum S. Hieronymi in Epistolas Canonicas: ergo. Adde & illos Codices, quibus usi sunt PP. mox laudandi.

Roboratur igitur ulterius testimonio veterum Ecclesiæ Patrum: ut S. Cypriani, qui lib. de unit. Eccles. ait: *De Patre, Filio, & Spiritu S. scriptum est: Et hi tres unum sunt.* S. Athanasii, qui in Disput. contra Arium eadem verba adhibet. S. Hieronymi, qui conqueritur in Prologo ad Epistolas Canonicas, versum hunc ab infide-

libus

libus Translatoribus omiſſum fuiſſe. Victoris Vitenſis jam allegati. S. Fulgentii, qui totum hunc verſum, tanquam germanum S. Joannis adverſus Arianos adducit. Caſſiodori, qui hunc verſum ex Joannis Epiſtola refert. in Epiſt. 1. Joan. c. 5.

Liceat probationem iſtam concludere teſtimonio omnium recentiorum Scriptorum Catholicorum, & Acatholicorum, qui noſtram defendunt ſententiam. Sic Eraſmus omiſſum hunc textum in priore ſua novi Teſtamenti editione poſtea reſtituit, ut jam dictum eſt. Calvinus commentario in Epiſt. 1. Joan. c. 5. v. 7. hunc textum vult recipiendum, quia eo addito oratio optime fluit, atque is in emendatioribus, & melioris notæ exemplaribus reperitur. Calvinum ſequitur Beza notis in 1. Joan. c. 5. v. 7. & omnes Calviniſtæ. Pariter & Lutherani hunc textum, a Luthero quidem deletum, in ſuis editionibus reſtituerunt, & tanquam validiſſimum argumentum Anti-Trinitariis oppoſuerunt. Catholici per ſe eum verſum tanquam genuinum S. Joannis tuentur, ſi unicus dematur Simonius, qui contra torrentem hic incaſſo labore nititur.

Hic non prætereundum eſt Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cui Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus Patriarcha, & per ſuos Legatos Alexandrinus quoque, & Antiochenus cum plurimis Græcis Epiſcopis interfuere: ubi Patres inſtructionem edidere, qua Joannis locus, de quo hic agitur, utrique Eccleſiæ probatus, ad fidei dogma fulciendum affertur. Ita habetur ex Editione Labbei.

Simonius laborat quidem aliqua ex noſtris argumentis rejicere, 185
ſed nihil evincit. 1mo ait, S. Cyprianum hæc verba: *Et hi tres unum ſunt*, retuliſſe tantum ex verſu octavo, quo agitur de teſtimonio Spiritus, aquæ, & ſanguinis, & ſolum accommodaſſe Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Verum R. S. Cyprianus abſolute, & diſerte ait: *De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt.* Sed hoc ſcriptum eſt apud Joannem v. 7. Neque eſt ſermo Cypriano de teſtibus terreſtribus *aqua, ſanguine, & Spiritu.*

Neque 2do. Simonius ſuam priorem aſſertionem fulciat authoritate Facundi cujusdam Scriptoris Afri. Hic enim vir, ne legit quidem S. Cyprianum, ut qui apud Simonium Hiſt. Crit. du nouveau teſtam. l. 1. c. 18. citat librum, ſeu Epiſtolam S. Cypriani de Trinitate, in quo ſcripſerit accommodando verſum octavum Joannis de aqua,

ſanguine, & Spiritu ad SS. Trinitatis tres Perſonas: cum tamen S. Doctor nullum librum, vel Epiſtolam de SS. Trinitate ſcripſerit, ſed ſolum libro *de Unitate Eccleſiæ* Trinum Perſonarum Divinarum unitatem ex adducto Epiſt. 1. S. Joannis c. 5. 7. verſu demonſtret.

Profecto S. Fulgentius Facundum iſtum & ætate, & authoritate antecellit, qui laudato verſui ſeptimo quinti capitis Joannis hæc ſubdit: *quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de unitate Eccleſiæ teſtatur, dicens: de Patre, & Filio* &c. Pluris igitur valeat S. Fulgentius, quam Facundus ille.

3tio. Eodem fere modo Simonius agit contra S. Athanaſii ſupra allatum textum. Ait nempe, S. Athanaſium in Diſputatione contra Arium tantum illa verba: *Et hi tres unum ſunt:* ex verſu octavo de aqua, ſanguine & ſpiritu deſumpta adaptaſſe SS. Trinitati. Verum & iſte conatus Simonii priore non eſt fortior; licet enim S. Athanaſius ex Epiſtola 1. Joannis hæc tantum dicat: *Inſuper præter iſta omnia Joannes dicit: Et hi tres unum ſunt;* clariſſimum tamen eſt, eidem ibi non eſſe ſermonem de verſu 8. c. 5. ejusdem Epiſtolæ primæ, ſeu de ſpiritu, aqua, & ſanguine terreſtribus teſtibus, quos deinde per accommodationem ad tres Perſonas divinas inflecteret; nam hoc nimis frigidum, & parum valens argumentum adverſus Arium fuiſſet, ab ipſo facili negotio ſolvendum. Eſt ergo ipſi tractatus de verſu 7mo dicti capitis quinti: quippe ipſi toto diſputationis contextu, & paulo ante teſtimonium Joannis non niſi de Patre, Filio, & Spiritu S. eſt ſermo, & ea omnia, quæ ex veteri, & novo Teſtamento congeſſerat, velut epiphonemate concludit hiſce verbis: *Inſuper præter iſta omnia Joannes dicit: Et hi tres unum ſunt.*

4to. Contra eundem Simonium eſt, Prologum S. Hieronymi in Epiſtolas Canonicas certo eſſe illius: etenim reperitur in exemplaribus ante 700. & 800. annos, atque in pluribus tempore Caroli Magni editis. Burnetus Anglus in Voyageur de Suiſſe, & d'Italie teſtatur, illud in omnibus, quæ viderat exemplaribus Manuſcriptis, ut in Manuſcripto Baſileenſi, inveniri. Et videtur palam eſſe, eum eſſe hujus S. Doctoris, quod non modo illius velut authoris nomen præferat, ſed etiam piæ fœminæ Euſtochii, ad quam eſt exaratus.

5to. Codicibus Manuſcriptis, in quibus verſus is non legitur, multo plures objicimus, in quibus legitur. Adde ex Calmet, & Boſuet Meldenſi Epiſcopo, Patrum authoritatem præ manuſcriptis eſſe haben-

habendam, quia Patres ferme omnibus Manuſcriptis, quæ ad nos pervenerunt, vetuſtiores ſunt. Et utique Patres non allegaſſent illum textum, niſi in exemplaribus probatis legiſſent.

6to. PP. Græci, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Dydimus, & Latini: Auguſtinus, Leo, Beda &c. prætermiſere hunc textum, quia forte Codicibus, in quibus deerat, utebantur: vel, quia in controverſia poſito textu uti nolebant, cum aliunde ex S. Scriptura alia teſtimonia abunde ſuppeterent, quibus Adverſarios ſuos retunderent.

7timo. Hic textus omiſſus ab initio videtur alicujus Librarii, vel Tranſcriptoris vitio, qui, cum initium verſus ſeptimi deſcriberet his verbis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant*, errante oculo, & calamo ſtatim ad verſum octavum tranſiit, atque ex incuria reſiduum verſus ſeptimi omiſit. Hujusmodi lapſus in ſimilibus frequentes ſunt, quorum multa exempla afferunt PP. Benedictini in ſuis ad Prologum S. Hieronymi ad Epiſtolas Canonicas obſervationibus. Secundum tale mancum exemplar deinde plura alia exarata ſunt: unde factum, ut in aliquibus Codicibus, in quibus primo verſus deerat, vel ipſius Deſcriptoris, vel aliena manu reſtitutus, & vel intra lineam, vel in margine poſitus fuerit. Vel etiam dici poteſt, quorumdam Græcorum Arianorum malitia fuiſſe prætermiſſum.

8vo. Dum objicit Blandrata apud Bellarminum Tom. 1. Controv. generali 2. de Chriſto Lib. 1. cap. 6. Non ſecus dici de ſpiritu, aqua, & ſanguine, *unum ſunt*, ac de Patre, Filio, & Spiritu Sancto: atque adeo, ſicut ſpiritus, aqua, & ſanguis non ſunt unum numero, imo nec ſpecie, ita nec Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum eſſe unum numero, aut ſpecie, ſed ſola conſenſione. ℟. Cum eodem Bellarmino: quod attinet ad illud: *& hi tres unum ſunt*, illa verba in multis Latinis Codicibus non haberi, ubi ſermo eſt de ſpiritu, aqua, & ſanguine. Nam in Bibliis Lovanienſibus notantur ad marginem XV. Codices manu ſcripti, qui ea verba non habent. Græci autem codices habent quidem, ſed differenter; nam de Patre, Verbo & Spiritu Sancto dicunt: καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, & hi tres unum ſunt. De ſpiritu, aqua, & ſanguine, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, & hi tres in unum ſunt. Ubi aperte vides, non eſſe unum, ſpiritum, aquam, & ſanguinem; ſed ſolum conſpirare in unum teſtimonium.

Con-

Concludo tandem cum D. Calmet. in Differtatione de hac re: *Authorum plerique duobus innixi principiis eundem locum Joannis esse certo credunt, & canonicum tuentur.* 1. Quod veterum Scriptorum plurimi veluti Joannis textum allegaverint, & Africæ Ecclesia quinto sæculo solemni, & publico actui ad Arianum Regem deferendo inseruerit, ac demum a veterum exemplarium Græcorum æque, ac Latinorum plurimis afferatur. 2. Quod Concilium Tridentinum omnes utriusque Testamenti libros, cum omnibus suis partibus & sacros, & canonicos agnoverit: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus* (est autem & ille versus aliqua pars) *prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & veteri vulgata editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, anathema sit.* Unde & iste versus sub anathematis poena veluti authenticus est excipiendus. Ita citatus tom. 2. Prolegom. & Differtationum. Differt. de tribus testibus.

§. III.

Solvuntur Objectiones impugnantes universaliter SS. Trinitatem.

186 Objic. 1. Ubi una est natura, est una Persona: atqui in Deo est una tantum natura: ergo in Deo etiam est una tantum Persona. R. D. M. in creatis c. M. in Divinis n. M. Natura Divina ut existens in Patre, est dupliciter foecunda ad intra, scilicet per Intellectum, & voluntatem; hinc Pater sic foecundatus duplicem a se distinctam Personam producit. E converso talis infinita foecunditas ad intra non datur in natura creata.

Objic. 2. Si daretur Trias Personarum in Deo, tunc Deus esset diversus a se ipso: hoc nequit admitti: ergo. M. constat; nam una Persona est diversa, & distincta ab altera: ergo & Deus, qui cuilibet Personæ realiter identificatur, foret diversus a se ipso. R. D. M. Esset diversus a se ipso quoad Personalitates, vel potius una Persona divina esset diversa ab altera c. M. quoad naturam, & essentiam n. M. &c.

Objic. 3. Admissa SS. Trinitate sequitur, eandem rem esse communicabilem, & non esse communicabilem: atqui hoc non potest admitti: ergo. M. p. Natura divina, & Personalitas Patris essent eadem res, & natura divina communicaretur Filio, Personalitas Patris non

non communicaretur Filio: ergo. ℞. D. M. ſequitur, rem tam realiter, quam ex natura rei formaliter eandem eſſe communicabilem, & non eſſe communicabilem n. M. rem, quæ eſt realiter eadem, formaliter tamen diſtincta c. M. Hoc argumentum faceſſit tantum negotium illis, qui negant diſtinctionem ex natura rei formalem, non autem nobis.

Objic. 4. Myſterium SS. Trinitatis repugnat illi principio lumine naturæ noto: *quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: ergo myſterium SS. Trinitatis non datur A. p. In SS. Trinitate tres Perſonæ identificarentur eidem tertio, nempe Eſſentiæ divinæ, & tamen inter ſe realiter diſtinguerentur. Inde & hic Syllogismus: *Pater eſt Natura divina: Filius eſt natura divina: ergo Pater eſt Filius.* Hic, inquam, Syllogismus eſt falſus, quia non poteſt inniti illi principio naturali: *quæcunque ſunt eadem* &c. ergo.

℞. 1. Explicando ſub diſtinctione principium illud naturale: Quæ ſunt eadem uni tertio eſſentialiter, & perſonaliter, ſunt eadem inter ſe c. a. quæ tantum ſunt eſſentialiter eadem uni tertio, non autem perſonaliter, ſunt eadem inter ſe n. a. ℞. 2. Iterum explicando ſub diſtinctione: quæ ſunt eadem uni tertio adæquate, ſunt eadem inter ſe c. a. quæ tantum inadæquate ſunt eadem uni tertio n. a. Natura divina neque Patri divino, neque Filio adæquate identificatur; nam Eſſentia divina in ſenſu reali nec eſt ſolus Pater, nec ſolus Filius &c. ſed eſt tota Trinitas. Qua de cauſa Syllogismus in objectione poſitus non eſt bonus; vel enim eſt categoricus, vel expoſitorius? ſi primum: tunc non habet medium debite diſtributum, utpote non ſumptum univerſaliter. Si autem ſit expoſitorius, tunc peccat, quia non habet medium ſingulare ita, ut non ſit pluribus communicabile. Quare Syllogismus ille bene concluderet vi formæ, ſi taliter formaretur: *omne, quod eſt Natura divina, eſt Pater: ſed Filius eſt natura divina: ergo Filius eſt Pater.* Aſt tunc foret falſa major, ex qua proin falſa ſequitur concluſio. Hæc jam ſolent in Logica dici.

Objic. 5. In S. Scriptura ſæpius ſolus Pater dicitur Deus: ergo tantum una Perſona divina datur. A. p. Joan. 17. dicitur: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Item 1. ad Corinth. 8. *Nobis unus eſt Deus, Pater*: ergo &c. ℞. D. a. Pater dicitur *ſolus Deus* cum excluſione plurium naturarum divinarum, & plurium Deorum c. a. cum excluſione plurium Perſonarum divinarum eidem Deitati identificatarum n. a. &c. Quando Pa-

ter solus dicitur Deus, tunc tacite subintelligitur *cum Filio, & Spiritu Sancto:* prout Ecclesia etiam in Missa canit de Filio: *Tu solus altissimus Jesu Christe, N. cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris.*

Diluuntur Objectiones impugnantes Personam Filii.

387 Objic. 6. In Sacra Scriptura Filius se vocat minorem Patre, se Patrem rogare, se Patri esse subjectum, aliaque plura prædicata sibi attribuit, quæ denotant, filium non esse Deum, sed Deo inferiorem, ut Joan. 14. Matth. 26. & alibi: ergo Filius non est Deus.

℞. 1. Retorq. Argum. Sunt plures textus in Sacra Scriptura, quibus Filius divinus dicitur æqualis Patri, & vocatur æque Deus, ac Pater: ut Joan. 1. *Ego, & Pater unum sumus.* Baruch. 3. de Filio divino dicitur: *Hic est Deus, & non æstimabitur alius adversus eum.* item Joan. 1. *Deus erat Verbum.* ad Rom. 1. *Qui est Deus super omnia benedictus.* 1. Joan. 5. *Hic est Deus verus.* Similia habentur alibi sæpius: ergo Filius est Deus.

℞. 2. D. a. Filius se vocat minorem Patre &c. quoad naturam humanam c. a. quoad naturam divinam n. a. Christus in S. Scriptura modo æqualis Deo Patri, modo minor Eo dicitur ob duplicem naturam, divinam nempe, & humanam, quæ erat in Christo. Æqualis erat Patri quoad naturam divinam: & sic erat Deus, neque rogare Patrem, neque Ei se subjicere poterat. Quoad naturam humanam erat creatura, inferior Patre: & sic Patrem rogare, ac alia creaturis propria facere poterat.

Objic. 7. Filius divinus est genitus a Patre: ergo non est Deus. A. est de fide. C. p. Si Filius est genitus a Patre, tunc dependet a Patre: ergo eo ipso non est Deus; nam Deus nequit ab altero dependere ob imperfectionem, quæ ex omni dependentia sequitur. A. p. Omne genitum dependet a generante, ut patet ab inductione; ergo. ℞. D. ult. a. omne genitum, quod habet numero distinctam naturam a natura generantis, dependet a generante c. a. omne genitum, quod habet eandem realiter naturam, quam habet generans, dependet a generante n. a. Pater generando Filium, communicat Ei eandem ipsam suam naturam divinam: adeoque Filius dependere nequit a Patre; alias hæc dependentia propter unitatem naturæ etiam redundaret in Patrem, & Spiritum S.

Objic. 8. Si Filius divinus eſt genitus a Patre, tunc non eſt æternus: ſi non eſt æternus, non eſt Deus: ergo ſi Filius divinus eſt genitus a Patre, non eſt Deus. P. M. illud non eſt æternum, quod habet principium ſui: ergo ſi Filius divinus eſt a Patre genitus, non eſt æternus. ℞. D. ult. M. Illud non eſt æternum, quod habet principium ſui initiativum, ac inchoativum c. M. quod tantum habet principium ſui productivum n. M. & D. m. quod eſt genitum, habet principium ſui productivum, vel initiativum c. M. ſemper, & neceſſario, præſertim in divinis, initiativum n. m. & c. Quia Filius divinus eſt vere genitus, ac productus a Patre, ideo habet principium productivum ſui eſſe, nempe Patrem divinum: quia vero generatio Filii divini eſt ab æterno, & Filius divinus etiam ab æterno exiſtit, ideo eſſe, & exiſtentia ejus caret initio, & fine, conſequenter non habet principium initiativum, vel inchoativum ſui eſſe.

Inſtabis: Sicut ſe habet corruptum ad non eſſe, & defectionem, ita ſe habet genitum ad eſſe: atqui res, quæ corrumpitur, deſinit eſſe: ergo & res, quæ gignitur, incipit eſſe, & habet principium initiativum ſui eſſe. ℞. D. m. in creatis c. M. in divinis n. M. &c.

Urgebis: Quando Filius divinus erat genitus, vel tunc jam fuit, vel non fuit? ſi tunc jam fuit: ad quid debuit generari? Plane, ſi Petrus jam exiſtit, non eſt neceſſitas, ut is generetur. Si non fuit: tunc pro aliquo tempore non extitit Filius divinus, & ſic habuit initium ſui eſſe, & ſuæ durationis: ergo. ℞. Filium divinum ſemper fuiſſe, quia ſemper fuit generatus, generatione æterna. Si autem inſtes: cur ergo generatur, ſi ſemper eſt? ℞. Ideo, quia generatio Filii divini æterna eſt, & hinc nec generatio, nec Filius divinus initium, aut finem habet: uti etiam Deus illud ſemper intelligit, quod ab æterno intellexit, quia intellectio Ejus æterna eſt, nec habet initium, aut finem.

Dices: Generatio Filii divini vel eſt hodie jam completa, vel non eſt completa? neutrum poteſt dici: ergo. P. m. Si generatio divina jam eſt completa hodie, tunc non debet ulterius ſine ſine continuari, conſequenter non eſt æterna. Si non eſt completa, tunc eſt imperfecta, & Filius divinus necdum eſt: ergo. ℞. Generationem Filii divini jam eſſe ab æterno completam, continuari autem eam debere per totam æternitatem ſine fine, quia per totam æternitatem ad eam continuandam omnia neceſſaria adſunt. Exemplum hujus, & ſimilitudinem aliqualem in creatis habemus; nam licet productio

alicujus creaturæ jam penitus sit completa, ac res illa producta esse, & existentiam suam complete habeat, potest tamen talis rei productio continuari per conservationem; conservatio enim nihil aliud est, quam continuata productio.

Objic. 9. Filius divinus dicitur Sapientia Patris divini: sed Sapientia Patris non est Persona realiter distincta a Patre, quin imo eidem realiter identificatur: ergo Filius divinus non est Persona distincta a Patre divino. ℞. D. M. Filius est Sapientia absoluta Patris, qua intelligit n. M. est sapientia notionalis, & tantum appropriate dicta c. M. Deus Pater non intelligit per Filium divinum, tanquam per sapientiam, sed intelligit per intellectum, & intellectionem. Hinc *Sapientia absoluta* vel est intellectus, vel intellectio divina. Dicitur autem Filius divinus etiam Sapientia Patris tantum appropriate, eoquod procedat ex intellectu Patris.

Objic. 10. Joan. 1. Filius divinus dicitur *quasi unigenitus a Patre:* ergo non est verus Filius divinus, consequenter neque est Deus. ℞. τὸ *quasi* idem in citato textu significare, ac τὸ *tanquam*, ut sensus sit: *tanquam unigenitus.*

Satisfit iis, quæ objiciuntur contra Personam Spiritus Sancti.

388 Objic. 11. Spiritus S. creatur: ergo non est Deus. A. constat ex illo Amos c. 4. Dominus *creans spiritum.* ℞. N. a. In illo textu per spiritum intelligitur ventus, uti etiam habet lectio vulgata Bibliorum, & colligitur ex eo, quia apud 70. Interpretes citatis verbis additur: *& firmans tonitru.*

Objic. 12. Spiritus Sanctus fuit locutus Prophetis: atqui ille, qui fuit locutus Prophetis, erat tantum Angelus: ergo Spiritus Sanctus fuit tantum Angelus, consequenter creatura. m. constat ex illo Zachar. 4. *Angelus, qui loquebatur.* ℞. ad m. & ejus probationem: Angelum dici locutum esse Prophetis, quia Spiritus S. per Angelos tanquam Ministros suos Prophetis loquebatur.

Objic. 13. ad Rom. 8. dicitur: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* atqui si Spiritus S. est Deus, tunc non potest rogare; nam rogare dicit imperfectionem, & subjectionem: ergo. ℞. Spiritum S. postulare eatenus, quatenus per suas inspirationes docet, & facit nos postulare. Ita Patres allegatum, & alios similes textus unanimiter exponunt.

Objic. 14.

Objic. 14. *Spiritus Sanctus, quæcunque audierit, loquetur.* Joan. 16. ergo, ut loqui possit, debet instrui. Atqui instrui non potest Deus: ergo. ℟. 1. Per hunc textum solum intelligi, quod gratiæ, & inspirationes Spiritus S., quas in animabus nostris operatur, non sint operationes solius Spiritus Sancti, sed etiam Patris, ac totius SS. Trinitatis, cujus una, & indivisa est voluntas, potentia operativa, ac operatio ad extra. ℟. 2. D. a. Quæcunque audierit per indigentiam, tanquam minus doctus a doctiore, loquetur n. a. quæcunque audierit per processionem a Patre, & Filio, consequenter per communicationem essentiæ, & scientiæ, quam a Patre, & Filio per processionem accipit c. a. Per textum illum intelligitur, quod Spiritus S. procedat a Patre, & Filio, & sic eidem Spiritui S. a præfatis duabus Personis communicetur essentia, ac scientia divina cum aliis attributis, & perfectionibus.

Objic. 15. *S. Spiritus omnia scrutatur.* Joan. 1. Ergo quærit, & indagat scientiam: atqui, qui quærit, & indagat scientiam, habet ignorantiam, quæ non convenit Deo: ergo. ℟. D. a. *scrutatur*, id est, omnia comprehendit, & penetrat c. a. in alio sensu n. a. & c.

Tandem Spiritum Sanctum esse Deum, clare testatur Scriptura, dum Act. 5. dicit: *Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* Deinde Spiritui Sancto conveniunt illa, quæ Deo soli attribuuntur. 1mo. Creatio, quæ soli Deo propria est, tribuitur Spiritui Sancto Judith. 16. *Misisti Spiritum, & creata sunt.* & Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* 2do. Spiritus Sanctus est ubique. Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hoc iterum soli Deo convenit.

Si objiciatur, quod Spiritus Prophetarum sit subjectus Prophetis, tunc sensus est, Spiritum humanum (non Spiritum Sanctum) Prophetarum esse subjectum illi Spiritui, seu Spiritui Sancto, qui prophetat, & loquitur per Prophetas.

Articulus II.

An Existentia SS. Trinitatis demonstrari queat ratione naturali?

389 Nota 1. Hic non quæri, an per fidem, & authoritatem sacram existentia hujus mysterii probari valeat; hoc enim fieri posse ostendit Articulus I. Quæritur ergo de ratione aliqua naturali, quæ foret nota lumine naturali,

Nota 2. Aliquid posse dupliciter probari, *negative*, & *positive*. *Negativa* probatio consistit in solutione objectionum, quatenus omnia argumenta in contrarium allata solvuntur. Sic iterum probari posse existentiam SS. Trinitatis, ex jam dictis liquet: quia argumenta ab Hæreticis, vel Ethnicis contra hoc mysterium facta dissolvimus, & ostendimus, quod ea nil evidenter evincant. *Positiva* vero demonstratio est, quæ innititur alicui rationi naturali, & quidem tali, quæ cum re demonstranda est connexa vel a priori, aut posteriori. Sic demonstratur positive causa per effectum, existentia Dei per creaturas, vel effectus per causam. H. N.

390 Assero SS. Trinitas nequit ratione naturali positive demonstrari. Communis Th. Th. contra paucos.

P. 1. Authoritate. Matth. 11. dicitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* ergo seclusa revelatione, seu per solam rationem naturalem, certo & infallibiliter, ac evidenter hoc mysterium cognosci nequit.

Accedunt SS. Patres. ut S. Hieronymus in proœmio L. 18. in Isaiam: *Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiæ.* S. Ambrosius L. 1. de Fide ad Gratianum c. 10. *Impossibile est, generationis Verbi divini scire secretum, mens deficit, vox silet.* Hormisdas Papa ad Justinianum Imperatorem: *Secretum Trinitatis neque ulla visibilium, vel invisibilium creaturarum potuit investigare natura:* ergo.

P. 2. ratione. Imprimis Trinitas Personarum non potest demonstrari per aliquem conceptum convertibilem cum SS. Trinitate; nam omnes conceptus, quos de hoc mysterio habemus, sunt pleni obscuritate. Deinde non potest demonstrari per aliquam causam; nam causa SS. Trinitatis non potest dari; alias enim Deus, qua Trinus, dependeret ab alio, nimirum a sua causa.

Deni-

Denique non poteſt demonſtrari a poſteriori, & ab effectu; quia nullus effectus, nulla creatura efficitur a Deo, qua Trino, ſed ab ipſo ut omnipotente, ſapiente, & ſupremo artifice. Imo ſi per impoſſibile unica foret tantum divina Perſona, & ſic Trinitas non daretur, adhuc poſſent dari creaturæ, cum etiam in illa una Perſona eſſet virtus productiva creaturarum, ſcilicet omnipotentia: ergo ex creaturarum productione non poſſumus evidenter demonſtrare, Deum eſſe trinum in Perſonis.

Confirm. Nullum evidens veſtigium SS. Trinitatis datur in creaturis: ergo ex creaturis nullo modo evidenter poteſt demonſtrari Trias Perſonarum divinarum. A. p. Creaturæ potius contrarium videntur oſtendere, cum omnes, nec una excepta, habeant unam eſſentiam, & unum tantum ſuppoſitum: ergo.

P. 3. Si myſterium SS. Trinitatis ratione naturali eſſet poſitive demonſtrabile, tunc deberet demonſtrari per principia diſcurſus Syllogiſtici: atqui per hæc non poteſt poſitive demonſtrari: ergo. m. conſtat; nam ſi ſolum ſequamur lumen naturale, & rationem poſitivam, tunc hoc myſterium potius videtur eſſe contra principia ſyllogiſtica, ut contra illud: *quæcunque ſunt eadem uni tertio.*

Objic. 1. Plures Philoſophi Ethnici agnoverunt myſterium SS. 391
Trinitatis, ut copioſe probat Juſtinus Martyr Oratione ad Gentes. Clemens Alexandrinus L. 5. Stromatum. Cyrillus L. 1. & 2. contra Julianum. item Eugubinus L. 1. & 2. de perenni Philoſophia, ut apud noſtrum Fraſſen videri poteſt: ergo ſola ratione naturali cognoſci, & probari poteſt hoc myſterium.

℞. D. a. Cognoverunt hoc myſterium ſecluſa omni revelatione n. a. ſuppoſita aliqua revelatione c. a. Cognoverunt hoc myſterium vel ex libris Sacræ Scripturæ, vel a Chaldæis & Ægyptiis, apud quos notitiam Dei Trini diſſeminaverant Moyſes, & Abraham, & a quibus, quotquot fuerunt Sapientes Græci, maxime vero Orpheus, Pitagoras, ac Plato edocti ſunt, ut aſſerunt SS. PP. Juſtinus, & Cyrillus jam allegati. Item potuerunt myſterium iſtud addiſcere ex Sybillis, quæ teſte Lactantio L. 1. c. 6. plurima de SS. Trinitate ſunt vaticinatæ, vel ab ipſis dœmonibus, qui antequam lapſi ſunt, Trinitatis revelationem habuerunt, eamque divulgarunt vel juſſu Dei, vel ut hominibus perſuaderent, tres eſſe Deos diſtinctos. Unde Plato, qui Trinitatem admiſit, tres etiam Deos adſtruxiſſe dicitur.

Quod autem Dæmones tanti myſterii fuerint præcones, teſtatur Vivers in 10. L. de Civit. c. 23. ubi refert: Serapidem conſultum a Thule Rege Ægypti, quisnam eſſet beatior? reſpondiſſe in hæc verba:

Principio Deus eſt, tunc Sermo, & Spiritus illi
additur, æquæva hæc ſunt, & tendentia in unum.

Urgebis: S. Athanaſius pluries, præcipue in Oratione contra Arium, & Oratione 2da contra Arianos, inexcuſabiles pronunciat gentiles Philoſophos, eoquod Verbi, ſeu ſecundæ Perſonæ divinitatem non agnoverint ex creaturis: ergo gentiles non ſolum ex revelatione, ſed etiam per lumen naturale ex ipſis creaturis potuerunt deducere, & cognoſcere myſterium SS. Trinitatis.

℟. D. a. Inexcuſabiles pronunciat, eoquod ſecundæ Perſonæ divinitatem non agnoverint pure, & præciſe ex creaturis n. a. eoquod non agnoverint, licet habuerint illi Ethnici Philoſophi auxilium gratiæ, quo illuſtrati res creatas contemplantes, ſaltem obſcuram notitiam SS. Trinitatis potuiſſent aſſequi c. a. Quod præciſe ex creaturis ſine lumine ſupernaturali Philoſophi potuerint aſſequi notitiam Verbi divini, expreſſe negat laudatus Athanaſius, dum Orat. 1. contra Arianos ait: *Gratiæ ejus in nos collatæ, magnæ haud dubie ſunt, & ſupra hominem, & quod tranſcendit ſua excellentia omnia chariſmata, Patris illa, ipſiusque Verbi cognitio, & donatio Sancti Spiritus.* En! clare dicit, cognitionem Verbi, & Spiritus Sancti eſſe ſupra hominem, & conſequenter ſupra vires humani intellectus.

Dices 1. Ex effectu etiam purus, & Ethnicus Philoſophus poteſt naturaliter cognoſcere, & demonſtrare cauſam: ſed res creatæ ſunt effectus SS. Trinitatis, & hæc eſt illorum cauſa: ergo etiam purus, & Ethnicus Philoſophus ex rebus creatis poteſt, & potuit naturaliter demonſtrare SS. Trinitatem.

℟. D. M. Ex effectu poteſt purus Philoſophus demonſtrare cauſam ſub ea ratione, & formalitate, ſub qua cauſa eſt c. M. ſub alia ratione, & formalitate n. M. & D. m. res creatæ ſunt effectus Trinitatis ſub formalitate, & ratione Trinitatis n. m. ſub ratione omnipotentis, & Dei c. m. Ratione igitur naturali ex cauſis poſſum venire in cognitionem alicujus entis omnipotentis, ac divini, quin cognoſcam, quod illud ens ſit unum in eſſentia, & trinum in Perſonis. Videatur 2da probatio hujus Aſſertionis.

Dices 2.

Dices 2. Datur in anima imago SS. Trinitatis: ergo Philoſophi ex hac imagine naturaliter potuerunt cognoſcere SS. Trinitatem. ℟. D. a. Datur imago SS. Trinitatis, quæ tamen SS. Trinitatem repræſentat ſolum ſuppoſita fide c. a. ſecluſa fide n. a. Non poſſum cognoſcere, hanc eſſe imaginem Electoris, niſi prius notitiam de Electore habuerim: ergo etiam non poſſum agnoſcere, animam eſſe imaginem SS. Trinitatis, niſi prius per fidem notitiam habuerim SS. Trinitatis.

Dices 3. Æque difficulter agnoſcitur, animam rationalem eſſe in quavis parte corporis, ac exiſtere SS. Trinitatem: atqui prius potuerunt Ethnici Philiſophi naturaliter cognoſcere: ergo & ſecundum, ſeu SS. Trinitatem. ℟. N. M. nam anima rationalis non identificatur ſingulis partibus, & membris corporis, ſicut eadem Divinitas ſingulis Perſonis realiter diſtinctis ejusdem SS. Trinitatis.

Objic. 2. Naturaliter demonſtratur, omnes perfectiones eſſe in Deo: 192
atqui eſſentiam divinam communicari tribus Perſonis eſt maxima perfectio: ergo naturaliter demonſtratur, eſſentiam divinam communicari tribus Perſonis. ℟. D. M. naturaliter demonſtratur, omnes perfectiones eſſe in Deo, abſtrahendo tamen, quænam determinate ſint illæ perfectiones c. M. non abſtrahendo n. M.

Dices 1. De Deo determinate demonſtratur, quod habeat ſummam felicitatem: atqui ſummam felicitatem habere non poteſt ſine ſocio, & amico: ergo de Deo demonſtratur determinate, quod debeat habere ſocium, & amicum. Atqui ſocius hic, & amicus nequit eſſe extra Deum; alias enim eſſet creatura, quæ cum ſit diſſimilis Deo in eſſentia; nequit Ei perfectam ſocietatem, vel amicitiam tribuere: ergo debet ſocius hic eſſe ad intra, & identificatus eſſentiæ divinæ: ergo plures dantur Perſonæ identificatæ eſſentiæ divinæ.

℟. 1. Per hoc determinate non probari Trinitatem Perſonarum; ſi enim eſſent duæ Perſonæ ſolæ, jam inter illos ſocietas, & amicitia eſſe poſſet. Reſpondet 2do purus Philoſophus: negando, quod ad felicitatem Entis infinite perfecti requiratur amicitia, vel ſocietas alterius; tale ens enim eo ipſo quod ſit infinitum, & ſibi ſoli perfecte, & adæquate ſufficiens, nec indiget ſocio, nec amico, a quo adjuvetur.

Dices 2. Eſt maxima perfectio, generare ſibi ſimile: ergo hæc debet attribui Deo. Atqui Deus non poteſt ſibi ſimile generare ad extra: ergo ad intra. ℟. Iterum ſicut prius; ratio enim naturalis

ſibi ſoli relicta judicaret, unam Perſonam divinam, eoquod ſit infinita, debere ſibi in omnibus eſſe ſufficientiſſimam. Itaque poſſet d. a. generare ſibi ſimile eſt maxima perfectio in illo, qui ſibi ſoli non eſt ſufficiens c. a. qui ſibi ſoli adæquate eſt ſufficiens n. a. &c.

Dices 3. Ratione naturali eſt evidens, Deum eſſe infinitum bonum: ergo etiam ratione naturali debet eſſe evidens, Deum eſſe infinito modo communicativum ſui; bonum enim ſimpliciter tale eſt communicativum ſui: ergo bonum infinitum debet infinito modo eſſe communicativum ſui. *Subſumo.* Atqui Deus non foret infinito modo communicativus ſui, ſi eſſentia ſua non communicaretur pluribus Perſonis: ergo. m. p. Creaturis, & quæ extra Deum ſunt, Deus ſe communicat tantum modo finito, & limitato: ergo ſi eſſentia divina ad intra non communicaretur tribus Perſonis, Deus non foret infinito modo communicativus ſui. ℞. D. c. debet eſſe evidens, Deum eſſe communicativum ſui infinito modo ad intra, ac categorematice n. c. ad extra, & ſyncategorematice c. c.

Dices 4. Evidens eſt, in Deo dari actualiſſimum intellectum, & voluntatem: ergo etiam evidens eſt, in Deo dari Verbum, & Amorem. Atqui Verbum eſt Filius divinus, Amor Spiritus Sanctus: ergo. ℞. D. c. ergo etiam evidens eſt, dari in Deo Verbum, & Amorem notionalem, ac reſpectivum n. c. dari in Deo Verbum, ſeu cognitionem, & Amorem eſſentialem, ac abſolutum c. c. & D. m. ſubſumptam: atqui Verbum, & Amor notionalis, ac reſpectivus ſunt Filius divinus, & Spiritus Sanctus c. m. Verbum, & Amor abſolutus n. m. & conſ. Sapientia, ac cognitio *abſoluta*, & *eſſentialis* eſt illa cognitio, qua Deus ſuam eſſentiam, & alia cognoſcit: item amor *abſolutus*, ac *eſſentialis* eſt ille, quo ſuam eſſentiam, ac alia amat. *Notio* vero, ſeu prædicatum *notionale* eſt aliquod prædicatum diſtinctivum Perſonarum divinarum inter ſe.

Dictat igitur ratio naturalis, in Deo neceſſario dari cognitionem eſſentialem, qua ſe, & omnia alia cognoſcat: & amorem eſſentialem, quo ſe, & alia amabilia amet: non tamen lumen naturale ſuadet, in Deo etiam dari tale Verbum, & talem Amorem, qui diſtinguat, ac multiplicet Perſonas divinas.

393 Objic. 3. Myſterium SS. Trinitatis non eſt evidenter impoſſibile: ergo eſt evidenter poſſibile. c. p. Si aër non eſt tenebricoſus, tunc eſt lucidus: ergo ſi myſterium SS. Trinitatis non eſt evidenter impoſſibile

ſibile, tunc eſt evidenter poſſibile. ℞. N. c. in qua plus, & aliud infertur, quam fuit poſitum in antecedente; antecedens enim ſolum aſſeruit, non dari evidentes rationes, ac inſolubiles, quæ probarent, implicare myſterium SS. Trinitatis, & conſequens dicit, dari evidentes rationes, quæ probant poſſibilitatem myſterii hujus. Verbo: antecedens dicit, myſterium SS. Trinitatis eſſe *negative probabile*, in quantum omnia argumenta hoc myſterium impugnantia ſolvi poſſunt, & oſtendi poteſt, quod ea non ſint evidentia: Conſequens vero dicit, quod SS. Trinitas poſſit *poſitive*, & quidem evidenter demonſtrari, quæ toto cœlo ſunt diverſa. Hinc ad prob. N. c. & parit. nam non eſſe tenebricoſum, & eſſe illuminatum idem important: non ſic eſſe *negative probabile*, & eſſe *poſitive demonſtrabile*.

Dices: Naturaliter evidens eſt, unum ex contradictoriis eſſe verum: ſed Deum eſſe trinum, & non eſſe trinum, ſunt contradictoria: ergo. ℞. D. M. naturaliter evidens eſt, unum indeterminate ſumptum ex contradictoriis eſſe verum c. M. determinate ſumptum, ita, ut intellectus clare poſſit cognoſcere, hoc determinate contradictionis membrum eſt verum, & alterum falſum n. M. &c.

Solet in hoc puncto B. Raymundus Lullus erroneæ a nonnullis argui doctrinæ. Verum ejusdem famam ſatis, ſuperque vindicavi jam Tom. I. Prolegom. a N. 480. ubi videri poteſt.

Articulus III.

Aliqua Quæſita huc pertinentia.

Quæres I. An ſaltem ſuppoſita revelatione divina poſſit myſterium 394
SS. Trinitatis evidenter demonſtrari ſola ratione naturali?

℞. negative. *Ratio reſponſionis 1ma* eſt: Quia revelatio divina non facit, neceſſario creaturas a Deo qua Trino dependere, nec ponit aliquod evidens veſtigium SS. Trinitatis in creaturis: ergo etiam ſuppoſita revelatione nequit SS. Trinitas evidenter ratione naturali probari ex creaturis. Si autem non poteſt evidenter demonſtrari ex creaturis, tunc ex nullo capite evidenter demonſtrabitur naturaliter; nam omnis cognitio naturalis, quam habemus de Deo, oritur ex creaturis.

Ratio 2da. Revelatio nequit efficere, ut ratio naturalis fuis tantum viribus innixa pergat extra fuam fphæram: atqui myfterium SS. Trinitatis eft extra fphæram rationis naturalis: ergo etiam fuppofita revelatione, & fide hoc myfterium attingi nequit fola ratione naturali.

Ratio 3tia. Demonftratio naturalis debet inniti præmiffis naturaliter certis, & evidentibus, & fine revelatione cognitis, ut Logica docet: atqui demonftratio hæc, de qua eft quæftio, non inniteretur præmiffis naturaliter certis, & evidentibus, & fine revelatione cognitis, imo ultimato in revelationem refovi deberet.

Dices 1. Hæreticus cognofcit myfterium SS. Trinitatis folis viribus naturæ: ergo folis viribus naturæ cognofci poteft. A. p. Hæreticus amifit habitum fupernaturalem fidei: ergo ex folis viribus naturæ tantum cognofcere debet. ℞. D. a. Cognofcit hoc myfterium folis viribus naturæ, id eft, fine habitu infufo fupernaturali concurrente c. a. cognofcit ex folo motivo rationis naturalis n. a. Talis quoque Hæreticus innititur revelationi, quæ ei per Scripturam innotefcit.

Dices 2. Ratio naturalis demonftrat Deum effe veracem in revelando: ergo fuppofita divina revelatione ratio naturalis demonftrat SS. Trinitatem. ℞. D. c. demonftrat SS. Trinitatem medio intrinfeco, naturaliter cum exiftentia SS. Trinitatis connexo n. c. demonftrat, id eft, probat medio ab extrinfeco, & petito ab authoritate revelantis c. c. fed probatio, defumpta a medio extrinfeco, & ab authoritate dicentis, non eft demonftrativa.

395 Quæres 2. An faltem lumine naturali poffit myfterium SS. Trinitatis probabiliter cognofci, vel aliqualiter fufpicio concipi de exiftentia ejusdem?

℞. 1. Probabilius videtur, probabilem cognitionem, & fufpicionem tanti myfterii feclufa revelatione in intellectu creato nunquam excitari poffe. Ratio eft; quia nullum eft objectum creatum, quod talem probabilem cognitionem, aut fufpicionem ingerere poffet.

℞. 2. Suppofita revelatione, & fide, poffunt aliquales fimilitudines in creaturis reperiri, ex quibus aliqualiter explicari poteft hoc myfterium, quæ tamen funt ita improportionatæ, ut nullo modo convincant. Sic anima rationalis aliquo modo una, & trina eft: una in fua effentia, triplex in potentiis. Ita in Sole videtur orbis folaris, radius,

dius, & lumen, & tamen non sunt tres soles, sed unus sol, ut loquitur Athanasius. Ex dictis

Inferes 1. Mysterium SS. Trinitatis esse supra naturam; nam illud intellectus naturali ratione sola, seclusa omni revelatione, vel illustratione divina non attingit.

Inferes 2. Hoc mysterium tamen non esse contra naturam, seu contra rationem naturalem. Ratio hujus est: tum, quia mysterium SS. Trinitatis *rationabiliter* creditur: sed quod rationabiliter creditur, non est contra rationem. tum, quia nulla ratio naturalis efficaciter, & convincenter probat SS. Trinitatis impossibilitatem, imo omnes rationes, quæ contra hoc mysterium afferuntur, facile solvuntur.

Quæres 3. An hæc propositio: *Existit Trinitas divinarum Personarum*, vel: *existunt tres Personæ divinæ*, sit per se nota? Quid sit propositio per se nota, jam declaratum est Tract. 1. hujus Tomi n. 4. 396

℟. Negative. Ratio est: quia hæc propositio: *existit Trinitas*, præsupponit aliam veritatem, nempe naturam divinam fœcundam ad intra per intellectum, & voluntatem, ex qua veritate præsupposita, tanquam a priori primum deducitur Personarum divinarum Trinitas: ergo.

Nec Scotus contradicit; dum enim vult hos terminos: *Deus trinus existit*, posse causare immediate evidentem veritatem, τὸ immediate tantum excludit medium extraneum, seu revelationem, non medium intrinsecum petitum a priori, saltem tunc, si divinitus clare manifestaretur alicui essentia divina fœcunda ad intra, ac Personæ divinæ.

Quæres 4. An tres Personæ recte dicantur *consubstantiales*: item an plures Personæ divinæ sint, vel esse possint, quam tres? 397

℟. ad 1mum affirmative; nam tres Personas esse consubstantiales nil aliud dicit, quam eas esse identificatas eidem essentiæ divinæ; hæc enim per substantiam, & per τὸ *consubstantiales* intelligitur: atqui de fide est, tres Personas divinas esse identificatas eidem essentiæ divinæ: ergo.

℟. ad 2dum. Nec sunt, nec esse possunt plures Personæ in divinis, quam tres. Ita fides Catholica tenet.

P. Una tantum Persona improducta, & duae productae possunt esse in divinis: ergo tres tantum possunt esse. conf. est clara. A. quoad 1mam partem p. 1mo quia non potest dici, ad quid essent utiles, aut necessariae plures Personae divinae improductae: atqui nunquam ponenda est pluralitas sine necessitate. 2do. Si plures Personae improductae possent in Deo esse, tunc & infinitae possent esse, quia infinitae non magis repugnarent, quam duae. si autem possent infinitae Personae improductae esse, tunc de facto necessario essent, & actu existerent; quia in Deo, tanquam actu actualissimo, idem est *posse*, ac *actu esse*: ergo defacto infinitae Personae improductae in Deo darentur, quod plane est absurdum.

P. etiam 2dum memb. Ant. primi quoad Personas productas. Duo tantum sunt principia productiva adaequata in Deo, scilicet intellectus, & voluntas divina: ergo & duo termini adaequati producti tantum possunt esse in Deo, quorum unus est Filius divinus, & alter Spiritus Sanctus. Quod autem Filius divinus respectu sui principii sit terminus adaequatus, patet, quia est infinitus. Idem est de Spiritu Sancto.

Confirm. Authoritate D. Augustini, qui L. 3. contra Maximinum c. 12. ita scribit: *Immoderata esset divina generatio, si genitus Filius Nepotem gigneret Patri, quia & ipse Nepos, nisi Avo suo Pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur.* Subjungit: *Nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero gigneretur, nec etiam ullus perficeret eam, si non sufficeret omnipotens unus.* quasi diceret: quodsi una Persona producta non sufficiat ad complendam totam productionem unius actionis, & principii, pariter nec alia sufficeret, nec iterum alia, & sic fieret processus in infinitum, qui Divo Augustino videtur plurimum absurdus.

Veritas haec Catholica ita clare, ac frequenter est decisa in Conciliis, ac trita in Patribus, ut nulla ampliore probatione indigeat.

Dices: Etsi actio creativa in Patre jam habeat suum terminum, scilicet creaturam, tamen adhuc potest communicari Filio, ac Spiritui Sancto: ergo, etsi generatio activa jam habeat suum terminum adaequatum, tamen potest adhuc communicari Filio, & Spiritui Sancto. ℞. N. c. Si generatio activa communicaretur Filio, tunc Filius esset generans: ast non posset generare alium Filium: ergo se ipsum deberet generare: quod est impossibile. Item Spiritus S. non posset alium

Filium

Filium generare, quam illum, qui eſt ſecunda Perſona; hæc etenim eſt adæquatus terminus generationis divinæ. Verum tali modo Spiritus S. ſuum principium quod, a quo procedit, produceret: quod iterum abſurdum eſt. Similia inconvenientia non ſequuntur, ſi actio creativa, & quævis operatio abſoluta ad extra, & non ad intra communicetur omnibus tribus Perſonis.

Diſſertatio II.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

Articulus I.

De Exiſtentia, & numero Proceſſionum Divinarum.

Ex uſu quidem Eccleſiæ ſolus Spiritus S. dicitur procedere a Patre, & Filio, juxta illud D. Athanaſii: *non genitus, ſed procedens.* Nihilominus ſi Proceſſio in latiori ſenſu accipiatur, tunc & Filio divino convenit: *proceſſio* enim ſic latius accepta apud Theologos nil aliud eſt, quam origo unius Perſonæ divinæ ab altera: atqui ſicut Spiritus S. originatur a Patre, & Filio, ita Filius divinus quoque originatur a Patre: ergo æque Filio, ac Spiritui Sancto convenit proceſſio. H. S. ſit

§. I.

An dentur Proceſſiones Divinæ.

Aſſero: De fide eſt, in Divinis dari veras, reales proceſſiones, ſe- 398
cundum quas una Perſona ab altera producitur, ac procedit.

P. 1. ex Authoritate. Joan. 8. dicit Chriſtus de ſe ipſo: *Ego ex Deo* (Patre) *proceſſi.* Et c. 7. *Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum.* Et Joan. 15. de Spiritu S. habetur: *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* 2do. Hæc veritas definita eſt in Concilio Nicæno, in cujus Symbolo Filius dicitur *Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus.* De Spiritu S. autem aſſeritur: *Qui ex Patre, Filio-*

Filioque procedit. Idem definitum est in Concilio Constantinopolitano, Lateranensi, ac Florentino. Accedunt Concilium Toletanum XI, & Symbolum S. Athanasii, quod diebus Dominicis in officio divino recitatur, nec non SS. Patres unanimi calculo huic veritati subscribunt: ergo.

P. 2. ratione, quæ quidem non demonstrat, suadet tamen, non omnino esse imperceptibile hoc mysterium, saltem supposita fide. Intellectus creatus, specie intelligibili fœcundatus, generat Verbum mentis accidentale, vel notitiam accidentalem: ergo intellectus divinus, fœcundatus essentia divina ut objecto suo primario, est productivus Verbi substantialis, ac notitiæ genitæ substantialis, quæ est Filius divinus, & secunda Persona.

Confirm. Intellectus creatus, quo est perfectior, & quo perfectiori specie, vel objecto est fœcundatus, eo perfectiorem notitiam producit: ergo & intellectus divinus, quia est infinite perfectus, & infinite perfecto objecto, nempe Essentia divina, est fœcundatus, etiam est productivus infinitæ notitiæ genitæ, & quidem ad intra; nam extra Deum nequit dari aliquod infinitum actu.

Hoc argumentum etiam formari potest de Spiritu S. Nam & voluntas creata præsente bono producit amorem accidentalem: ergo & voluntas divina præsente bono infinito, seu essentia divina, producet amorem substantialem, scilicet Spiritum Sanctum.

P. 3. iterum aliqua ratione. In Deo dantur tres Personæ: sed non darentur, nisi darentur veræ processiones, & relationes originis in Deo: ergo. m. p. nam in Deo omnia illa prædicata sunt realissime eadem, inter quæ non intercedit relationis oppositio, ac separabilitas proportionalis, quæ proportionalis separabilitas, ac relationis oppositio tantum ex processionibus divinis oritur. Quare apud Th. Th. receptum est axioma: *omnia in Divinis sunt eadem, ubi non obviat relationis oppositio.*

399 Objic. 1. Nullum ens a se potest procedere ab alio: sed quælibet Persona divina est ens a se; alias enim non esset Deus: ergo nulla Persona divina potest procedere ab alia.

℞. D. M. Nullum ens a se potest procedere ab alio diversæ naturæ, & essentiæ c. M. ab alio ejusdem naturæ n. M. *Ens a se* dupliciter spectari potest: 1mo prout excludit principium extraneum, & diversæ naturæ. Et sic omnes Personæ divinæ sunt a se. 2do. prout exclu-

excludit reale principium ejusdem naturæ: & sic solus Pater divinus est a se.

Objic. 2. Quævis Persona est principium primum: ergo non habet principium sui. ℞. D. a. est principium primum ad extra, seu respectu creaturarum, quæ sunt extra Deum c. a. ad intra n. a.

Objic. 3. In Personis divinis, utpote æternis, non datur prioritas: ergo neque processio. ℞. D. a. non datur prioritas temporis, vel durationis c. a. originis n. a. Prioritas originis sufficit, ut una Persona procedat ab alia.

Objic. 4. Si Pater producit Filium divinum, tunc Pater est causa Filii: ergo Filius tanquam effectus dependet a Patre. ℞. D. a. Si Pater producit Filium alterius naturæ c. a. si ejusdem secum naturæ n. a. Causa est *principium influens esse in aliud:* in Divinis autem non datur *aliud, & aliud;* nam *aliud* significat communiter distinctam naturam; plures autem distinctæ naturæ in Personis D. non dantur. Nihilominus datur in SS. Trinitate *alius & alius,* prout *τὸ alius* supponit pro Persona, vel supposito.

Objic. 5. Si Pater generaret Filium ejusdem secum naturæ, tunc se ipsum generaret: atqui Pater se ipsum non generat: ergo. ℞. N. M. nam illud, quod a Patre generatur, nec est natura divina, nec est Paternitas, sed est suppositum Filii, realiter a Patre distinctum.

Dices: Quando generatur terminus, generatur simul omne illud, quod cum termino identificatur: atqui natura divina simul cum termino genito, seu Filio D. identificatur: ergo dum generatur Filius, etiam generatur natura divina. ℞. D. M. quando generatur terminus, generatur simul omne illud, quod cum termino identificatur, si illud est intrinsece multiplicabile c. M. si non est multiplicabile n. M. & D. m. atqui natura D. cum Filio D. identificatur, non tamen est intrinsece multiplicabilis c. m. est multiplicabilis n. m. & c.

Objic. 6. Si Filius divinus generatur, tunc est possibilis: atqui non est possibilis; nam possibilitas infert mutabilitatem, mutabilitas imperfectionem: ergo. ℞. D. M. est possibilis possibilitate logica, quæ est mera non repugnantia ad existendum c. M. possibilitate physica, quæ diceret verum transitum physicum a non esse, ad esse n. M. Physica possibilitas, non autem logica infert mutabilitatem. Ex quo

Colliges 1. Non mutari essentiam divinam per productionem Filii, & Spiritus Sancti; si enim aliquid mutatur, tunc debet vel aliquid

perdere, quod habebat, vel aliquid acquirere, quod aliquando non habuit: Effentia autem divina nullo inftanti durationis fuit fine proceffionibus, & Perfonis productis.

Colliges 2. Proceffiones Filii, & Spiritus Sancti, etfi fint ab alio, effe tamen neceffarias, feu non effe contingentes, prout infra dicetur.

Objic. 7. Quidquid producitur, vel fit ex nihilo, vel ex fubjecto: ergo & Filius D. fi producitur, fit vel ex nihilo, vel ex fubjecto. Atqui fieri ex nihilo, & fieri ex fubjecto maximam imperfectionem dicit, & foli creaturæ convenit: ergo. R. D. M. Quidquid producitur productione finita, fit ex nihilo &c. c. M. productione infinita, & divina ad intra, quæ fit per puram naturæ D. communicationem n. M. &c.

Objic. 8. Quod ab altero producitur, exigit alterum, ac eo indiget: ergo & Filius Divinus, fi producitur a Patre, indiget Patre. Atqui hæc indigentia dicit imperfectionem: ergo. R. N. a. Hæc indigentia tantum datur in productionibus finitis, non in ifta infinita, in qua producens, & productum funt ejusdem naturæ.

Objic. 9. Perfectius eft dare, quam accipere: ergo, cum Pater det effentiam Filio, hic autem eam a Patre accipiat, Pater erit perfectior Filio. R. Hoc axioma tantum locum habere, ubi inter dantem, & accipientem datur diftinctio naturarum: econtra cum in Divinis Filius a Patre accipiat eandem omnino, & æqualiter perfectam naturam, non poteft major perfectio effe in Patre, quam Filio, id, quod fubtiliter expendit D. Auguftinus L. 3. contra Maximinum c. 14. dicens: *Nec poteft, qui accepit, ei, qui dedit, effe inæqualis*, confequenter minus perfectus; *quia & hoc accepit, ut effet æqualis.*

Objic. 10. Deus non eft perfectibilis: ergo non poteft ad intra producere; nam juxta tritum axioma: *agens agit, ut perficiatur.* R. N. c. Deus non agit ex indigentia, fed ex infinita fœcunditate perfectionis: adeoque præfatum axioma in Divinis locum non habet. Vel poteft diftingui: agens, quod nondum eft infinite perfectum, agit, ut perficiatur *conc.* quod jam eft infinite perfectum *neg.*

Objic. 11. Si Pater produceret Verbum, tunc ideo, ut per illud intelligeret: atqui Pater non intelligit per Verbum, fed per cognitionem effentialem: ergo. R. N. M. Pater producit ideo Verbum, ut fuam fœcunditatem infinitam, quam habet, ad intra poffit exercere.

Dices: Cognitio essentialis jam est terminus adæquatus intellectus Divini: ergo non potest dari alius terminus ejusdem, consequenter neque Verbum divinum. ℞. D. a. Est terminus adæquatus in ratione actus operativi, & cognoscitivi c. a. in ratione notitiæ vere productæ & genitæ n. a. Cognitio essentialis simpliciter emanat metaphysice ex essentia Divina, non autem producitur, nec gignitur a Patre; hinc in ratione notitiæ genitæ non potest esse terminus adæquatus fœcunditatis Divinæ.

§. II.

Quot dentur Processiones Divinæ?

Assero. Duæ tantum, & non plures sunt processiones divinæ. 400
Ita omnes Catholici. P. Tot sunt processiones, quot sunt principia productiva distincta in Deo: atqui in Deo tantum duo sunt principia productiva distincta, nimirum intellectus, & voluntas: ergo. M. constat; nam, cum processiones sint a principiis productivis, hinc merito earum diversitas, & multiplicitas ab his principiis desumitur. m. probabitur ex infra dicendis.

P. 2. Duæ tantum sunt Personæ procedentes, & productæ, nimirum Filius, & Spiritus Sanctus: ergo & duæ tantum productiones, ac processiones earum. Vide etiam dicta n. 397.

Objic. 1. probando, esse tantum unam processionem in divinis. 401
Processio Filii Divini est infinita: ergo & illa una exhaurit totam potentiam productivam Patris, consequenter non potest amplius produci Spiritus Sanctus. ℞. D. c. Exhaurit totam potentiam intellectivam Patris c. c. exhaurit etiam potentiam volitivam Patris n. c.

Dices 1. Voluntas, & intellectus divinus sunt unica simplex potentia: ergo & unicum tantum principium processionis constituunt. ℞. D. a. Sunt unica realiter potentia, quæ tamen formaliter ex natura rei distinguitur c. a. quæ non sic distinguitur n. a.

Dices 2. Filius Divinus, & Spiritus Sanctus, vel sunt termini adæquati, vel inadæquati? neutrum potest dici: ergo. m. p. non possunt esse adæquati: quia respectu unius realis potentiæ productivæ, nequeunt esse duo termini adæquati: neque possunt esse plures termini inadæquati, quia si Filius Divinus esset terminus inadæquatus, non foret infinitus: ergo. ℞. Verbum Divinum, & Spiritum

Sanctum esse terminos adæquatos, non quidem respectu ejusdem formaliter principii, sed respectu duarum ex natura rei formaliter distinctarum potentiarum.

Dices 3. Actiones vitales, quales sunt processiones Divinæ, distinguuntur per objecta: atqui respectu utriusque potentiæ divinæ est tantum unum objectum, nempe Essentia divina: ergo & unica actio, ac processio. ℞. D. m. Est tantum unum objectum materiale c. m. formale n. m. Essentia Dei ab intellectu respicitur ut scibilis, a voluntate ut amabilis, quod sufficit ad diversitatem actuum.

402 Objic. 2. Non tantum Pater D. habet intellectum fœcundum, sed & Filius D. ac Spiritus Sanctus: ergo & Filius, & Spiritus Sanctus possunt generare alium Filium, consequenter plures dabuntur generationes in Divinis, quam una. ℞. N. c. Nam Filius Divinus, & Spiritus Sanctus accipiunt intellectum fœcundum, prout hic jam habet terminum adæquatum productum. Ex hac ratione, quia Filius D. voluntatem fœcundam accipit a Patre, prout illa necdum habet terminum suum adæquatum, seu Spiritum Sanctum, hinc Filius una cum Patre spirat Spiritum Sanctum, non autem Spiritus S. potest amplius novum Spiritum S. spirare, ob dicta. Vide n. 422. Object. 5.

Dices 1. Etiam natura D., item Bonitas D. utpote communicativa sui, sunt fœcundæ: ergo plura principia, quam duo dantur in Deo, consequenter & plures processiones. ℞. D. a. Sunt fœcundæ radicaliter, seu sunt radices, ex quibus formalis fœcunditas per intellectum, & voluntatem exurgit c. a. sunt formaliter fœcundæ n. a. Principia formaliter fœcunda sunt tantum duo, nimirum intellectus, & voluntas: ergo & duæ tantum processiones.

Dices 2. In nobis sunt plurimæ processiones per intellectum, & voluntatem, nempe tot, quot sunt volitiones, & intellectiones: ergo etiam in Divinis. ℞. N. c. Multiplicatio horum actuum sequitur in nobis ex limitatione, & imperfectione eorum; si enim unus actus esset infinite perfectus, & consequenter sufficiens ad quævis objecta intelligenda &c. tunc non requireretur multiplicatio horum actuum, & processionum. Aliter igitur loquendum de processionibus divinis, quæ habent terminos infinitos, nempe Filium Divinum, & Spiritum Sanctum.

Dices 3. Paternitas etiam emanat ab Essentia divina: ergo saltem tres sunt processiones. ℟. N. c. Hic enim non agimus de emanatione metaphysica, qua relationes Divinæ ex Essentia D. promanant, sed de vera reali productione, & actione, qua duæ Divinæ Personæ producuntur.

Quæres: An processiones Divinæ sint ex nihilo, vel subjecto? 403
℟. Processiones Divinæ non sunt ex nihilo, sed de aliquo, scilicet de Essentia divina: consequenter Filius, & Spiritus Sanctus non ex nihilo, sed ex substantia divina procedunt. Communis. P. 1. Concilium Nicænum in Confessione fidei, & Ephesinum in Epistola ad Nestorium, nec non Concilium Toletanum XI. iterum in Confessione fidei, Filium D. ex substantia Patris genitum asserunt. Accedit Florentinum sess. 19. dicens: *Hanc nobis doctrinam Doctores omnes tradiderant, orationes has exponentes: Filius est ex substantia Patris, & S. Spiritus ex Patris, Filiique substantia.*

Pariter D. Augustinus variis in locis præsertim L. 3. contra Maximinum c. 14. Item L. contra Felicianum c. 6. ostendit, Filium Divinum non ex nihilo, sed ex substantia Patris esse genitum.

P. 2. ratione. Illud non fit ex nihilo, quod præsupponit aliquid sui: atqui generatio Filii præsupponit substantiam, & essentiam Patris: item Spiratio Spiritus Sancti præsupponit substantiam Patris, & Filii: ergo generatio Filii, & spiratio Spiritus S. non fiunt ex nihilo. M. est certa, ideo enim ignis, qui ex ligno accenso oritur, non fit ex nihilo, quia præsupponit aliquid sui, scilicet materiam primam. Ex hoc

Colligis, quando Filius dicitur esse de substantia Patris, denotari & originem, ac processionem Filii a Patre, & consubstantialitatem Filii cum Patre. Ratio hujus est: si per hunc loquendi modum intelligeretur sola origo, tunc creaturæ quoque forent de substantia Dei; nam & hæ a Deo originem habent: si vero intelligeretur tantum consubstantialitas, tunc Pater etiam foret de substantia Filii; nam Pater cum Filio eandem habet substantiam. Ex his

Colligis ulterius rationem, quare Filius non dicatur esse de substantia propria, nec de substantia Spiritus sancti; nam Filius nec a se ipso, nec a Spiritu S. procedit.

Petes: An Processiones Divinæ sint ex Essentia tanquam ex materia vel subjecto? ℟. negative; nam esse materiam, vel subjectum dicit imperfectionem, quæ Essentiæ Divinæ infinite perfectæ conve- 404

nire non poteſt: ergo. A. conſtat: quia materia, & ſubjectum ſunt quid perficibile a forma: item faciunt compoſitionem cum forma: atqui eſſe perfectibile, & facere compoſitionem cum altero dicit imperfectionem: ergo.

Dices 1. Relationes, ac proceſſiones Divinæ actuant Eſſentiam Divinam: ergo Eſſentia D. ſe habet per modum materiæ, ac ſubjecti actuabilis. ℞. N. a. Relationes in Deo non actuant, ſed tantum terminant eſſentiam Divinam in ratione ſuppoſiti. Verbo: Relationes in Deo non ſunt actus eſſentiæ divinæ, ſed tantum termini communicabilitatis, quam habet Eſſentia divina.

Dices 2. Natura Divina eſt ſub termino a quo, & ad quem generationis divinæ: atqui materiæ eſt proprium manere ſub utroque generationis termino: ergo. ℞. D. M. Sine omni tamen privatione, & mutatione c. M. ſecus n. M. Materia prima eſt ſub termino a quo, & ad quem ſucceſſive, cum aliqua vera reali mutatione, quod naturæ Divinæ non convenit.

Dices 3. Potentiæ activæ reſpondet aliqua potentia paſſiva, quæ eſt ſubjectum: atqui in Deo datur potentia activa: ergo &c. ℞. N. M. Univerſaliter ſumptam; nam & potentiæ creativæ non reſpondet aliqua potentia paſſiva, quæ eſſet ſubjectum præexiſtens.

Articulus II.

Quid ſint Proceſſiones Divinæ?

§. I.

An Proceſſiones Divinæ ſint veræ actiones?

Controverſia eſt de Proceſſionibus active ſumptis. Quare

405 Nota 1. Proceſſiones binas diſtingui, *activas* nempe, & *paſſivas.* Eſt autem proceſſio *activa* illa actio, qua aliqua Perſona producitur, ut eſt generatio activa in Patre, qua producitur Filius Divinus. Proceſſio *paſſiva* eſt illa ratio, quæ denominat Perſonam aliquam productam, ut in Filio Divino eſt generatio paſſiva, ſeu Filiatio, & in Spiritu Sancto eſt ſpiratio paſſiva.

Nota 2. Primum hoc in Articulo dubium eſſe, utrum Perſonæ Divinæ per veram quamdam actionem productivam procedant, ut adeo proceſſio activa ſit veri nominis actio: vel, utrum per ſimplicem,

cem, & puram emanationem r. ſultent, qua ratione proprietates ab eſſentia, & relatio ex fundamento reſultant, & promanant. H. S.

Aſſero. Proceſſiones divinæ activæ ſunt veræ actiones productivæ immanentes. Ita Fraſſen, & alii contra Suarez, & Molinam, qui volunt Proceſſiones divinas eſſe meras reſultantias, & promanationes. Contra quos 406

P. Concluſio 1. Verbum Divinum juxta Scripturam, & Concilia dicitur *gigni*, *generari* &c. quibus verbis indicatur, Verbum D. per veram actionem, quæ eſt generatio, produci.

P. 2. ratione. Ad hoc, ut terminus aliquis dicatur per veram actionem productus, plus non requiritur, quam ut immediate, & per ſe primo terminet ſui productionem: atqui Perſonæ divinæ ſunt termini ſubſtantiales, qui immediate, & per ſe primo terminant ſui productionem: ergo Perſonæ divinæ per veram actionem procedunt. m. eſt certa; nam Perſonæ Divinæ ſunt vere productæ, & Pater D. dicitur per ſe generare Filium, ac ſpirare Spiritum Sanctum. M. vero prob. Ea, quæ non per veram actionem, ſed per ſimplicem reſultantiam ponuntur in rerum natura, ſolent primum ad alterius termini productionem conſequi, & non per ſe primo produci: ita relatio creata non per ſe primo producitur, ſed ad productionem fundamenti, & termini conſequitur. Idem eſt de proprietatibus, quæ ad poſitionem eſſentiæ conſequuntur.

P. 3. Si Proceſſiones non eſſent veræ actiones productivæ, & Perſonæ Divinæ omnes tantum reſultarent ex Eſſentia divina, tunc Perſonæ D. inter ſe non diſtinguerentur realiter: atqui hoc non poteſt admitti: ergo. M. p. Ideo intellectio, & amor eſſentialis in Deo non diſtinguuntur realiter, quia non procedunt per veram actionem productivam, ſed per ſimplicem dimanationem ex Intellectu, & voluntate divina: ergo a pari idem eſſet dicendum, ſi omnes Perſonæ tantum reſultarent, & dimanarent ex eſſentia Divina.

P. 4. Aliter ſunt in Deo Perſonæ Filii, & Spiritus Sancti, quam Perſona Patris; nam Filius, & Spiritus S. procedunt ab alia Perſona, non autem Pater: ergo cum Paternitas ſimpliciter emanet ex Eſſentia divina, ſic non ſimpliciter poſſunt dimanare ex eſſentia Perſonalitates Filii, & Spiritus Sancti, ſed hæ vere producuntur per actionem proprie talem.

407 Dixi in Aſſertione 1. *Actiones productivæ* &c. nam duplex datur actio: una eſt actio *transmutativa,* quæ transmutat aliquod ſubjectum, v. g. facit calidum ex frigido. altera eſt *productiva*, quæ ſuum terminum producit. Prima actio, ſeu transmutatio, non poteſt dari in Divinis; transmutatio enim exigit neceſſario aliquod ſubjectum, in quod agat: atqui ſubjectum, ceu aliquid imperfectum, in Divinis non poteſt dari. Quare, cum nomen actionis communiter apud Philoſophos pro transmutatione ſumatur, ideo non debemus ſimpliciter dicere, quod proceſſiones Divinæ ſint actiones, ſed cum addito: *actiones productivæ;* actio enim productiva non neceſſario exigit aliquod ſubjectum, ſed aliquid ſine ſubjecto producere poteſt, ut patet in productione creativa.

Dixi 2. *immanentes;* Proceſſiones enim Divinæ, & earum termini, ſeu Perſonæ Divinæ, ſunt ad intra, & identificantur eidem eſſentiæ divinæ, adeoque ſunt immanentes: contra vero productio illa, qua Deus creat creaturas, eſt actio tranſiens, & ad extra, quia creaturæ productæ, tanquam termini hujus actionis productivæ, & creativæ, ſunt extra eſſentiam divinam, ſeu non identificantur eſſentiæ divinæ. Ex quo

408 Colligis, quod cognitio illa, qua Deus cognoſcit creaturas, item decretum illud, quo aliquid decernit circa creaturas, dicantur operationes *ad extra*, non ideo, quaſi ipſa cognitio, & Decretum divinum eſſent extra Deum; hoc enim falſum eſt, cum tam cognitio, quam Decretum divinum Deo neceſſario identificentur: ſed ideo vocantur operationes ad extra, quia hujus cognitionis, & decreti termini, ſeu objecta terminativa, nempe creaturæ, quæ cognoſcuntur, & decernuntur, ſunt extra Deum, & Deo non identificantur.

Colligis 2. Proceſſiones divinas poſſe deſcribi, quod ſint actiones productivæ, vitales, ac immanentes, æternæ, & neceſſariæ, quibus una Perſona procedit ab altera realiter diſtincta, non per modum effectus a cauſa, ſed per modum termini a principio ejusdem naturæ.

Dixi: *actiones vitales;* nam hæ actiones habent principia vitalia, videlicet intellectum, & voluntatem Divinam: ergo & ipſæ ſunt actiones vitales. Reliquæ particulæ partim ex dictis, partim ex dicendis fiunt liquidæ. Cæterum Proceſſiones Divinæ ſunt quidem productiones, ſine ulla tamen imperfectione, conſequenter ſine cau-

ſalitate,

salitate, dependentia, mutatione, & aliis imperfectionibus, quæ ordinarie comitari solent productionem agentium creatorum.

Nunc autem gravis exurgit difficultas, in quonam consistant actiones hæ, quibus producuntur Filius divinus, & Spiritus Sanctus. 409
Scotistæ volunt, esse veras actiones formaliter ex natura rei distinctas ab intellectione, & amore essentiali. Hunc in finem

Cum suo Doctore adstruunt in intellectu divino duos actus formaliter inter se distinctos: unus est *dictio*, seu *actus dicendi*. Et per hunc actum, scilicet per dictionem, dicunt, generari, & produci Verbum Divinum. Alter actus intellectus Divini juxta SSas est cognitio, & intellectio essentialis, seu *actus intelligendi*. Hoc actu cognoscit Deus quidem suam essentiam, ac omnia alia, non tamen per illum producit, aut generat Verbum, seu Filium Divinum. Similiter juxta SSas duplex, ac formaliter inter se distinctus actus est in voluntate, nimirum *spiratio activa*, qua producitur, & spiratur Spiritus Sanctus: item *amor essentialis*, quo Deus se, & alia amat.

Thomistæ vero admittunt quidem, Verbum Divinum generari, & Spiritum Sanctum spirari per spirationem activam; sed dictionem, ajunt, esse omnino indistinctam ab intellectione essentiali, & spirationem activam ab amore essentiali. Verbo: ajunt, processionem activam, qua generatur Filius, esse ipsam intellectionem essentialem, & processionem Spiritus Sancti activam, esse amorem essentialem. Dicuntur autem intellectio, & amor essentialis, non ideo, quasi naturam Divinam essentialiter constituerent, cum tantum sint ipsius proprietates absolutæ, & attributa: sed ideo, quia isti actus primario terminantur ad essentiam Divinam, cognoscendo, ac amando eam, ceu præcipuum suum objectum.

Pro sententia Scotistica magis capienda, nota ex Philosophia 1mo 410
quid sit Verbum mentis. 2do Intellectum, imo & voluntatem, esse *operativum*, & *productivum*: *Productivus* est intellectus, quatenus producit Verbum mentis: *Operativus*, quatenus per intellectionem tendit in objectum, & illud intelligit, ac percipit. Ex quo

Colligis rationem, cur Dictio ab intellectione, & spiratio activa ab amore essentiali distinguantur; nam intellectio, & Amor, seu volitio essentialis sunt actus tantum operativi, qui non dicunt actionem, ac productionem proprie dictam, sed tantum vitalem tendentiam in objectum, nimirum in essentiam divinam &c. quæ tendentia actio vera esse nequit, cum non respiciat objectum sub ratione alicujus ter-

mini producti, vel producendi, fed tantum fub ratione cognofcibilis, & amabilis, adeoque ab omni productione, & producibilitate præfcindat. Contra Dictio, & Spiratio activa important veram actionem, & productionem, & refpiciunt terminos vere productos. H. S. fit

§. II.

An Processiones Divinæ formaliter confiftant in intellectione, & amore effentiali?

411 Affero: Actus effentiales intelligendi, & volendi in Deo, feu intellectio, & volitio effentialis non funt illæ actiones, quibus Filius, & Spiritus S. producuntur, & procedunt. Scotus 1. d. 2. q. 7. §. *Objicitur contra iftam deductionem fic.* ℣. *ad fecundum dubium dico.* Item ℣. *Quare igitur.* N. 26. SSæ. contra TTas.

P. 1. Intellectio, & volitio effentialis funt communes, & conveniunt omnibus tribus Perfonis; atqui actus notionales, & proceffiones activæ non funt communes omnibus tribus Perfonis: ergo intellectio, & volitio non funt proceffiones activæ. M. eft certa; nam omnia prædicata abfoluta, qualia etiam funt amor, & intellectio effentialis, conveniunt æqualiter omnibus tribus Perfonis Divinis. m. iterum patet; fi enim proceffiones activæ, & actiones productivæ competerent omnibus tribus Perfonis, tunc omnes tres Perfonæ producerent Filium Divinum, & Spiritum Sanctum, quod eft contra fidem.

412 Refpondent TTæ 1mo. Intellectionem, & amorem effentialem effe proceffiones activas, non prout funt actus effentiales, & abfoluti, fed quatenus funt actiones dicendi, & fpirandi.

Contra eft: Dictio eft ex natura rei formaliter diftincta ab intellectione: ergo intellectio nequit fimul effe dictio. A. p. Dictio eft quid relativum, & notionale, & intellectio eft prædicatum abfolutum, & effentiale; atqui prædicata abfoluta a relativis in Deo ex natura rei formaliter diftinguuntur juxta dicenda Differt. VII. ergo.

Refpondent 2. Intellectionem, & amorem effentialem effe quidem proceffiones activas, fed ut modificatas; ajunt enim, intellectionem, per quam procedit Filius, modificari per Paternitatem, & amorem effen-

essentialem, per quem spiratur Spiritus Sanctus, modificari per Paternitatem, & Filiationem.

Contra est 1. Vel illa modificatio addit aliquid supra intellectionem, & amorem essentialem, vel nihil? Si nihil: tunc non est ratio, cur intellectio in una Persona sit productiva Filii, & non etiam in reliquis Personis. Si addit aliquid: tunc illud additum est vel *absolutum?* & tunc æque erit commune omnibus tribus Personis, ac intellectio, consequenter redibit, & manebit antiqua difficultas: vel illud additum est *relativum*, & *notionale?* & tunc nil aliud esse poterit, quam *dictio*, & *spiratio activa:* adeoque præter intellectionem, & amorem essentialem dabitur dictio, & spiratio activa in Deo, quod est nostrum intentum.

Contra est 2. Nec Paternitas, nec ulla relatio potest ita modificare intellectionem essentialem, vel quodcunque prædicatum absolutum, ut illud sit specialiter proprium uni Personæ, & non sit æqualiter commune tribus Personis: ergo hæc modificatio nihil est ad rem, cum, ea stante, adhuc intellectio, & amor essentialis maneant æqualiter communes tribus Personis.

Respondent 3tio. Dictionem saltem includere simul intellectionem. Contra est. Dictio est quid relativum, & notionale: item est actio. E converso intellectio est absoluta operatio, & vitalis perceptio objecti: ergo dictio non includit in sua ratione formali, sed potius excludit intellectionem.

Respondent 4to. Duplicem in Deo dari actum intelligendi, & volendi, unum *essentialem*, alium *notionalem:* per priorem non produci Personas divinas, bene per posteriorem.

Contra est 1mo. Vel actus intelligendi notionalis est quid absolutum, vel relativum? si primum: manet eadem difficultas & hic actus intelligendi debebit esse communis omnibus tribus Personis: si vero est quid relativum: tunc jam conveniunt AArii nobiscum, admittentes aliquam dictionem relativam ultra intellectionem essentialem.

Contra est 2do. In Deo non possunt poni plures Deitates, quarum una esset essentialis, altera notionalis: ergo neque possunt in Deo poni plures intellectiones, quarum una foret essentialis, altera notionalis.

Contra est 3tio. Dictio, tanquam actus notionalis, non potest esse intellectio: ergo. A. p. Omnis intellectio est vitalis perceptio ob-

jecti, circa quod occupatur, quatenus objectum eft, illud nempe intelligendo, non producendo: ex oppofito dictio, tanquam relatio, & actus notionalis, non eft vitalis perceptio objecti, neque circa objectum occupatur, quatenus objectum eft, fed tantum refpicit terminum ut productum: ergo.

Refpondent 5to. Dictionem, non effe quidem formaliter intellectionem, fed tantum realiter.

Contra eft 1mo. Etiam nos dicimus, dictionem tantum ex natura rei formaliter, non autem realiter diftingui ab intellectione, uti & a reliquis prædicatis abfolutis, quæ funt in Deo: ergo.

Contra eft 2do. Si realis identitas fufficit, ut dictio vocetur intellectio, tunc etiam proceffio Filii rite vocabitur fpiratio, ac volitio; atqui hoc eft abfurdiffimum: ergo. M. p. nam proceffio Filii realiter identificatur cum fpiratione activa, & cum volitione effentiali.

413 Objic. contra hanc probat. Etfi intellectus, & voluntas divina fint in omnibus tribus Perfonis, non tamen omnibus tribus perfonis principiant, aut producunt ad intra: ergo etfi intellectio, & amor effentialis fint proceffiones activæ exiftentes in omnibus tribus Perfonis, non tamen in omnibus tribus Perfonis deberent producere terminum. A. conftat; nam intellectus divinus tantum, prout exiftit in Patre, principiat Filium, non autem prout eft in Filio, & Spiritu Sancto.

℞. N. c. & paritatem; nam intellectus, & voluntas divina funt principia, & potentiæ productivæ: proceffiones vero activæ funt actiones, & productiones actuales. Poteft autem fæpe aliquod principium, & potentia effe, etfi actu non agat, aut producat: aft nunquam poteft actualis actio dari in aliquo fuppofito, quin illud actu agat. Sic homo femper habet potentiam ambulandi, etfi non femper ambulet: non autem habet actualem ambulationem, vel actionem ambulationis, nifi tunc, dum actu ambulat: ergo bene omnes tres Perfonæ D. poffunt habere potentiam, & principium productivum, etfi omnes tres Perfonæ non producant: non autem poffunt omnibus tribus concedi actiones productivæ, & actuales proceffiones, ac productiones ad intra, fi omnes tres Perfonæ non actu producunt, generant, & fpirant. Jam

414 P. Affertio 2do. *Dicere*, confequenter & *Dictio*, opponitur relative Verbo, quod dicitur; atqui intellectio effentialis non opponitur relative Verbo: ergo Dictio non eft intellectio. M. eft certa. m. pariter conftat; nam intellectio effentialis realiter identificatur Verbo, feu

Filio

Filio divino; atqui illa in Divinis non identificantur realiter, inter quæ intercedit oppositio relativa, uti est apud omnes Th. Th. concessum: ergo.

P. 3. Si Pater produceret Verbum intelligendo, seu per intellectionem, tunc Pater esset sapiens, & intelligeret sapientia genita, seu per Verbum; imo & Spiritus Sanctus non intelligeret, nisi per Verbum; sequela est falsa: ergo & id unde sequitur. M. liquet ex sententia Thomistarum, qui dicunt, ideo Verbum mentis per intellectionem in nobis produci, ut per illud intelligatur objectum. m. patet ex D. Augustino, qui L. 15. de Trinit. c. 7, ait: *Quis audet dicere, & Patrem nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum S. intelligere, nisi per Filium?* Et addit, absurdum esse, dicere, *quod Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio, & quod ea sapientia Pater dicatur esse sapiens, quam genuit.*

Confirm. hæc minor ratione; Si enim Verbum, seu Filius Divinus implicaret, adhuc Deus esset sapiens, & intelligeret; siquidem etiam implicante Filio Deus adhuc esset Deus, sicque intelligeret: ergo Deus non intelligit per Sapientiam genitam, ac Verbum productum.

P. 4. Nostrum verbum mentis non fit per actualem intellectionem, seu per intellectum operantem, & in actu secundo intelligentem, sed ad illud producendum sufficit memoria fœcunda, seu intellectus habens objectum debite præsens vel in se, vel in sua specie impressa: ergo etiam Verbum Divinum non procedit per actualem intellectionem, sed per Dictionem distinctam. A. constat ex Philosophia. C. tenet a pari.

P. 5. Si intellectio esset actio productiva alterius termini, tunc non posset intellectio reflexe cognosci sine termino illo cognito; sic enim, quia calefactio est actio productiva caloris, non potest cognosci, non cognito simul termino, nempe calore: atqui perfecte cognoscimus intellectionem, non cognito ullo termino per illam producto: ergo. m. p. perfecte, & reflexe possum concipere intellectionem, qua cognosco arborem, quin intelligam aliquid per hanc intellectionem productum. Cæterum

Adverte ex Philosophia: Verbum Divinum, & Verbum Mentis creatum in sequentibus convenire. 1mo. Utrumque producitur per *Dictionem*, & per intellectum, non ut *operantem*, sed producentem. 2do. Utrumque procedit a memoria fœcunda, quæ tam in creatis, quam

divinis confiftit in intellectu, habente objectum fibi debite præfens, ac approximatum.

Differunt autem 1mo quia Verbum noftrum eft ipfa intellectio: Verbum autem divinum non eft intellectio effentialis. 2do Verbum noftrum eft accidens abfolutum, de genere qualitatis: non item Verbum divinum; hoc enim eft fubftantiale, & relativum, formaliter conftituens Perfonam genitam. 3tio. Per Verbum noftrum formaliter tendimus in objectum, illoque formaliter intelligimus, quod iterum non convenit Verbo divino.

415 Objic. 1. S. Auguftinus dicit, Verbum nafci ex fapientia, & Scientia: item Verbum gigni *cogitando*, Verbum effe *Vifionem de Vifione;* fed per Sapientiam, cogitationem, & vifionem intelligitur actualis intellectio: ergo Verbum procedit per actualem intellectionem.

℟. D. Et in his, ac fimilibus textibus S. P. tantum intelligit, Verbum gigni ex Sapientia, cogitatione, & vifione radicali, quæ nil aliud eft, quam memoria fœcunda, feu intellectus, prout habet præfens objectum *conc.* ait, Verbum gigni ex Sapientia actuali, & formali &c. prout ea eft actualis intellectio, qua formaliter percipitur objectum *neg.* Hanc explicationem ex ipfo Auguftino defumo, qui de noftro Verbo Mentis L. 15. de Trinit. c. 10. ait: *Neceffe eft, cum Verbum loquimur, ex ipfa fcientia, quam N. memoria tenemus, nafcatur Verbum: formata quippe cogitatio ab ea re, quam fcimus, Verbum eft, quod in corde dicimus.* ubi per *fcientiam*, ex qua nafcitur Verbum, intelligit memoriam fœcundam: intellectionem vero ab hac fcientia, feu a memoria fœcunda formatam, & genitam, dicit effe ipfum Verbum mentis. Simili igitur modo etiam (cum proportione tamen) eft difcurrendum de Verbo divino; nam, ut ait iterum laudatus Auguftinus c. 14. *Verbum noftrum - - - utcunque fimile eft illi Verbo Dei, quod etiam Deus eft; quoniam fic & hoc de noftra fcientia nafcitur, quemadmodum & illud de fcientia Patris natum eft.*

Objic. 2. Verbum producitur per locutionem; fed locutio mentalis eft ipfa intellectio: ergo Verbum producitur per intellectionem. ℟. N. m. nam locutio eft dictio: dictio vero non eft formaliter intellectio; Hinc, fi per impoffibile nec Verbum, nec dictio daretur in Deo, tamen in eo effet intellectio, ut ex prob. tertia conftat.

Objic. 3. Dictio eft intellectio; atqui per dictionem producitur Verbum: ergo per intellectionem. M. p. dictio eft actus intellectus;

ctus; sed actus intellectus est intellectio, sicut actus potentiae visivae est visio: ergo.

℟. D. M. est intellectio vel formaliter, vel radicaliter, & denominative talis c. M. formaliter talis n. M. Omnis operatio intellectus, proinde & dictio, potest vocari *intellectio radicaliter*, *&* *denominative* talis, quia provenit a potentia intellectiva, tanquam sua propria radice, & principio: non autem omnis operatio intellectus potest dici *intellectio*, ac cogitatio formalis; haec enim est actus, qui formaliter tendit in objectum, illud cognoscendo: ast hoc non convenit dictioni, quae est vera actio intellectus, utpote quae a nulla alia potentia, quam intellectiva exerceri potest.

Objic. 4. Intellectio est actio; sed non esset actio, si nihil per eam produceretur: ergo per intellectionem debet aliquid produci. ℟ 1. cum Scoto: intellectionem esse tantum actionem in sensu grammaticali, non autem in sensu Theologico, vel Philosophico. ℟. 2. D. M. Intellectio est actio operativa, habens pro termino objectum, quod percipit, & cognoscit c. M. est actio productiva, habens pro termino effectum aliquem productum n. M. Hinc intelligere est agere operative, & percipiendo objectum, non autem est agere productive aliquid producendo, prout tamen volunt Thomistae.

Objic. 5. Intellectio potest producere habitum: ergo est productiva, & non solum operativa. ℟. D. c. ergo intellectio est productiva alicujus, quod est necessarium ad actu intelligendum n. c. quod non est necessarium ad actu intelligendum per talem intellectionem c. c. Nos tantum negamus contra TTas, quod per intellectionem aliquid producatur, quod est necessarium ad actu intelligendum, nempe formalis, & expressa imago objecti: dato interea, quod forte aliquid aliud possit produci, quod non est necessarium ad actualem intellectionem. Tale quid est habitus; nam si aliqua cognitio non produceret habitum, tamen per eam cognosceretur objectum.

Objic. 6. Volitio Divina potest ad extra producere: ergo volitio divina est etiam productiva. ℟. D. c. est productiva alicujus termini immanentis, & vitalis, qui se habet ad modum actus vitalis immanentis, qualis est Spiritus Sanctus n. c. est productiva alicujus termini extrinseci, qui se non habet ad modum actus, & termini vitalis immanentis c. c. Vel D. aliter: est etiam productiva tunc, quando non sequuntur eadem inconvenientia, quae sequerentur, si per eam

pro-

duceretur Spiritus Sanctus c. c. si sequuntur n. c. Operationes, & productiones Dei ad extra bene possunt statui in aliquo prædicato absoluto Dei; omnis enim operatio, qua Deus circa creaturas agit, est communis omnibus tribus Personis. Non sic est de productionibus Personarum, quæ non omnibus tribus Personis conveniunt.

§. III.

Statuitur nostra Sententia: & resolvuntur varia huc pertinentia.

416 Affero: Verbum divinum procedit per Dictionem, & Spiritus Sanctus per spirationem activam, quæ sunt veræ relationes. Est Doctoris subtilis jam citati. P. breviter: Verbum divinum, & Spiritus Sanctus non procedunt per intellectionem, & Amorem essentialem: ergo per actus hos notionales, & relativos nimirum per Dictionem, & Spirationem; alii namque actus in divinis excogitari nequeunt.

Objic. Relationes juxta Aristotelem non sunt activæ: ergo Dictio, & spiratio, ceu relationes, non possunt esse activæ, & productivæ Personarum. ℞. Ant. esse verum de relationibus creatis, quæ tantum sunt accidentia, non item de relationibus divinis, quæ sunt substantiales: imo sunt veræ substantiæ, ac proinde sunt alterius rationis, quam relationes creatæ.

Petes: An intellectio, & amor essentialis præsupponatur priori signo ad dictionem, & spirationem activam? ℞. affirmative. Ita Scotus 1. d. 2. q. 7. ubi ait: *Immediatius est ad memoriam fœcundam intelligere, quam dicere.* Ratio est; quia essentialia, & absoluta in Deo sunt priora notionalibus: ergo etiam intellectio, & amor essentialis sunt priores dictione, & spiratione activa, tanquam prædicatis notionalibus. Ex hactenus dictis

417 Inferes 1. Non esse admittendam hanc propositionem: *Pater intelligit Verbo;* quia idem sonat, ac: Verbum est Patri Principium, ac ratio intelligendi: vel, Pater est sapiens sapientia genita, quod falsum est; nam Verbum non est Patri principium, aut ratio intelligendi, sed intellectus, & intellectio essentialis omnibus tribus Personis communis. Hinc D. Augustinus, qui præfatam propositionem L. 83. q. 23. admisit, eam L. 1. Retract. c. 26. retractavit. Imo juxta eundem S. Docto-

S. Doctorem L. 15. de Trinit. c. 7. Si Deus Pater intelligeret Verbo, etiam esset Deus Verbo; quia idem est Patri sapere, & Deum esse.

Inferes 2. Admittendam esse hanc propositionem: *Pater intelligit in Verbo;* quamvis enim Pater omnia intelligat in sua essentia, tanquam objecto primario, omnia repraesentante: dicitur tamen non solum Pater, sed & Spiritus Sanctus, imo & ipsi Beati omnia videre in Verbo, quia ea, quae ad cognitionem spectant, specialiter appropriantur Filio, seu Verbo Divino, utpote quod per intellectum procedit. In hoc sensu exposita admitti quoque potest propositio illa: *Pater intelligit Verbo;* tunc enim Verbum non sumitur pro Filio, sed pro essentia, & idem a parte rei sonat, ac: Pater cognoscit omnia in sua essentia.

Inferes 3. Etiam veram esse hanc propositionem: *Pater dicit Verbo;* idem enim significat, ac Pater Verbo a se procedente manifestat se, & omnia cognita; etsi enim soli intellectui, & cognitioni essentiali, existenti in omnibus tribus Personis, competat ratio manifestandi, & cognoscendi, nihilominus haec specialiter appropriatur Verbo, ob rationem jam insinuatam. Quemadmodum enim, quamvis omnibus tribus Personis conveniat creatio, ea tamen specialiter attribuitur Patri, eoquod sit Persona prima, & a se, ac per consequens appropriatius dicatur principium omnium caeterorum: ita quoque intellectio, ac manifestatio omnium rerum speciali modo appropriatur Verbo, seu Filio Divino procedenti per intellectum.

Inferes 4. Non esse adhibendam propositionem sequentem: *Pater, & Filius spirant Spiritu Sancto:* licet possit ista sustineri: *Pater, & Filius diligunt Spiritu Sancto.* Ratio prioris est; quia prima propositio idem significat, ac Spiritus Sanctus est Patri, & Filio principium, vel ratio activa spirandi, quod falsum est. Ratio secundi; quia haec secunda propositio tantum vult, quod Pater, & Filius producant Spiritum Sanctum, qui *appropriate* dicitur amor utriusque.

Differtatio III.

DE PRINCIPIIS PROCESSIONUM DIVINARUM.

418 Supponendum hic ex Philofophia, & Tractatu de caufis, quod principium, & caufa non fint idem; illud enim, quod caufatur, a fua caufa dependet: item ab ea quoad naturam, & effentiam realiter diftinguitur. Econtra principium, quatenus principium eft, præcife denotat originem unius ab alio, neque neceffario exigit, ut principiatum fit diftinctæ naturæ, vel aliquam dependentiam habeat ad principium.

Porro Principium dividitur in principium *quod*, & *quo*. Principium *quod* eft ipfum agens, feu fuppofitum operans: principium *quo* eft illud, vi cujus fuppofitum agit, vel eft potentia, ac virtus fuppofiti, qua mediante in actionem exit. Eftque iterum duplex, nimirum principium *quo remotum, & radicale*, ac *proximum, & formale. Remotum* eft illud, vi cujus potentia, & virtus agendi fuppofito ineft, & convenit: ipfa vero virtus eft principium *quo formale*. Pro exemplo fit ignis producens alium ignem: ubi fuppofitum ignis eft principium quo remotum; etenim ratione effentiæ fuæ convenit igni virtus generativa alterius ignis: virtus vero hæc productiva alterius ignis eft principium quo proximum, & formale.

Effe in Deo principia productiva Perfonarum, patet: quia dantur productiones, ac proceffiones, quæ fine principio productivo dari nequeunt. Hinc tantum quæritur

Articulus. I.

Quænam fint principia quo, & quod Divinarum Proceffionum?

419 Affero 1. Principium quod Divinarum Proceffionum funt Perfonæ Patris, & Filii: Perfona quidem Patris refpectu generationis, Perfonæ vero Patris & Filii refpectu proceffionis Spiritus Sancti.

P. Ex

P. ex ipſa deſcriptione principii quod. Deinde neque natura Divina, neque intellectus, aut voluntas Divina ſunt principium quod illarum proceſſionum: ergo ſunt præfatæ Perſonæ, cum nil aliud aſſignari poſſit. A. conſtat; nam principium quod debet a ſuo principiato realiter diſtingui; atqui nec natura Divina, neque intellectus, aut voluntas D. realiter diſtinguuntur a Perſonis principiatis, & productis: ergo. M. eſt certa; nam nihil producit, vel principiat ſe ipſum, & inter principium quod, & principiatum datur oppoſitio relativa, ſeu ſeparabilitas proportionalis, quæ eſt ſignum realis diſtinctionis. m. eſt de fide, juxta quam Eſſentia divina omnibus tribus Perſonis Divinis realiter identificatur.

Confirm. Principium *quod* eſt illud, quod operatur, conſequenter quod generat, & ſpirat; atqui juxta Concilium Lateranenſe Natura Divina nec generat, nec ſpirat: ergo.

Objic. Natura Divina dicitur creare: ergo & generare. Atqui ſi Natura D. generat, eſt principium quod: ergo. ℞. N. c. Quamvis enim *actiones ſint ſuppoſitorum,* hæ tamen etiam poſſunt tribui principio *quo* formali, quando productum realiter a principio formali diſtinguitur, uti creaturæ ab eſſentia realiter ſunt diſtinctæ. Aſt cum Perſona generata non diſtinguatur ab Eſſentia Divina, hinc eſſentia Divina non poteſt dici generans.

Aſſero 2. Eſſentia Divina eſt principium *quo* remotum Divinarum Proceſſionum. Communis. 42

P. 1. Illud eſt principium quo remotum Divinarum Proceſſionum, vi cujus Deo competit virtus productiva Divinarum Perſonarum: atqui hæc virtus competit Deo vi ſuæ eſſentiæ; quia enim hæc infinite perfecta eſt, ideo ei infinita fœcunditas ad intra convenit: ergo.

P. 2. Illud eſt principium *quo* Proceſſionis, in quo genitum aſſimilatur generanti; atqui Filius aſſimilatur Patri, & Spiritus S. Patri, ac Filio in natura Divina: ergo natura Divina eſt principium quo proceſſionum Divinarum, non quidem proximum, ut dicetur: ergo remotum. m. eſt certa. M. p. Producens non aſſimilat ſibi productum, niſi in forma, & natura, qua agit. Sic ignis producens alium ignem, hunc ſibi aſſimilat in forma, & natura, qua agit.

P. 3. S. Damaſcenus L. 1. de Fide c. 8. ait: *generatio eſt naturæ, non ſicut generantis, ſed ſicut ejus, quo generat Pater.* Hac de cau-

sa Filius quoque dicitur esse de, & ex substantia Patris, quia natura, & substantia Divina est principium quo Processionis Filii &c. ergo.

Objic. Omne principium debet realiter distingui a suo principiato; nihil enim se ipsum principiat, aut producit: atqui natura Divina non distinguitur realiter a Filio, aut Spiritu Sancto: ergo natura Divina non est principium Filii, aut Spiritus Sancti. ℟. D. M. Omne principium quod c. M. omne principium quo subd. in creatis c. M. in divinis n. M. In Divinis ad intra productum assimilatur producenti in eadem realiter natura, & cum reali identitate ejusdem naturæ: non sic in creatis.

Dices: Propter naturam fœcundam Pater distinguitur a Filio: ergo & natura Divina debet distingui a Filio Divino. c. p. propter quod unumquodque tale, illud magis tale. ℟. D. a. Propter naturam fœcundam tanquam rationem inadæquatam c. a. tanquam rationem adæquatam n. a. &c. Etiam Paternitas, constituens Patrem in ratione suppositi, & principii quod, est ratio distinctionis realis inter Patrem, & Filium. Axioma allatum habet tantum locum, quando illud, propter quod fit alterum, est ratio adæquata. Potest etiam multoties retorqueri. ut: *Petrus saltat propter musicam: ergo musica magis saltat.* Dantur & aliæ explicationes hujus axiomatis, ut ex Philosophia colligere licet.

421 Assero 3. Essentia Divina, ut formaliter distincta ab intellectu, & voluntate, non est principium quo proximum processionum Divinarum, sed intellectus, & voluntas Divina. Communis SS. & TTarum contra Durandum.

P. 1. Illud est principium quo proximum, quo suppositum immediate agit; sed suppositum Patris, dum ad intra generat, & spirat, non immediate agit sua natura, sed suis potentiis, scilicet intellectu, & voluntate: ergo. m. p. 1. Quia Deus ad extra agit immediate per intellectum, & voluntatem: ergo & ad intra; potentiæ enim agendi in Deo ad intra, & ad extra sunt eædem. 2. Filius Divinus dicitur *Verbum*, & Spiritus Sanctus vocatur *Amor*; atqui hujus nulla alia est ratio, quam quia Filius Divinus immediate per intellectum, & Spiritus Sanctus immediate per voluntatem procedit: ergo.

Respondebis, Spiritum Sanctum non esse amorem formalem, sed tantum appropriate dici amorem, adeoque eum non necessario per voluntatem procedere.

Con-

Contra eſt: Eo ipſo, quia per voluntatem procedit, dicitur appropriate Amor: ergo hac ipſa de cauſa neceſſario per voluntatem procedit. 2. Filius Divinus eſt formaliter Verbum, ut in Philoſophia ſolet dici: ergo Filius Divinus neceſſario per intellectum procedit: ſi autem Filius per intellectum procedit, tunc non eſt ratio, cur non etiam Spiritus Sanctus per voluntatem.

P. 2. Si natura Divina eſſet principium quo proximum Divinarum Perſonarum, tunc non eſſet ratio, cur proceſſio Filii ſit generatio, non autem proceſſio Spiritus Sancti; nam utriusque proceſſionis idem foret principium: ergo & proceſſio utraque deberet eſſe omnino ſimilis, & eadem. Item: Filius Divinus eſt origine prior Spiritu Sancto, ac procedit prius origine, quam Spiritus Sanctus; atqui hujus nulla alia ratio eſſe poteſt, quam quia Filius procedit per Intellectum, & Spiritus S. per voluntatem; ſiquidem intellectus eſt potentia in agendo prior, quam voluntas.

Hac de cauſa Intellectus, & voluntas Divina recte dicuntur *potentiæ notionales*, quæ nil aliud ſunt, quam principia quo proxima Perſonarum Divinarum productiva.

Objic. 1. Aliqui ex Patribus vocant proceſſionem Filii D. opus naturæ: ergo natura eſt principium quo proceſſionum divinarum. ℟. 422
Ita loqui Patres, quia natura D. ſaltem eſt principium quo remotum, non autem quia eſt proximum.

Objic. 2. Creaturæ generant per naturam, & eſſentiam, non autem per intellectum, & voluntatem: ergo & Deus. ℟. D. a. Creaturæ materiales tr. a. creaturæ rationales, & ſpirituales n. a. Vere enim anima rationalis, & Angeli per intellectum generant verbum mentis accidentale. Imo & creaturæ materiales juxta ſententiam Scoti non immediate agunt per eſſentiam, ſed per potentiam, & virtutem operativam, quæ ex natura rei formaliter diſtinguitur ab eſſentia. Hinc transmiſi primum membrum diſtinctionis.

Objic. 3. Intellectus, & voluntas Divina jam exiſtunt pro priori ſigno ante Paternitatem: ergo ſi intellectus, & voluntas ſunt principia quo proceſſionis Filii, & Spiritus Sancti, hæ proceſſiones jam pro priori ante Paternitatem dabuntur. ℟. N. c. Licet enim pro illo priori jam ſupponatur principium quo proceſſionum, non tamen tunc jam ſupponitur etiam principium quod, utpote quod per Paternitatem primum conſtituitur.

Objic. 4. In creatis non fit generatio filii per intellectum tanquam principium quo: ergo neque in Divinis. ℞. N. c. In creatis filius eſt ens materiale, adeoque & principium materiale ſuæ generationis habet: Filius Divinus eſt ſpiritualis: ergo & per potentiam ſpiritualem tanquam principium quo generatur.

Objic. 5. Intellectus Divinus etiam eſt in Spiritu Sancto: ergo ſi eſt principium quo generandi, tunc Spiritus S. etiam poteſt generare. ℞. D. c. Etiam poteſt generare Spiritus Sanctus, niſi terminus hujus principii ſit generatus pro priori ſigno ante productionem Spiritus Sancti c. c. ſecus n. c.

Dices: Ergo neque Filius Divinus poteſt ſpirare Spiritum Sanctum, cum hic jam ſupponatur a Patre adæquate ſpiratus. ℞. N. illat. Spiratio enim activa non præcedit Filium, ſed fit in eo ſigno, ubi Filius jam eſt productus, adeoque & Filius cum Patre poteſt ſpirare, utpote pro tunc jam productus. Non ſic ſupponitur productus, & exiſtens Spiritus Sanctus pro illo ſigno, quo Pater generat Filium; generatio enim Filii Divini neceſſario pro ſigno aliquo præcedit productionem Spiritus Sancti, cum generatio Verbi Divini ſit actio intellectus, proceſſio Spiritus S. actio voluntatis; intellectus autem in operatione ſua eſt prior, quam voluntas. Vide etiam dicta ſupra n. 402.

Articulus II.

An ipſa Intellectio, & Amor eſſentialis, nec non Paternitas, & Spiratio activa ſint partialia, vel adæquata Principia quo Proceſſionum Divinarum?

423 Aſſero 1. Intellectio Divina actualis: item Amor eſſentialis non ſunt principia quo proceſſionum Divinarum, ſed tantum intellectus, & voluntas, prout ſpectantur in actu primo. Scotus 1. d. 2. q. 7. & d. 12. q. 1. ac alibi, cum plurimis aliis contra Suarez, & alios.

P. 1mo. Ex nulla ratione poteſt oſtendi, quod Eſſentia cum intellectu, & voluntate Divina non ſit principium ſufficiens proceſſionum divinarum. 2do. Juxta PP. Filius Divinus procedit ex memoria

ria fœcunda Patris: atqui memoria fœcunda non est intellectio, sed intellectus cum objecto, vel specie intelligibili, ac impressa. 3tio. Nostrum verbum mentis immediate procedit ab intellectu, nec requirit aliquem actum prævium, tanquam suum principium. Item noster amor immediate habet originem a voluntate: ergo idem dicendum est de verbo, ac Amore notionali in Divinis, seu de Filio Divino, & Spiritu Sancto. 4to. Paucis: Verbum est actus ipsius mentis, seu intellectus, non autem est actus alterius actus: idem est de Spiritu Sancto, & Amore spirato, qui est terminus productus ipsius voluntatis, non volitionis: ergo.

Assero 2. Nec Paternitas in Patre, nec Filiatio in Filio, nec Spiratio activa in Patre, & Filio sunt principia quo Processionum Divinarum. 424

P. 1. S. Anselmus virtutem generandi, & spirandi expresse denegat relationibus Divinis, nempe Paternitati, & Filiationi: ergo. A. constat ex Opusculo de Processione Spiritus S. c. 10. alias 9. post principium, ubi ait: *Nisi forte quis dicat, Spiritum S. non procedere de Deitate Patris, sed de Paternitate, nec per Deitatem Filii, sed per Filiationem: quæ opinio sua se patenti fatuitate suffocat.*

P. 2. Homines non generant, aut agunt per personalitatem tanquam principium, sed per naturam, & ejus potentias: ergo & Pater Divinus non generat, aut spirat per personalitatem, seu Paternitatem, sed per naturam, & potentias naturæ, quæ sunt intellectus, & voluntas.

P. 3. Illud est principium quo generationis, in quo Filius assimilatur Patri, ut dictum est n. 420. atqui Filius Divinus non assimilatur Patri in Paternitate, imo in hac est dissimilis Patri: ergo Paternitas non est principium quo generationis. Hoc argumentum etiam procedit de Filiatione, & Spiratione activa; nam nec Spiritus S. in Filiatione, aut Spiratione activa assimilatur Filio: cum in Spiritu Sancto nec Spiratio activa, nec Filiatio detur.

P. 4. Unica est vis spirandi in Patre, & Filio, ut docent SS. Patres; atqui si Pater spiraret per Paternitatem, & Filius per Filiationem, esset duplex virtus spirandi: ergo nec Pater per Paternitatem, nec Filius per Filiationem spirat.

P. 5. Paternitas est ipsa actio generationis, & Dictio: pariter & spiratio activa est actio; atqui actio non est principium quo, sed præsupponit principium, & ab hoc egreditur: ergo.

Objic. 1.

425 Objic. 1. S. Ambroſius L. 4. de Fide ad Gratianum ait: *Generatio paternæ proprietatis eſt, non potentiæ.* Item D. Athanaſius Dialog. 1. de Trinit. dicit, Patrem Hypoſtaſi gignere, mandato creare; atqui Paterna proprietas, & Hypoſtaſis nil aliud ſunt, quam Paternitas: ergo Paternitas eſt principium quo proceſſionis Filii.

℞. ad D. Ambroſium, eum tantum velle, quod generatio in Divinis non ſit potentiæ abſolute conſideratæ, ſed per Paternitatem modificatæ; Paternitas enim, quamvis non ſit potentia, vel principium, eſt tamen aliqua conditio modificans, & determinans principium, ſeu intellectum ad generandum, ut dicetur Num. ſeq.

Ad alterum textum dico: Librum illum non eſſe D. Athanaſii, ut notat Bellarminus Lib. de Scriptor. Eccleſ. Deinde explico textum allatum, quod Pater gignat *Hypoſtaſi* tanquam conditione gignendi, vel tanquam actione generativa; Paternitas enim eſt ipſa Dictio, ac generatio activa.

Objic. 2. Paternitas dat eſſe Patri, & conſtituit Patrem: ergo dat etiam Patri operari, conſequenter eſt principium quo generandi. p. c. nam ſi Paternitas daret Patri ſolum eſſe, & non ſimul operari, tunc eſſet forma imperfecta.

R. 1. Retorq. In Spirationem paſſivam, quæ dat eſſe Spiritui Sancto, & eum conſtituit, non tamen dat operari, ſeu potentiam operandi, cum Spiritus S. non ſit productivus alterius Perſonæ; & tamen propterea Spiratio paſſiva non eſt forma imperfecta.

℞. 2. D. a. Dat eſſe eſſentiale Patri, & quaſi ſpecificum n. a. dat eſſe Patri Perſonale, & conſtituit Patrem in ratione Perſonæ c. a. Potentia operandi radicatur in eſſentia, non autem in Perſonalitate, vel in eſſe numerico, ut patet in creatis: Sic in homine potentiæ operandi profluunt ab eſſentia ſpecifica, non a gradu individuali, nec a perſonalitate.

Objic. 3. Forma illa, quæ eſt diſtinctiva unius ab alio, eſt etiam principium quo operandi; atqui Paternitas eſt forma diſtinctiva unius ab alio; diſtinguit enim Patrem a reliquis Perſonis: ergo etiam eſt principium quo operandi. M. p. anima rationalis, quæ diſtinguit hominem a bruto, eſt etiam principium quo operandi in homine.

℞. D. M. Quæ eſt diſtinctiva unius ab alio eſſentialiter c. M. tantum perſonaliter, & individualiter n. M. Ratio diſtinctionis patet ex ſolutione prioris objectionis.

Aſſero 3.

Aſſero 3. Relatio Paternitatis, & Filiationis ſunt ſaltem aliqui modi principiorum quo, & conditiones abſolute requiſitæ ad principiandum. Scotus, Suarez, Smiſing, Herincx, Henno & alii. 426

P. 1. Natura Divina cum intellectu non eſt principium quo actualis generationis, niſi prout eſt in Patre, & a Paternitate modificatur; ſolus enim Pater per naturam D. & intellectum generat, non autem reliquæ Perſonæ. Item per voluntatem Divinam, prout illa exiſtit in Patre, & Filio, ſpiratur Spiritus Sanctus: adeoque & Paternitas, & Filiatio ſunt conditiones modificantes, & determinantes voluntatem Divinam: ergo.

P. 2. Ad productionem, & proceſſionem Perſonarum Divinarum requiritur ſuppoſitum producens, ac realiter diſtinctum a Perſona producta; atqui ſuppoſitum Divinum agens, & producens Perſonas juxta dicenda conſtituitur per relationem: ſic Pater conſtituitur in eſſe Perſonæ per relationem Paternitatis: ergo. Ex his

Colligis: Eandem formalitatem Paternitatis Divinæ duplex exercere munus: primum eſt, quod conſtituat Perſonam Divinam Patris, & tali modo eſt conditio ad agendum. Secundum munus eſt, quod ſit origo activa, per quam Filius producitur a Patre: & tali modo eſt actio productiva, ſeu Dictio.

Colligis ulterius: Paternitatem prout eſt in Patre conditio ad agendum, & prout eſt actio, eſſe entitative quidem eandem, munialiter tamen, ſeu ſecundum diverſa munia differre. De quo plura N. 462.

Diſſertatio IV.

DE TERMINO PROCESSIONUM DIVINARUM.

Nota 1. Proceſſiones Divinas activas neceſſario debere habere aliquem terminum; ſunt enim veræ actiones productivæ: atqui actiones productivæ terminum ſuum habent, ut ex actionibus creatis conſtat: ergo. 427

Nota 2. Terminum aliquem eſſe *a quo*, & alium *ad quem*. Terminus *a quo* proprie, & preſſe acceptus in creatis eſt privatio illius formæ, quæ per actionem productivam acquiritur; actio enim pro-

ductiva eſt veluti tendentia ab uno ad aliud: hinc tendit a privatione formæ, tanquam a termino a quo, ad formam, & ens de novo productum, tanquam terminum ad quem. ut patet in actione productiva ignis; hæc enim a privatione ignis, quæ prius in materia exſtitit, tendit ad ignem. Certum autem eſt, terminum *a quo* ſic acceptum non dari in Deo; involvit enim veram mutationem, privationem, ac ſucceſſionem in tempore factam, quæ omnia imperfectionem, Deo non convenientem, dicunt.

Poteſt nihilominus terminus *a quo* minus proprie accipi pro eo, unde aliquid oritur, & producitur. Hoc modo Natura divina vere erit terminus a quo generationis Filii, & ſpirationis Spiritus Sancti, quia nempe eſt principium actionis productivæ Filii, & Spiritus Sancti.

Terminus *ad quem* eſt ille, qui ab agente intenditur, & ad quem ordinatur actio. Hic terminus *ad quem* iterum dividitur in *totalem*, & *formalem*. Utriusque deſcriptiones videbimus in Probationibus.

Articulus I.

De Termino formali, & totali Proceſſionum Divinarum.

428 Aſſero 1. Terminus totalis Proceſſionum eſt tota Perſona producta: proinde terminus totalis generationis activæ eſt Filius Divinus, prout includit tam Perſonalitatem, quam eſſentiam divinam: item ſpirationis activæ terminus totalis eſt Spiritus Sanctus. P. 1. Terminus totalis eſt ille, qui poſita actione reſultat; atqui poſita proceſſione activa, tanquam actione, tota Perſona producta reſultat: ergo.

P. 2. Illud eſt terminus totalis proceſſionis, quod ſimpliciter dicitur procedere, ſicut & illud eſt terminus totalis generationis humanæ, quod ſimpliciter dicitur per eam generari, ſcilicet compoſitum humanum: atqui non ſola relatio, & perſonalitas, nec ſola natura Divina dicitur procedere, ſed ſimpliciter Filius, & Spiritus Sanctus: ergo. m. conſtat ex SS. PP. nempe S. Nazianzeno Orat. 50. S. Ambroſio de Filii Divinitate. c. 7. S. Hilario L. 7. de Trinit. S. Auguſtino pluribus in locis, præſertim Serm. 125. de tempore, qui omnes dicunt,

dicunt, quod totus Filius a toto Patre, plenus & integer ab integro processerit. Idem Florentinum per Joannem, & Marcum cum consensu Latinorum, & Græcorum statuit, de processione Spiritus Sancti dicens: *Processionem esse, qua Spiritus Sanctus accepit esse, ac illud totum, quo est, quoque Spiritus Sanctus nuncupatur.* Adeoque constat, Filium, & Spiritum Sanctum secundum se totos, id est, quatenus constant essentia Divina, & relatione Personali procedere, & esse terminos processionum Divinarum.

Objic. Sola Filiatio, non autem Natura Divina generatur, ut de fide est: ergo totus Filius, qui ex natura D. & Filiatione constituitur, non generatur, consequenter totus Filius non est terminus generationis. A. constat; nam Essentia D. nec generat, nec generatur. ℞. N. c. Licet ignis, producens alium ignem, non producat materiam primam ignis, tamen dicitur generare totum ignem, quia saltem formam producit, & eam communicat, ac unit materiæ: etiamsi dealbans murum non producat murum, tamen talis dicitur causare murum album in concreto, quia nimirum communicat, ac unit albedinem muro jam præexistenti: sic a pari, licet in rigore Pater Divinus producat solam Filiationem, non autem naturam Divinam Filii, dicitur tamen totum, & integrum Filium Divinum ex Filiatione, & natura Divina constitutum producere: cujus ratio est; quia per actionem generativam Filio saltem communicat Naturam Divinam, quamvis ea non producatur. Quare recte Filius totus, seu secundum esse tam personale, quam essentiale, dicitur terminus totalis actionis generativæ. Idem est de Spiritu Sancto respectu actionis spirativæ.

Assero 2. Terminus formalis processionum Divinarum est Natura Divina. Scotus 1. d. 5. q. 2. & d. 13. n. 12. 429

P. Terminus formalis est illud, a quo terminus totalis specificatur, formaliter denominatur, ac in suo esse essentiali, & specifico constituitur, vel in quo producens, & productum assimilantur: atqui per naturam divinam, non autem per Personalitatem, Filius, & Spiritus Sanctus in suo esse essentiali constituuntur, ac Patri producenti assimilantur: ergo.

P. 2. Terminus formalis actionis creatæ est forma, vel natura, non autem individualitas, vel personalitas: ergo etiam Processionum divinarum terminus formalis est natura Divina, non autem Personalitas Divina.

430 Objic. 1. Essentia Divina est terminus *a quo* processionum Divinarum: ergo non est terminus formalis. ℞. D. a. Essentia D. est terminus a quo processionum Divinarum, prout ea est in Persona producente c. a. prout est in Persona producta n. a. & d. c. ergo non est terminus formalis, prout ea existit in Persona producente, utpote in qua est principium quo, & consequenter terminus a quo, juxta explicationem in Notandis datam c. c. non est terminus formalis, prout est in Persona producta, & prout modificatur a Personalitate, & relatione Personæ productæ n. c.

Objic. 2. Terminus formalis producitur, & accipit esse per actionem productivam: atqui Natura D. non producitur: ergo non est terminus formalis. ℞. N. M. Ad terminum formalem requiritur, & sufficit, ut sit forma specificans rem productam: non autem requiritur, ut per productionem acquirat esse; hoc enim ad terminum formalem se habet per accidens. Sic anima rationalis est terminus formalis generationis humanæ, uti & in aliis generationibus est forma substantialis, prout in Philosophia traditur: & tamen anima rationalis per actionem generativam Parentum non generatur, sed a solo Deo creatur. Insuper in resurrectione anima rationalis erit terminus formalis, & tamen tunc de novo non producetur. Ratio rationis: a termino formali terminus totalis tantum habet, quod sit talis essentiæ, & naturæ: ergo ad terminum formalem per accidens se habet, quod sit productus, vel non productus, dummodo is essentiam, & naturam specificam tribuat termino totali.

Objic. 3. Relatio Filiationis formaliter constituit, denominat, ac specificat Filium Divinum, eumque denominat genitum, ac productum: ergo relatio Filiationis est terminus formalis processionis, ac generationis Filii. ℞. D. a. Relatio formaliter constituit, & specificat Filium in ratione, & esse personali c. a. in ratione essentiali n. a. Ille terminus est formalis, a quo tanquam essentia, & forma quasi specifica specificatur ac denominatur terminus totalis, non autem qua tantum in ratione Personæ &c. constituitur, ut probationes indicant.

Articulus II.

An, & quare Natura Divina non dicatur genita, aut generare?

Aſſero. Natura Divina nec generat, nec generatur. Eſt de Fide. 431

P. 1. ex Cap. *damnamus* de Summa Trinitate, quod deſumptum eſt ex Concilio Lateranenſi, in quo contra Joachim Abbatem definitur: *Illa res* (ſcilicet Eſſentia Divina) *non eſt generans, neque genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit.*

P. 2. Generans, & genitum (idem eſt de ſpirante, & ſpirato) realiter diſtinguuntur, ut teſtatur D. Auguſtinus L. 1. de SS. Trinitate c. 1. Et patet ex ſignis realis diſtinctionis: atqui eſſentia in Divinis nullatenus eſt realiter diſtincta a genito, vel generante: ergo Eſſentia in Divinis nec eſt generans, nec genita.

Objic. 1. S. Athanaſius Epiſt. ad Serapionem ait, Patrem genuiſſe in Filio eſſentiam: ergo eſſentia eſt genita. ℟. S. Athanaſium tantum velle, quod Pater gignendo communicaverit Filio eſſentiam Divinam, non autem, quod eam ipſam generarit, vel produxerit. 432

Dices: Communicare, & producere ſunt idem; ſed juxta conceſſa Pater communicavit eſſentiam Filio Divino: ergo & Pater eſſentiam produxit. ℟. D. M. Producere, & communicare ſunt idem, ſi illud, quod communicatur, non jam præexiſtit c. M. ſi præexiſtit, uti eſſentia divina, quæ pro priori originis jam exiſtit in Patre n. M.

Objic. 2. Deus generat: ergo & eſſentia Divina generat. ℟. N. c. Concretum Deus poteſt etiam ſupponere pro ſuppoſito, & Perſona generante, adeoque hæc propoſitio: *Deus generat,* facit ſenſum: *Deus Pater generat.* Econtra eſſentia divina in abſtracto ſumpta abſtrahit ab omni Perſona.

Dices: Deus, & eſſentia divina ſunt idem: ergo, ſi poteſt dici: Deus generat, etiam aſſeri poteſt: eſſentia divina generat. ℟. D. a. Deus, & eſſentia divina ſunt idem, ſi per τo Deus ſola prædicata eſ-

ſentialia, & abſoluta Dei intelligantur c. a. ſi per τὸ Deus intelligatur Pater divinus *ſubd.* tunc Deus, & eſſentia D. ſunt idem inadæquate c. a. adæquate n. a. & conſ. Pater divinus non identificatur adæquate eſſentiæ divinæ, cum dicat aliquid præter eſſentiam, nempe Paternitatem.

433 Objic. 3. Pater generat: ergo & eſſentia D. generat. p. c. Eſſentia D. eſt Pater: ergo ſi Pater generat, tunc & eſſentia divina generat. Antequam hæc intricata objectio ſolvatur

Nota 1. Duplicem eſſe prædicationem, quæ in Divinis ſpectari poteſt. Una eſt *identica,* per quam nihil affirmatur, quam identitas unius cum alio. Talis prædicatio eſt iſta: *Eſſentia divina eſt Pater;* hæc enim propoſitio hunc facit ſenſum: *Eſſentia divina identificatur cum Patre.* Quare ad prædicationem identicam ſufficit ſola identitas realis prædicati, & ſubjecti. Altera prædicatio eſt *formalis,* ad quam non ſufficit identitas realis, ſed requiritur, ut prædicatum tanquam forma connotet ſubjectum. Verbo: prædicatio formalis importat ex parte prædicati aliquam formam, ac rationem formalem, ut formaliter convenientem ſubjecto.

Nota 2. Quando in concreto, & per modum participii, ac adjectivi de aliquo prædicatur aliqua actio, tunc prædicatur formaliter, uti fit in his propoſitionibus: *Pater generat, ſpirat.* vel (ut exponi debet) *Pater eſt generans, eſt ſpirans. Pater eſt principium quod generationis.* vel: *Pater eſt exercens generationem, & ſpirationem.* Item talis prædicatio eſt: *Filius eſt generatus: Spiritus Sanctus eſt ſpiratus:* & exponitur: *Filius D. eſt terminus totalis, qui terminat generationem activam Patris.* &c.

Nota 3. De Natura D. in abſtracto ſumpta poſſe formaliter, & per modum adjectivi prædicari prædicata abſoluta, non autem proceſſiones ad intra, ſive activas, ſive paſſivas. Sic poteſt dici: *Natura D. eſt intelligens, volens, eſt bona, juſta* &c. non autem poteſt dici: *Natura divina eſt generans, eſt genita, ſpirans, ſpirata.* Ratio hujus eſt: quia, ſi prædicata abſoluta formaliter, & per modum adjectivi prædicantur de natura divina, nullum ſequitur inconveniens. hoc autem ſequeretur, ſi de Natura D. formaliter diceretur, quod generaret, vel eſſet genita &c. quia ſic eſſet diſtincta realiter a Patre generante, & a Filio genito. H. N.

℟. N. c. Ex prædicatione identica non licet inferre prædicationem formalem: hæc autem prædicatio: *eſſentia Divina eſt Pater,* eſt tantum

tantum identica, & habet sensum: *Essentia D. identificatur realiter Patri.* Altera econtra prædicatio: *Essentia D. generat*, est formalis, importans rationem, & respectum generantis tanquam rationem formalem divinæ naturæ convenientem. Adeoque hæc prædicatio, & propositio: *essentia D. generat*, ex illa propositione: *essentia D. est Pater*, inferri nequit; variato enim modo prædicandi nulla sequitur consequentia, ut claret in hoc syllogismo: *Homo est species: Petrus est homo: ergo Petrus est species.*

Dices: De quo potest prædicari subjectum passionis, & proprietatis, de eo etiam potest adjective prædicari proprietas, & Passio: sed Pater est subjectum, saltem denominationis, & prædicationis, generatio vero est passio, & proprietas: ergo, quia de essentia D. potest prædicari, quod sit Pater, de ea quoque potest dici, quod sit generans. M. constat; etenim, quia de Petro potest dici, quod sit *homo*, potest etiam de eo prædicari passio, affirmando, quod sit *risibilis*.

℟. D. M. De quo potest prædicari subjectum passionis, de eo etiam potest prædicari passio adjective, si servatur idem prædicandi modus c. M. si mutatur idem prædicandi modus n. M. In hac propositione: *Essentia D. est Pater*, τὸ *Pater* tanquam subjectum passionis, nempe generationis activæ, prædicatur identice de essentia divina, solum asserendo, quod essentia D. sit realiter identificata Patri. contra, si diceretur: *Essentia D. generat*, passio, seu *generatio* prædicaretur formaliter de essentia divina, & sensum haberet, quod essentia D. non solum sit identificata *generationi* ceu passioni Patris, sed quod eadem essentia etiam active exerceat generationem, & Filium D. producat: quæ duo sunt valde diversa, adeoque unum ex altero pessime infertur.

Objic. 4. Hæc propositio est vera: *Essentia Divina est Pater Filii Divini*: ergo & ista est vera: *Essentia Divina generat Filium Divinum*; certe enim utraque hæc propositio eandem omnino significationem habet. ℟. D. a. Hæc propositio est vera: *Essentia Divina est Pater Filii*, si *Pater Filii* sumitur præcise substantive pro Persona, & supposito Patris, ac primæ Personæ divinæ c. a. si sumitur adjective pro generante, ita, ut sensus sit: Essentia divina generat Filium Divinum n. a. & c. 434

Hinc infertur 1. Si τὸ *Pater Filii* in prima propositione sumitur substantive pro supposito, & Persona, tunc prædicationem fieri tantum identi-

denticam, & sensum propositionis illius esse: *Essentia Divina identificatur realiter Personæ Patris.*

Infertur 2. Hanc propositionem: *Filius Divinus est Filius essentiæ Divinæ*, non esse sustinendam, quia hic fit prædicatio formalis, & sensus est: *Filius D. est genitus ab essentia D.* vel: *Essentia D. gignit Filium Divinum.*

Infertur 3. Essentiam divinam non quidem esse principium, quod producit, & generat: esse tamen illud, quo Pater fit fœcundus, & potens producere.

Dissertatio V.

AN PROCESSIONES DIVINÆ SINT NECESSARIÆ, LIBERÆ, VEL NATURALES.

Articulus I.

Prænotanda, & Conclusiones.

435 Nota 1. Necessitatem indigentiæ, coactionis, & violentiæ in divinis locum non habere. Ex quo

Deduces 1. Quod Processiones divinæ non sint necessariæ necessitate indigentiæ; indigentia enim importat dependentiam, consequenter & imperfectionem, Deo non convenientem. Nam ideo accidens ad sui existentiam indiget subjecto, quia ab eo dependet: & ideo creaturæ omnes indigent causa aliqua productiva, quia ab ea necessario dependent. Insuper hæc indigentia, & dependentia, si daretur in processionibus divinis, & Personis procedentibus, tunc redundaret etiam in ipsam Naturam divinam ob realem identitatem, quam habet cum processionibus, & Personis procedentibus: hoc autem nequit admitti. Videatur N. 399. Object. 8.

Nec obstat, quod Filius divinus, & Spiritus Sanctus exigant procedere a suis principiis; etenim hæc exigentia non est indigentia proprie talis, involvens imperfectionem, sed solum importat necessarium ordinem, & connexionem cum suis principiis: qualis impropria exigentia

gentia eſt, qua homo dicitur exigere, ut ſit *animal rationale*, Leo, ut ſit *animal rugibile*. Ratio rationis eſt; quia dependentia proprie dicta eſt inter illa, quæ inter ſe adæquate realiter diſtinguuntur: atqui Perſonæ procedentes non diſtinguuntur adæquate realiter a ſuis principiis: ergo.

Deduces 2. Proceſſiones divinas non eſſe neceſſarias neceſſitate coactionis, & violentiæ. Ratio hujus eſt: quia Deus nihil habet ſupra ſe, a quo cogi, vel violentari poſſet. Quare

Controverſia ſola remanet, an proceſſiones ſint neceſſariæ *neceſſitate eſſendi*, qua res aliqua ita eſt neceſſaria, ut non poſſit, nec potuerit non eſſe. Hæc neceſſitas opponitur contingentiæ; quæ enim contingenter exiſtunt, potuerunt eſſe, vel non eſſe.

Nota 2. ex Philoſophia: Duplicem a Scotiſtis diſtingui libertatem: 436
unam *eſſentialem*, alteram *contingentem*, & accidentalem. Libertas *eſſentialis*, ſeu *libentia voluntatis* nil aliud eſt, quam perfecta *voluntareitas*, & conſiſtit in hoc, quod voluntas ſe ipſam ex prævia cognitione intellectuali delectabiliter, & eligibiliter determinet ad eliciendum actum. Hinc principium liberum in hoc ſenſu eſt principium perfecte voluntarium, agens ſcilicet ex propoſito, & intellectualiter cum perfecta cognitione, unde fit, ut ſe ipſum eligibiliter dirigat, & determinet.

Hæc libertas *eſſentialis* ſtat cum neceſſitate, ut patet in Beatis; Hi enim, licet neceſſario, neceſſitate phyſica juxta plures, & juxta me, & alios neceſſitate ſtrictiſſime morali, ament Deum, tamen hic amor ipſis eſt voluntarius, & liber, ſcilicet libertate *eſſentiali*. Unde

Libertas *eſſentialis* opponitur tantum *naturali*; principium enim *naturale*, qua tale, ante ſuam actionem non præſupponit cognitionem præviam rationalem, qua media ſe ipſum eligibiliter, & ex propoſito determinet, ſed jam aliunde ab authore Naturæ, vel ex ſua Eſſentia eſt determinatum ad agendum, in his, vel illis circumſtantiis. Dari libertatem eſſentialem, patebit ex dicendis.

Libertas *accidentalis*, ſeu indifferentiæ, & contingentiæ eſt ipſa indifferentia ad agendum, vel non agendum, vel oppoſitum agendum. Hæc libertas indifferentiæ in materia morali ſimpliciter intelligitur per nomen libertatis, vel liberi arbitrii, & requiritur ad meritum, & deme-

demeritum, simulque excludit necessitatem ab extrinseco impositam. Ex his

Colligis 1. Quatuor potissimum esse modos agendi, nimirum *naturaliter, necessario, libere*, seu libertate essentiali, & *contingenter*, seu libertate accidentali.

Colligis 2. *Naturale* opponi libertati tam essentiali, quam accidentali: *liberum* vero *essentiale* tantum opponi naturali, non autem necessario. H. N.

437 Assero 1. Processio Filii divini est naturalis, & necessaria, ac nullatenus libera. Communis. P. breviter. Processio Filii divini non habet pro principio voluntatem, sed intellectum: ergo non est libera. A. constat; Filius enim per intellectum procedit. Conf. iterum est certa; quia, quidquid non procedit a voluntate, est naturale, & non liberum; voluntas enim sola est sedes, & origo unica omnis libertatis.

438 Objic. 1. S. Athanasius in Evangel. de SS. Deipara scribit: *Verbum esse voluntate Paterna.* Item D. Augustinus L. 15. de Trinit. c. 20. Filium Dei appellat *Consilium de consilio, voluntatem de voluntate.* Similiter loquuntur alii SS. PP. & Concilium Toletanum II.: ergo Filius divinus ex voluntate Patris, consequenter libere procedit.

℟. N. c. Ideo enim solum SS. PP. dicunt, Filium voluntate produci, quia, dum is generatur, ei Natura divina cum omnibus attributis, adeoque cum ipsa voluntate communicatur. Quare hæc omnia, consequenter & ipsa voluntas divina, dicuntur concurrere ad generationem Verbi, non quidem per modum principii productivi, sed per modum naturæ una cum omnibus suis perfectionibus communicatæ. Hoc ipsum explicat Concilium Toletanum laudatum, dicens, eo modo dici Filium divinum esse voluntatem de voluntate, *quomodo* dicitur *Natura de Natura, quoniam secundum Athanasium non aliud est voluntas, aliud Natura Patris.* Quare dicunt hi Patres solum, quod Pater genuerit Filium, qui habeat naturam, consilium, voluntatem, ac perfectiones Patris: quod & nos asserimus.

Objic. 2. Sophisma Arianorum, cujus occasione præsens conclusio statuitur, & quod Nazianzenus Orat. 3. de Theologia ita secundum substantiam refert: *Vel volens Pater Filium genuit, vel nolens? si nolens:* tunc Ei est vis, & coactio illata: ast quis hanc vim intulit Deo, & quomodo Deus potuit vim, & coactionem pati? Si autem *volens*

lens Pater generavit Filium, tunc Filius divinus per voluntatem est productus.

℞. 1. Cum eodem Nazianzeno Retorq. hoc argumentum, & quærendo: an Deus Pater sit Deus volens, aut nolens? si volens, tunc Deus non erit natura, & essentia, sed voluntate, & voluntas D. erit principium productivum Dei Patris. Si autem Pater sit Deus nolens, tunc erit coacte Deus, & vim patietur.

℞. 2. neg. 1mum membrum hujus dilematis, quod scilicet Deus nolens generarit Filium; non enim Deus Pater fuit vi extrinseca coactus ad generandum Verbum divinum, ut dictum est N. 435. Alterum membrum Dist. Pater volens produxit Filium voluntate productiva *neg.* voluntate complacente in productione Filii *conc.* An autem hæc complacentia fuerit præcedens natura, aut origine, vel concomitans, aut subsequens generationem Filii divini, inferius commodius decidetur. Ex hoc

Colligis 1. Quod Pater volens quidem produxerit Filium, voluntate nimirum complacentiæ, & simul summa, & summe placita naturæ necessitate.

Colligis 2. Processionem Filii divini esse solum voluntariam *terminative*, & *objective*, non autem productive; non enim per voluntatem divinam Filius D. producitur, sed tantum complacentiam ejusdem voluntatis tanquam objectum ejus terminat: sicut serena tempestas nobis tantum est voluntaria objective, & terminative, non productive; etenim serenam tempestatem voluntas nostra non producit, sed in ea complacet: adeoque complacentia voluntatis ad serenam tempestatem tanquam objectum terminatur.

Colligis 3. Generationem Filii divini non esse a voluntate tanquam principio imperante, adeoque voluntatem divinam nequidem per suum imperium applicare intellectum ad generationem Filii. Ratio hujus est 1. quia intellectus D. ex se, & sua infinita fœcunditate est sufficientissime determinatus ad productionem Filii: ergo non indiget alio principio applicante, vel determinante. 2. In intellectu D. nulli actus imperati dari possunt; independenter enim ab imperio voluntatis intellectus ex se cognoscit, quidquid est cognoscibile, & generat ad intra, quidquid est generabile, nempe Filium divinum; hoc enim infinita perfectio, ac ipsa ratio Intellectus divini, qui est principium naturale, exigit.

Objic. 3. S. Auguftinus L. 9. de Trinit. c. 7. fcribit: *Verbum amore concipitur:* ergo voluntas concurrit ad productionem Verbi. ℞. D. Auguftinum ibi loqui de verbo noftræ mentis perfecto, non autem de Verbo divino. Vult igitur S. Doctor, quod, dum aliquam rem imperfecte concipimus, voluntas ex amore perfectæ cognitionis applicet intellectum ad inveftigandam pleniorem notitiam, & concipiendum verbum perfectum: quod Deo non competit. Et in hoc verbum noftræ mentis eft diffimile Verbo increato, & divino, quia Verbum D. non nafcitur per inquifitionem, ficut noftrum. Huic explicationi adftipulatur D. Bonaventura D. 6. art. 1. q. 2. ad 4.

439 Affero 2. Proceffio Spiritus Sancti eft neceffaria neceffitate effendi. Scotus 1. d. 10. n. 10. ℣. *Dico, quod neceffitas.* Idem habet D. Thomas Affert. feq. citandus. Sequuntur omnes Catholici.

P. 1. Spiritus Sanctus procedit ut Deus: ergo procedit neceffario; Deus enim eft ens fumme neceffarium, & immutabile.

P. 2. Creatura ideo non neceffario producitur, quia eft ens finitum: ergo Spiritus Sanctus neceffario producitur, & procedit, quia eft ens infinitum.

Confirm. Ens infinitum neceffario exiftit: ergo, fi non poteft aliter exiftere, quam per productionem, & proceffionem, uti Spiritus Sanctus, debet neceffario produci, & procedere. A. eft clarum; fi enim ens infinitum non exifteret neceffario, careret aliqua perfectione, nempe exiftentia neceffaria, quæ eft maxima perfectio: atqui ens infinitum non poteft carere aliqua perfectione.

Objic. SS. PP. dicunt, quod Pater generet Filium, & fpiret Spiritum Sanctum nulla ductus neceffitate: ergo proceffio Spiritus Sancti non eft neceffaria. ℞. D. a. nulla ductus neceffitate indigentiæ, & coactionis c. a. nulla ductus neceffitate effendi n. a. & c.

440 Affero 3. Etfi proceffio Spiritus Sancti fit neceffaria, eft tamen libera libertate effentiali. Scotus cit. & D. Thomas q. 10. de potentia. Art. 2. ad 5. ubi ait: *Deus fua voluntate libere amat fe ipfum, & neceffarium eft, quod tantum amet fe ipfum, quantum bonus eft. Libere igitur Spiritus Sanctus procedit a Patre, non tamen poffibiliter, fed neceffitate.*

P. 1. Spiritus Sanctus procedit per voluntatem tanquam principium elicitivum *quo;* atqui voluntas folummodo poteft agere libere: ergo Spiritus S. procedit libere. M. eft certa. m. p. In hoc diftinguitur

volun-

voluntas ab intellectu, quod hic agat naturaliter, per modum naturæ ad unum determinatæ, & quod voluntas agat libere, ex propoſito, ut domina ſui actus, & ſui compos. Præterea libertas eſt de intrinſeca ratione voluntatis, ita, ut non magis implicet, hominem concipere ſine animalitate, & rationalitate, quam voluntatem ſine libertate, nimirum eſſentiali.

P. 2. Quidquid procedit ut amor, & donum, libere procedit: ſed Spiritus S. procedit ut amor, & donum: ergo libere procedit. M. conſtat; nihil enim eſt liberius, quam amor, & donum. m. etiam patet: tum, quia communiter Spiritus Sanctus vocatur Amor: tum, quia D. Auguſtinus L. 15. de Trinit. ait, quod Spiritus S. procedat, *non quomodo natus, ſed quomodo datus.*

P. 3. Si Spiritus S. non procederet libere, tunc ideo, quia procederet ſimul neceſſario; atqui hæc ratio nulla eſt: ergo. m. p. Neceſſitas non obſtat libertati eſſentiali; ita enim ſentiunt 1mo Scotus, & D. Thomas citati: nec non Aureolus, & D. Bonaventura apud Herincx allegati. 2do. Accedit S. Anſelmus L. de libero Arbitrio dicens: *Liberior eſt voluntas, quæ a rectitudine declinare non poteſt,* conſequenter quæ ad recte agendum neceſſitatur. 3. S. Auguſtinus in Enchiridio c. 105. loquens de libertate, qua gaudent Beati in cœlis, etſi neceſſario ament Deum, & peccare nequeant: de tali Beato inquit: *Nec libero carebit arbitrio; multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato,* ſeu quod neceſſario a peccato abſtinere debet. Ecce! quam bene hi SS. PP. libertatem, ſcilicet eſſentialem, cum neceſſitate componant. Ergo a primo ad ultimum, libertas eſſentialis compoſſibilis eſt cum neceſſitate.

Objic. 1. Abſoluta neceſſitas excludit omnem libertatem: atqui 441
proceſſio Spiritus Sancti eſt abſolute neceſſaria: ergo proceſſio Spiritus S. excludit omnem libertatem. ℟. D. M. excludit omnem libertatem contingentiæ c. M. omnem libertatem eſſentialem n. M.

Objic. 2. Si Spiritus Sanctus libere ſpiraretur, tunc ideo, quia Perſonæ ſpirantes agerent per voluntatem ex prævia cognitione delectabiliter, ſine ulla coactione &c. ſed hæc ratio nulla eſt: ergo. m. p. Etiam bruta ex prævia cognitione appetunt bonum ſibi conveniens, & tamen non agunt libere; quia neceſſario agunt: ergo. ℟. N. m. Perſonæ enim ſpirantes Spiritum S. ſe eligibiliter, delectabiliter, complacenter, atque ex propoſito, cum perfecta cognitione intellectuali fi-

nis, determinant per voluntatem ut dominam actus. Aſt non ſic ſe determinant bruta, quæ carent potentia electiva, ac cognitione intellectuali, aguntur que potius, quam agunt.

Objic. 3. Si Spiritus S. libere produceretur, tunc juxta datam reſponſionem deberet eſſe præcognitus pro priori originis ante ſuam proceſſionem; atqui Spiritus S. ſic pro priori non poteſt eſſe præcognitus: ergo. m. p. pro illo priori ante ſuam proceſſionem Spiritus S. non ſupponitur exiſtens, conſequenter neque præſens intellectui divino. ℞. D. M. deberet eſſe præcognitus ut formaliter exiſtens n. M. ut virtualiter contentus in Natura divina, quatenus nempe Natura D. pro illo priori cognoſcitur ut communicabilis per voluntatem, adeoque virtualiter, ſeu in potentia ſua productiva continet Spiritum Sanctum c. M.

Objic. 4. D. Cyrillus ait, quod Spiritus S. ſit *naturaliter ex eſſentia D. emiſſus:* ergo procedit naturaliter, & non libere. ℞. S. Patrem tantum velle, quod Spiritus S. ſit *naturaliter,* id eſt, a Natura D. tanquam a principio quo remoto, & radicali: per hoc tamen non negat, quod ſit a voluntate tanquam principio proximo, & quidem libero. Ex hoc

Infert Herincx, quod in ſenſu quodam latiori, & minus proprio poſſit proceſſio Spiritus S. dici *naturalis,* ſolum per hoc indicando, quod ea ſit ex natura divina, vel quod ſit neceſſaria.

Articulus II.

An ſola proceſſio Filii divini ſit generatio?

442 Nota ex Philoſophia, generationem viventium deſcribi, quod ſit *origo naturalis viventis a vivente, a principio vitæ conjuncto in ſimilitudinem naturæ.* Scotus 1. d. 13. q. Un. §. *Ad primum principium.* & in 3. d. 8. q. Un. §. *Ad quæſtionem.*

Dicitur 1. *Origo,* ſeu productio activa. Dicitur 2. *naturalis.* Hanc particulam D. Thomas omiſit, Scotus autem citatis locis adjungit. indicatur per eam, quod generatio viventium debeat fieri a principio activo, naturaliter determinato ad unum. Dicitur 3. *Viventis a vivente,* id eſt, ad generationem vitalem requiritur, quod tam producens, quam productum ſint viventia. Dicitur 4. *a principio vitæ,* ſeu generatio

ratio debet fieri a principio vitaliter activo, & vitaliter influente. Dicitur 5. *conjuncto:* quæ conjunctio non solum dicit præsentiam localem inter generantem, & genitum, sed importat quamdam consubstantialitatem, ita, ut generans aliquid de sua substantia, & suo esse communicet genito. Ita in Divinis Pater communicat Filio suam essentiam: in humana vero generatione genitor semen a sua substantia communicat filio, talique ratione genitum dicitur fieri de substantia generantis. Dicitur 6. *in similitudinem naturæ*, id est, genitum debet assimilari generanti in natura; hic enim est finis generationis viventium. Unde illud apud Philosophos: *Naturalissimum opus viventis est, generare sibi simile.* Hujus definitionis amplior explicatio in Philosophia videri potest. H. S.

Assero: Sola processio Filii Divini est generatio, non autem processio Spiritus Sancti. Est de Fide. 443

P. 1. Solus Filius Divinus a S. Scriptura, PP. & Conciliis dicitur *Filius*, *genitus* &c. non item Spiritus Sanctus: ergo sola processio Filii D. est generatio, non item Spiritus S.

P. 2. Ex Symbolo Apostolorum, ubi secunda Persona SS. Trinitatis dicitur Filius Dei *unicus:* & in Symbolo Nicæno, credimus *in Jesum Christum Filium Dei unigenitum:* atqui si secunda Persona est Filius unigenitus, & unicus in Divinis, tunc præter eum non datur alius, consequenter & nulla alia generatio in Divinis datur, quam Filii Divini: ergo sola processio Filii D. est generatio.

P. 3. Ex Symbolo S. Athanasii, in quo solus Filius D. dicitur *genitus*, *Spiritus* autem *Sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Objic. 1. Ad Coloss. 1. Filius D. dicitur *Primogenitus:* ergo habet etiam alium posteriorem genitum fratrem, nempe Spiritum Sanctum, adeoque & processio Spiritus S. est generatio. 444

℟. D. a. Dicitur primogenitus respectu Spiritus S. n. a. respectu creaturarum c. a. Dicitur ibi Filius D. primogenitus creaturarum, id est, a Patre ab æterno genitus, antequam esset condita ulla creatura. Potest etiam Verbum D. vocari Primogenitus *negative*, quatenus nullum alium Filium a Patre ante se genitum habet, nulla facta comparatione ad posteriores, vel non attendendo, an aliquis, vel aliqui Filii ex Patre Divino sint post Verbum geniti. Sic Luc. 2. dicitur Maria peperisse Filium suum primogenitum, quia ante eum non pepererat aliquem, quamvis nec postea alium genuerit.

Objic. 2.

Objic. 2. Salomon Prov. 4. vocat se unigenitum Matris suæ, cum tamen 4. fratres habuerit ex eodem Patre, nempe David, & ex eadem Matre Bethsabee, ut colligitur ex 1. Paralip. c. 3. & 2. Reg. c. 5. ergo etsi Filius D. dicatur unigenitus, & unicus Filius Patris Divini, non tamen sequitur, quod non habuerit fratrem etiam proprie genitum a Patre.

℟. Salomonem eatenus dici unigenitum matris suæ, quatenus ab ea tanto affectu fuit dilectus, ac si unicus, & unigenitus ejus filius fuisset. Hoc autem sensu Filius Dei dici nequit unigenitus, quia Spiritus S. æque infinito amore a Patre diligitur, ac Filius: adeoque ex alia, & quidem hac unica causa Filius D. dicitur unigenitus, quod ipse solus unica generatione vere sit a Patre genitus. Ex his

Patet, quid respondendum sit ad dilema illud Eunomianorum, & Macedonianorum hujus tenoris: Aut Spiritus Sanctus procedit a solo Patre, & sic erit Filius Patris, & Frater Filii: aut procedit a solo Filio, & sic erit Filius Filii, & nepos Patris: aut procedit ab utroque, & sic erit uterque Parens; cumque uterque Pater esse non possit, alter erit Mater, quod est absurdum. Ad hoc, inquam, blasphemum argumentum facile respondetur, Spiritum S. nec Patris, nec Filii esse Filium, cum ab illis non generetur, sed tantum spiretur. Verum hic grandis restat difficultas, quare processio secundæ Personæ sit generatio, & non etiam Spiritus Sancti, quæ decidetur Art. seq. Interea

Objic. 3. Spiritus S. non est ingenitus: ergo est genitus. conf. patet, quia inter genitum, & ingenitum, seu non genitum, non datur medium: ergo unum Spiritui S. convenire debet. Ant. etiam est certum; quia prædicatum *ingeniti* soli Patri D. convenit juxta SS. PP. Ante Responsionem

Nota, τὸ *ingenitus* duplicem habere sensum. 1mo. Significat id, quod a nullo omnino principio procedit, aut producitur, & in hoc sensu tribuitur uni Patri Divino, qui a nullo principio procedit, sed est a se. 2do. Significat id, quod non procedit per generationem proprie, & stricte dictam, dato deinde, quod per aliam actionem procedat, aut producatur. In tali acceptione Spiritus S. etiam dicitur *ingenitus*, seu non procedens per generationem. Itaque in forma

D. a. Spiritus S. non est *ingenitus*, prout τὸ *ingenitus* idem significat, ac procedens a nullo principio productivo, & prout soli Patri D. con-

D. convenit, esse ingenitum c. a. prout idem significat, ac non procedens per generationem n. a. &c.

Articulus III.

Cur Sola Processio Verbi D. sit generatio?

Assero: Ratio ultimata, & proxima, cur processio Verbi, non au- 445
tem Spiritus S. sit generatio, est hæc: quia Verbum procedit naturaliter, seu a principio naturali, & quia Spiritus S. procedit voluntarie, & non naturaliter, seu a principio voluntario. Doctor. 1. d. 10. n. 13. & d. 13. n. 20. S. Bonaventura in Compendio Theol. l. 1. c. 7. dicens: *proprium Filio procedendi modum esse instar naturæ*, id est, naturaliter.

P. 1. Authoritate D. Augustini, qui L. 5. de Trinit. c. 9. & 14. inquirit: *Cur Spiritus S. non sit Filius, cum tamen a Patre exeat?* & solvit dicens: *Exit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus.* Quasi diceret: Spiritus S. ideo non est Filius, consequenter ideo non est generatus, quia non exit a Patre naturaliter, per modum naturæ, seu mediante aliquo principio naturali: sed procedit *quomodo datus*, seu per modum doni, consequenter libere, & a principio libero; dona enim a voluntate, tanquam principio liberali & libero, procedunt: ergo. Huc facit etiam illud D. Augustini T. 48. in Joannem. ubi ita de secunda Trinitatis Persona loquitur: *Quia Verbum, ideo Filius:* quasi diceret: ideo est genitus, & Filius, quia ut Verbum, consequenter per intellectum, & principium naturale, non autem ut amor per voluntatem, tanquam principium liberum, procedit.

P. 2. Juxta omnes, quod generatur, debet naturaliter, seu a principio naturali, & ad unum determinato produci: ergo, cum solus Filius D. a principio naturali, & Spiritus S. a principio voluntario, & libero producantur, productio sola Filii D. erit generatio, non item Spiritus S. A. p. 1. Quia creatio ideo non vocatur generatio, eo quod illa non fiat per principium naturale, sed liberum, scilicet per voluntatem Divinam. 2do. Patet ex ipso vocabulo *natus*, quod inde ortum habet, quia omne *natum*, & genitum est a natura, seu procedit a principio naturali, ut egregie observat S. Athanasius in Epist. de Decretis Synodi Nicænæ dicens: *quod enim naturaliter ex aliquo nascitur, & est simile in natura, neque aliunde adoptatur, id pro*

Filio agnoſcit natura, & eam vim ſignificationis vocabulum præſefert. Per quem textum indicatur 1mo quod Filius, ſeu genitus debeat procedere, & originari per principium naturale: 2do quod hoc ipſum per vocabulum *natus* ſignificetur.

P. 3. Quia non poteſt melior afferri ratio, quam iſta noſtra: ergo hæc unica, & ultimata eſt ratio, cur proceſſio Verbi ſit generatio, non item proceſſio Spiritus Sancti. A. conſtabit ex mox dicendis. Quare

Refutantur Sententiæ Adverſariorum.

446 Prima ſententia eſt Durandi, & aliorum, docentium, ideo proceſſionem Verbi eſſe generationem, non autem proceſſionem Spiritus Sancti, quia Verbum ab una, Spiritus S. a duabus Perſonis procedit.

Contra eſt 1. Si Filius D. per impoſſibile naturaliter procederet a duabus Perſonis per intellectum, adhuc eſſet Filius, quia adhuc ejus proceſſio eſſet *origo naturalis viventis a vivente* &c. Et ſi Spiritus S. tantum ab una Perſona procederet voluntarie per voluntatem, adhuc ejus proceſſio non eſſet generatio; quia foret libera, & ipſe procederet *non quomodo natus, ſed quomodo datus*: ergo.

Contra eſt 2. Etſi ignis A. producatur a duobus ignibus, & ignis B. ab uno igne, tamen ignis A. ab igne B. non differret eſſentialiter: ergo etiam ex eo, quod una Perſona tantum producatur ab una, & altera a duabus, inter eas non foret diverſitas, nec una neceſſario eſſet genita, & altera non genita.

Dices: S. Auguſtinus L. 15. de Trinit. c. 27. ait, ſecundam Perſonam eſſe Filium, conſequenter genitum, quia procedit ab una ſola Perſona, & Spiritum S. non eſſe Filium, quia procedit a duabus Perſonis: ergo.

℞. D. a. Et hanc rationem ſubjicit tanquam a poſteriori c. a. tanquam a priori, & formalem, ac ultimatam n. a. Ex eo, quod Verbum ab una Perſona producatur, & Spiritus S. a duabus, tanquam a poſteriori colligitur, & arguitur, quod proceſſio Verbi ſit origine prior, quam proceſſio Spiritus Sancti, conſequenter etiam, quod proceſſio Verbi ſit per intellectum, tanquam principium *naturale*; nam intellectus operatione ſua præcedit voluntatem.

447 Secunda ſententia eſt Suarezii, qui affirmat, idcirco Verbi proceſſionem eſſe generationem, non autem proceſſionem Spiritus S.,

quia

quia Filius D. procedit per intellectionem essentialem, quae est essentiale constitutivum essentiae Divinae, Spiritus S. vero per amorem essentialem, qui non est essentiale constitutivum Essentiae divinae: consequenter Filio vi suae processionis primario communicatur natura Divina, non autem Spiritui S., sed huic tantum concomitanter.

Contra est: In hac sententia tria continentur, quae a Scotistis communiter negantur; 1mo enim negatur, quod Filius D. procedat per intellectionem essentialem, ut dictum est. 2do. Negatur, quod intellectio essentialis sit formale constitutivum Essentiae divinae, prout declaratum est Tract. de Deo uno. 3tio. Negatur, quod Spiritui Sancto ratione suae processionis formaliter non communicetur natura Divina; si enim hoc verum esset, tunc Spiritus S. ratione suae processionis non esset formaliter Deus, sed tantum concomitanter, quod utique admitti non potest: ergo.

Tertia sententia est omnium vere Thomistarum, dicentium, id- 448
eo processionem Verbi esse generationem, non autem processionem Spiritus Sancti, quia Verbum procedit in similitudinem naturae vi processionis suae, non vero Spiritus S., qui procedit per modum impulsus.

Contra est: Etiam Spiritus S. procedit in similitudinem naturae; nam & hic habet eandem Naturam D. cum Patre, sicut Filius: ergo.

Dices 1. Verbum vi processionis suae procedere in similitudinem naturae. Contra est: Ideo Verbum vi processionis suae procedit in similitudinem naturae, quia procedit a principio vitali *naturali*, quod ex sua natura est determinatum ad producendum simile in natura.

Dices 2. Verbum procedere per modum imaginis, non item Spiritum S.: consequenter magis procedere Verbum in similitudinem naturae, quam Spiritum S. Contra iterum est: Non est ratio, cur non aeque Spiritus S. dicatur imago Patris, ac Filius, nisi quis dicat, quod Filius per intellectum, consequenter per principium naturale, & Spiritus S. per voluntatem tanquam principium liberum procedat: ergo. A. constat; nam & Spiritus S. repraesentat naturam, intellectum, & voluntatem Patris, sicut Filius D.: ergo sola diversitas est, quia Filius D. per intellectum tanquam principium naturale, & Spiritus S. per voluntatem tanquam principium liberum procedit.

 Quarta

449 Quarta fententia eft Richardi Victorini, dicentis, ideo proceffionem Verbi effe generationem, quia per eam Verbum accipit effentiam fœcundam, feu cum potentia proxima in ordine ad producendum Spiritum S. Rationem fuæ affertionis dat, quia tali modo Filius procedit in fimilitudinem *naturæ;* natura enim confiftit in fœcunditate productiva alterius fuppofiti.

Contra eft 1. Tali modo Filius non procedit in fimilitudinem naturæ: ergo hæc ratio Richardi nulla eft. A. p. 1. Ideo Spiritus S. juxta Richardum, & ejus Affeclas non procedit ut fimilis Patri in natura, quia non habet vim fpirandi, quam habet Pater: ergo etiam quia Verbum non habet vim generandi, quam habet Pater, non procedit ut fimile Patri in natura. 2. Filius non participat eodem modo fœcunditatem, & vim fpirativam, quo eam participat Pater: ergo quoad fœcunditatem non eft fimilis Patri. A. p. Pater habet vim fpirativam a fe, Filius non habet eam a fe, fed a Patre: ergo non eodem modo participat.

Contra eft 2. Si Filius debet effe fimilis Patri in natura fœcunda, tunc fequitur, Filium v. g. Petri hominis effe magis filium, quam Filium D.: hoc eft abfurdum: ergo & id, unde fequitur. M. p. nam filius Petri hominis eft magis fimilis Patri fuo in natura fœcunda, quam Filius D. Patri D., cum Filius Petri hominis poffit alium filium, & eodem modo, quo Pater fuus, generare, quod tamen Filius D. non poteft.

Differtatio VI.

DE

PRIORITATE, ET ORDINE INTER PROCESSIONES DIVINAS, ET ALIA PRÆDICATA DIVINA.

Articulus. I.

An, & qualis Prioritas in Divinis fit admittenda?

450 Nota 1. In Divinis non poffe admitti prioritatem temporis, aut durationis; prioritas enim temporis inter illa datur, quorum unum aliquo

aliquo tempore existit, quo alterum non existit: atqui *totæ tres Personæ Divinæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*, ut Symbolum D. Athanasii dicit, consequenter ab æterno cum omnibus suis constitutivis, & perfectionibus simultanee existunt: ergo.

Nota 2. Nec dari inter Personas Divinas prioritatem dignitatis, qua una Persona alteram dignitate præcederet; in Trinitate enim *nihil majus, aut minus*, ut iterum laudatus Athanasius, vel potius per hunc tota Ecclesia confitetur.

Nota 3. Quæstionem in proposito esse unice de prioritate naturæ, & originis. Quare ex Philosophia

Nota 4. *Prioritatem naturæ* esse duplicem, nimirum *in essendo*, & *intelligendo*. *Prioritas naturæ in essendo* juxta Aristotelem 5. Metaphys. c. 16. est inter illa, quorum unum potest esse sine altero, non econtra. Quare illud dicitur prius natura esse altero, quod, licet simul cum alio existat, tamen, quantum est de se, saltem supernaturaliter potest esse sine altero, estque independens ab altero, etsi non econtra. Sic substantia est natura prior suis accidentibus, v. g. ignis suo calore nativo; nam ignis saltem supernaturaliter potest separatim sine calore existere, & calor dependet ab igne, tanquam a sua causa productiva, non autem ignis a calore ita dependet. Similia exempla habemus in quavis causa physica, quæ, etiam dum actu causat, natura præcedit suum effectum. Hæc prioritas naturæ *in essendo* iterum non habet locum inter Personas Divinas. Ratio est: hæc prioritas intercedit inter illa, quorum unum saltem supernaturaliter sine altero existere potest: atqui nulla Persona D. sine altera existere potest: ergo.

Nota 5. Aliam *prioritatem naturæ* esse *in intelligendo*; estque illa, qua unum ex duobus realiter identificatis petit intelligi ut prius altero, vel ut præsuppositum ad alterum. Hæc prioritas naturæ in intelligendo iterum est duplex: *una*, quæ intercedit inter ea, quæ ab invicem possunt vere præscindi præcisione objectiva Scotistica. Quæ prioritas vere a parte rei datur, ut præcisio objectiva Scotistica, & distinctio ex natura rei formalis. Tali modo prior est quævis essentia suis proprietatibus metaphysicis, v. g. natura humana risibilitate; essentia enim ceu radix præintelligitur proprietatibus. Idem est de intellectu, & voluntate; intellectus enim voluntati præsupponitur, & præintelligi petit. *Altera* prioritas naturæ in intelligendo est tantum

inter illa, quæ per rationem distinguuntur, & est mera prioritas rationis.

Nota 6. *Prioritatem originis* esse illam, quæ datur inter principium & principiatum, & explicatur per habitudinem *a quo aliud*: sic illud, quod est producens, dicitur origine prius, quod est productum, dicitur origine posterius. Vocatur hæc prioritas etiam *a quo*: contra prioritas naturæ dicitur *in quo*.

Nota 7. Prioritatem originis etiam esse inter illa, quæ sunt *simul tempore, natura, & cognitione*, consequenter stare etiam cum simultate naturæ; potest enim hæc prioritas dari inter correlativa, ut inter Patrem & Filium, qui, si correlative considerantur, sunt simul natura, seu nullus est altero prior natura: quia tamen Pater filio dedit esse, ideo, non obstante hac correlatione, Pater est Filio prior origine. H. N.

451 Assero 1. Datur in Divinis prioritas naturæ in intelligendo. Ita SSæ sparsim cum suo Doctore.

P. In Divinis aliqua petunt intelligi ut præsupposita ad alia: ergo datur talis prioritas in intelligendo. Cons. liquet ex definitione hujus prioritatis. A. p. Essentia D. præintelligitur attributis, tanquam radix eorum: similiter intellectus præconcipitur voluntati, & intellectio volitioni, nec non prædicata absoluta notionalibus, & relativis: ergo.

Objic. 1. Attributa D. sunt simul cum essentia: ergo simul cum ea intelliguntur. ℟. D. a. Sunt simul, certo tamen ordine c. a. sine ordine n. a. Hoc ipso, quod essentia haud aliter petat intelligi, quam ut radix attributorum, jam non potest concipi, nisi cum prioritate naturæ, seu *in quo*.

Objic. 2. Deus non intelligit suam essentiam ante attributa: ergo in Divinis non datur prioritas naturæ in intelligendo. ℟. D. a. Non intelligit essentiam ante attributa, id est, essentiam sine attributis, vel prius tempore essentiam, quam attributa c. a. id est, non cognoscit essentiam, & attributa cum debito ordine, videlicet essentiam ut radicem attributorum, & hæc ut perfectiones metaphysice profluentes ab essentia n. a. & cons.

452 Assero 2. Inter Personas divinas datur vera, & realis prioritas, & posterioritas originis: consequenter Pater est origine prior Filio, & uterque Spiritu Sancto. Scotus 1. d. 5. q. 2. & d. 10. q. un. §. ult. & alibi passim.

P. 1.

P. 1. Authoritate. S. Auguſtinus L. 1. de triplici habitaculo prope finem: item L. de Gaud. Elect. ait: *Pater non præcedit Filium tempore, ſed origine.* Hugo Victorinus L. 6. de Trinit. c. 6. *prius, & poſterius hoc loco intelligi volumus non temporis ſucceſſione, ſed ordine naturæ, vel originis.*

P. etiam breviter ratione. 1. Inter illa datur prioritas, inter quæ datur ordo, & inter quæ eſt unum primum, & alterum ſecundum &c. ſed talis ordo datur inter Perſonas divinas, quarum una prima, altera ſecunda eſt a parte rei &c. ergo inter Perſonas divinas datur prioritas. Atqui alia inter eas non poteſt dari, quam prioritas originis, quia Perſonæ divinæ ſunt correlativæ, & conſequenter ſimul ſunt tempore, & natura: ergo. 2. Prioritas originis datur inter producens & productum: atqui inter Perſonas D. aliquæ ſunt producentes, & aliquæ productæ: ergo.

Objic. Si Filius eſt origine poſterior Patre, tunc Filius divinus non eſt ab æterno; hoc non poteſt admitti: ergo. M. p. quia Filius pro priori originis, quo Pater ipſum præcedit, non exiſteret: ergo non eſſet ab æterno.

℞. N. M. & ſuppoſitum, quod exiſtentia menſuretur inſtantibus originis; hæc enim menſuratur ſolis inſtantibus durationis. Hinc, dum dicimus, Filium origine eſſe poſteriorem Patre, non affirmamus, Filium pro aliquo inſtanti non exiſtere, quo exiſtit Pater: ſed ſolum volumus, quod Filius habeat ſuum eſſe a Patre tanquam principio productivo quod, ſeu quod Pater ſit producens, & Filius ab eo productus: in quo nil abſurdi eſt.

Articulus II.

Statuitur Ordo inter Prædicata Divina.

Totus ordo prædicatorum divinorum in tria præcipue ſigna dividitur a Scoto, prout ex eo colligit Faber in 1. ſent. d. 25. In primo ſigno naturæ eſt eſſentia divina cum omnibus perfectionibus ſuis, ac prædicatis abſolutis. In ſecundo ſigno ſunt proceſſiones divinæ, ac omnia prædicata relativa, ſeu notionalia. In tertio ſigno ponuntur operationes divini intellectus, & voluntatis ad extra, nempe cognitio, & volitio creaturarum. Nihilominus hæc tria ſigna in plura alia ſigna 453

gna naturæ, & orginis dividi possunt, ac debent. Quare majoris claritatis gratia ex Summa Theologica nostri Hieronymi de Monte Fortino p. 1. q. 42. art. 3. Luheto, & aliis conformiter Scoto sequentem ordinem signorum naturæ inter prædicata divina statuo.

454 In primo signo naturæ ponitur Essentia divina sub ratione absolutissima, veluti pelagus, & radix omnium perfectionum divinarum, ac fundamentum cunctorum prædicatorum, quæ Deo insunt.

In secundo signo dimanant ab Essentia D. omnes perfectiones divinæ absolutæ, quas S. Damascenus dicit circumstare essentiam divinam. Inter quas ipsas perfectiones, & attributa aliqua prioritas naturæ iterum invenitur: sic intellectus pro signo priori præsupponitur voluntati divinæ.

In tertio signo essentia D. est præsens intellectui D. in ratione objecti intelligibilis: & tunc Deus intelligit se, & suam essentiam, ac sua attributa, & perfectiones absolutas.

In quarto signo essentia D., pro priori instanti naturæ cognita, est præsens voluntati in ratione objecti summe amabilis: proinde tunc Deus amat se, & suam essentiam.

In quinto tandem signo naturæ sunt Personalitates divinæ, origines, & productiones Personarum. Ex quo

Colligis: Omnes perfectiones, & prædicata absoluta, imo & cognitionem, qua Deus se, suamque essentiam, ac attributa agnoscit: item amorem, quo se, & sua attributa amat, pro signo naturæ in intelligendo præsupponi Personæ Patris, ac reliquis Personis, nec non omnibus prædicatis relativis. Ratio hujus petitur 1. ex illo axiomate Theologico, quod in Deo prædicata absoluta sint priora notionalibus. 2. Quia ex ratione principii perfecti est, ut prius habeat suam ultimam perfectionem, quam ut per illud aliquid producatur: atqui intelligere, & velle videntur esse ultimæ perfectiones Deitatis: ergo. m. patet; quia per intellectionem, & amorem essentialem Deus est formaliter beatus, consequenter suam ultimam perfectionem habet.

455 Hoc quintum signum subdividitur in plura signa originis. In primo signo originis est Persona Patris, quatenus tunc ab essentia divina, vel potius a memoria fœcunda emanat, & resultat proprietas relativa constituens Patrem in esse Patris; ea autem proprietas est generatio activa, quæ formaliter est ipsa Paternitas; quia enim memoria fœcunda, nempe intellectus divinus, ab objecto præsente fœcundatus est principium quo productivum Filii, ideo per generationem activam ex memoria

moria fœcunda reſultantem Pater in ratione Perſonæ, & Patris conſtituitur.

In hoc ſigno, ubi Pater eſt Pater, omnes perfectiones divinæ ſimpliciter ſimplices ſunt in Eo, & quidem eo ordine, quo ſunt in eſſentia divina. Sic 1mo Pater eſt Deus, ſeu habet Deitatem. 2do habet bonitatem, intellectum, voluntatem infinite perfectam, & alias perfectiones Deo proprias. 3tio. Intelligit eſſentiam divinam, & attributa divina. 4to. Vult, & amat eſſentiam, gaudet gaudio infinito, & eſt perfecte beatus.

In ſecundo ſigno originis eſt generatio paſſiva Filii, per quam Filius divinus in eſſe Perſonæ conſtituitur, igitur hanc generationem paſſivam generatio activa pro priori ſigno originis præcedit.

In tertio ſigno originis Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum. In quarto eſt ſpiratio paſſiva, & amor ſpiratus, ſeu Spiritus Sanctus.

His tandem omnibus expletis in ſigno quinto naturæ ſequitur cognitio, volitio, & productio creaturarum: & ſic omnes tres Perſonæ cognoſcunt, amant, & producunt creaturas. In qua operatione ad extra Scotus etiam agnoſcit aliquem ordinem originis, ita ut pro priori ſigno originis intelligatur Pater, pro ſecundo Filius, & pro tertio Spiritus Sanctus cognoſcere, amare, & producere creaturas. Verum hic ordo eſt tantum improprius & ſecundum quid, ut notat Faber citatus.

Diſſertatio VII.

DE

PERSONIS DIVINIS IN COMMUNI, ET RELATIONIBUS ORIGINIS.

Cum pleræque controverſiæ hujus Diſſertationis ſint de relationibus 456
originis, hinc ſuppono 1. Relationes originis eſſe illas, quibus Perſona D. producens, & Perſona producta ad ſe mutuo referuntur, & inter ſe diſtinguuntur, ut generatio activa in Patre, & generatio paſſiva in Filio, ſpiratio activa in Patre, & Filio, & ſpiratio paſſiva in Spiritu Sancto. Dicuntur autem *relationes originis*, quia ſignificant originem, ſeu proceſſionem unius Perſonæ ab altera.

Suppono 2. Neceſſario in divinis dari Relationes Originis. Ratio hujus eſt: quia in divinis datur vera proceſſio, qua una Perſona ab altera procedit: atqui proceſſio divinarum Perſonarum nec eſſe, nec intelligi poteſt ſine relationibus originis, ut conſtat ex dictis, & amplius ex dicendis conſtabit: ergo.

Suppono 3. Relationes originis eſſe vere reales, & non eſſe merum quid rationis. P. Illud debet eſſe quid reale, quod vere realiter Perſonas D. conſtituit, multiplicat, & diſtinguit; atqui relationes originis vere realiter Perſonas D. conſtituunt, multiplicant, & diſtinguunt: ergo.

Suppono 4. Quatuor eſſe relationes originis, ſcilicet generationem activam, & generationem paſſivam: item ſpirationem activam, & ſpirationem paſſivam. Ratio eſt: quia duæ ſunt origines paſſivæ, ſcilicet generatio, & ſpiratio paſſiva, quæ denominant Perſonas formaliter productas: ergo & iis debent reſpondere duæ origines activæ, nimirum generatio activa, & ſpiratio activa: conſequenter omnes hæ relationes originis ſunt numero quatuor.

Suppono interea 5. Relationes originis, quæ Perſonas D. in eſſe Perſonali conſtituunt, eſſe ſolum tres, videlicet generationem activam, ſeu Paternitatem, generationem paſſivam, quæ eſt ipſa Filiatio, & ſpirationem paſſivam. P. Generatio activa, ſeu Paternitas, conſtituit Patrem, generatio paſſiva, ſeu Filiatio, conſtituit Filium, & ſpiratio paſſiva conſtituit Spiritum Sanctum: ergo omnes tres Perſonæ conſtituuntur per tres illas ſolas relationes.

Confirm. Spiratio activa non conſtituit aliquam Perſonam D. ergo tantum tres reliquæ relationes originis ſunt conſtitutivæ Perſonarum. A. p. Spiratio activa non conſtituit Patrem, aut Filium; ſiquidem actio ſpirativa eſt origine, vel omnino natura poſterior generatione activa, & paſſiva: ergo pro priori originis ante ſpirationem activam jam ſupponitur Pater conſtitutus per generationem activam, & Filius per generationem paſſivam. Præterea ſpiratio activa non conſtituit Spiritum Sanctum; nam hic conſtituitur per ſpirationem paſſivam, & eſt ſpiratus paſſive, non autem active ſpirans. Neque actio ſpirativa poteſt peculiarem Perſonam conſtituere; alias enim forent quatuor Perſonæ divinæ. Vide dicenda infra hac Differt. Art. 4. §. 2.

Suppono 6. Quamlibet Perſonam D. duplex importare conſtitutivum, unum *eſſentiale*, alterum *Perſonale*. *Eſſentiale* eſt eſſentia D. communis omnibus tribus Perſonis. De hoc conſtitutivo hic non contro-

vertitur, sed de solo *Personali*, seu illo, quod Personas divinas in esse personali constituit. Quare sit

Articulus I.

An, & quomodo Relationes originis constituant, & distinguant Personas divinas?

§. I.

Aliquæ Conclusiones.

Assero 1. Personæ divinæ in esse Personali non constituuntur, nec distinguuntur immediate se totis, sed per peculiares proprietates. Est communis Theologorum contra Præpositivum, & Gregorium Ariminensem. 457

P. Personæ D. non sunt primo diversæ, sed in aliquo sui conveniunt, & in alio distinguuntur: conveniunt in essentia, & differunt in Personalitate: ergo Personæ D. non distinguuntur se totis, sed in singulis Personis est aliquid peculiare, & proprium, per quod ab invicem primo distinguuntur, adeoque per quod peculiariter constituuntur in esse personali. Hoc autem, quod ita *proprium* est singulis Personis, & illas in esse personali constituit, recte *proprietas* Personalis dicitur, ut colligitur ex Concilio Lateranensi relato Cap. *Firmiter.* de Summa Trinit. ubi dicitur: *SS. Trinitas secundum communem essentiam est indivisa, secundum vero proprietates Personales discreta,* id est, distincta, & differens. Consentiunt SS. PP. & omnes Th. Th.

Assero 2. Personæ divinæ in esse personali constituuntur per proprietates relativas, seu per relationes originis. D. Thomas, Bonaventura, & Scotus q. 4. quodlib. n. 4. & q. 19. n. 5. Et 1. Sent. D. 2. q. 7. contra Joannem de Ripa, & Lynconiensem, qui existimarunt, Personas constitui, & inter se distingui per proprietates absolutas. 458

P. 1. ex Scriptura, ubi D. Personæ exprimuntur nominibus relativis: ut Matth. ult. *In nomine Patris, & Filii &c.* & 1. Joan. 5. *Tres sunt &c. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Item in Symbolis Apostolorum, Nicæno, ac S. Athanasii hæ SS. tres Personæ nominibus so-

lum relativis defignantur: ergo fine fundamento dicitur, eas non conftitui immediate, nec primo diftingui per relationes.

P. 2. ex Oratione Beffarionis Patriarchæ, quam in Concilio Florentino habuit, ubi c. 6. dicit, per relationes conftitui Perfonas divinas, ut ex verbis ejus inferius allegandis patebit.

P. 3. Per quod aliqua res primo ab altera diftinguitur, per illud & conftituitur; nam idem eft principium primo conftitutivum, & primo diftinctivum: atqui quælibet Perfona D. ab altera primo diftinguitur per relationem originis: ergo quælibet Perfona D. conftituitur primo, feu formaliter per relationem originis. M. eft certa. m. p. Boëtius L. de Trinit. c. 12. ait: *Sola relatio multiplicat* (feu diftinguit) *Trinitatem.* Cyrillus L. 2. Thefauri c. 3. ait: *Non nifi per relationes diftingui Perfonas, & conftitui in effe hypoftafeon,* feu Perfonarum. Et l. 7. c. 1. ait: *Sola diverfitate relationis, nec alia re diftinguuntur.* Similia dicunt alii PP. Unde tritum illud Th. Th. axioma: *omnia in Divinis funt unum, ubi non obviat relationis oppofitio.* Hinc & Joannes Theologus in Concilio Florentino Seff. 18. dicit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos, quam Latinos divina proceffione Perfonas multiplicat, ita, ut non ulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac una Perfona ab alia differat:* ergo folæ relationes originis primario diftinguunt, confequenter & conftituunt Perfonas divinas.

P. 4. SS. PP. præfertim S. Auguftinus L. 1. de Trinit. per multa capita, docent, omnia abfoluta effe tribus Perfonis D. communia: atqui Perfonalitates divinæ, feu proprietates Perfonales, non funt tribus Perfonis communes, ut per fe patet: ergo proprietates Perfonales non funt abfolutæ, fed relativæ.

459 Objic. 1. Pater prius eft Perfona, quam generet: ergo non conftituitur in effe Perfonali per generationem activam. A. p. Prius eft effe, quam operari: ergo Pater prius eft Perfona, quam generet, & generando operetur. ℟. D. ult. ant. in iis, in quibus operari diftinguitur ab effe c. a. in quibus operari eft ipfum effe n. a. Jam in divinis effe Patrem, eft ipfum generare, & Pater qua Pater per ipfam generationem exiftit, prout probationes noftræ oftendunt.

Objic. 2. Actiones funt fuppofitorum: ergo actiones non conftituunt, fed præfupponunt jam conftitutum fuppofitum, ex quo dimanant. ℟. D. a. Actiones funt fuppofitorum, vel quatenus ea conftituunt, vel quatenus ab iis emanant c. a. præcife, quatenus ab ipfis emanant. n. a.

Objic. 3. Posse præsupponitur ante actualiter operari: ergo Persona Patris habens potentiam generandi præsupponitur ante actualem generationem. ℞. D. a. Posse, id est, potentia, & principium quo operandi c. a. principium quod *subd.* nisi actualis operatio, & actio illud principium quod constituat c. a. secus n. a. & c.

Objic. 4. Omne, quod refertur, est prius relatione: ergo, quia Persona Patris ad Filium refertur, est prior relatione, consequenter non constituitur per relationem. ℞. D. a. Omne illud est prius relatione, quod non refertur relatione constituente ipsum relatum c. a. quod refertur relatione constituente ipsum relatum n. a. Sic murus albus est prior similitudine, per quam refertur ad alterum murum album; quia in ratione albi non per similitudinem, sed albedinem constituitur: Econtra Pater divinus in ratione Patris, & Personæ per ipsam Paternitatem constituitur, adeoque non est prior Paternitate.

Dices: Id quod refertur, prius constituitur, quam referatur: ergo id, quod refertur, non constituitur per relationem. ℞. 1. D. a. Id, quod refertur per aliud, debet prius constitui, quam referatur c. a. quod refertur per se ipsum n. a. Personæ divinæ referuntur ad se mutuo per se ipsas: quare fit, ut Persona non prius in esse constituatur, quam referatur.

℞. 2. iterum D. a. Id, quod refertur relatione creata, prædicamentali, & accidentali &c. c. a. secus n. a. In creatis relatio prædicamentalis est accidens, relato, seu fundamento superveniens, & ab eo separabilis, adeoque illud jam constitutum invenit, & præsupponit: in divinis relatio Paternitatis &c. realiter identificatur Personæ, & suo fundamento, ac est substantialis.

Instabis: Aristoteles existimat, identitatem realem ideo non esse relationem realem, sed tantum rationis, quia non præsupponit ante se duo extrema realiter distincta: ergo quia relationes originis sunt veræ relationes reales, præsupponunt ante se extrema realiter distincta, nempe Personas jam in suo esse constitutas.

℞. D. a. Aristoteles supponit, ideo identitatem realem non esse relationem realem, quia non præsupponit, nec facit duo extrema realiter distincta c. a. solum, quia non præsupponit. n. a. Relationes divinæ constituunt saltem plura extrema realiter distincta.

Objic. 5. Prius est suppositum generans supposito genito; atqui si suppositum Patris constitueretur per Paternitatem, & suppositum Filii

per Filiationem, essent simul; forent enim correlativa, quae sunt simul tempore, natura, & cognitione: ergo. ℞. D. M. Prius est suppositum generans &c. origine c. M. prius est tempore, vel cognitione n. M. Cum prioritate autem originis stat simultas temporis, & naturae. Vide num. 450. Not. 7.

Objic. 6. Terminus relationis est aliquid absolutum: atqui Persona Filii est terminus relationis Paternitatis: ergo Persona Filii D. est quid absolutum. ℞. D. M. Terminus relationis creatae c. M. divinae n. M. Ex una enim parte relatio productionis debet necessario respicere terminum realiter distinctum: ex altera parte in divinis omnia absoluta sunt realiter identificata, & communia omnibus tribus Personis, ac sola relativa, & relationes inter se realiter distinguuntur. Hinc in divinis terminus generationis, & productionis necessario est respectivus.

§. II.

Continuatur praesens Controversia.

460 Affero 3. Personae divinae constituuntur per relationes originis qua relationes, & quatenus hae dicunt *esse ad*, & formaliter respiciunt suum terminum. Est contra D. Thomam, & TTas plures. Juxta hos enim relatio, quae constituit Personam divinam, dupliciter potest spectari: uno modo, prout est in se, seu prout est forma hypostatica, ac substantia in se manens, & per se stans, & prout solum dicit *esse in*, ac abstrahit ab esse ad: secundo modo, prout dicit *esse ad*, & formaliter exercet munus referendi, & respicit actu terminum. Per relationes in primo sensu acceptas ajunt, Personas divinas constitui, non autem per eas secundo modo acceptas. Contra hos

P. 1. Relationes divinae constituunt Personas eatenus, quatenus distinguunt: atqui relationes divinae distinguunt Personas, quatenus sunt relationes, & quatenus formaliter respiciunt terminum, & dicunt esse ad: ergo etiam constituunt Personas qua relationes, & quatenus dicunt esse ad. M. patet ex Conclusione praecedente. m. p. 1. ex Concilio Toletano XI. c. 1. ubi dicitur: *Personae Divinae hoc solo numerum insinuant, quod* NB. *ad invicem sunt: & in hoc solo numero carent, quod* NB. *in se sunt:* ergo ex definitione Concilii relationes non constituunt, neque

neque diſtinguunt Perſonas ſecundum earum *eſſe in*, ſed ſecundum *eſſe ad*, ac ſub formali conceptu relationis.

P. 2. Relatio, quatenus in genere concipitur ut forma quædam hypoſtatica, ac ſubſtantia in ſe ſtans, & ſubſiſtens, non diſtinguit unam Perſonam ab altera; quælibet enim Perſona eſt talis forma &c. ergo eatenus non conſtituit determinate Perſonas divinas.

P. 3. Relatio non poteſt aliter conſtituere Perſonas, quam ſecundum ſuam eſſentiam, & eſſe, quod habet a parte rei: atqui eſſe, & eſſentia relationis a parte rei eſt *eſſe ad*, & reſpicere terminum: ergo relatio non aliter conſtituit Perſonas, quam ſecundum eſſe ad.

P. 4. Illud, per quod relatio formaliter conſtituit Perſonam, vel eſt aliquid formaliter ad ſe, vel ad aliud: ſi primum, illud eſt abſolutum, adeoque Perſonæ non conſtituuntur per relationem. Si ſecundum: tunc habeo intentum, & relatio conſtituit Perſonas, quatenus relatio, & quatenus dicit eſſe ad.

Objic. 1. D. Auguſtinus L. de Trinit. c. 6. ait de Perſonis divinis: 461
Ad ſe quippe dicitur Perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum: ergo relationes divinæ, quatenus conſtituunt Perſonas, dicunt *eſſe in*, & non *eſſe ad*. ℞. D. Auguſtinum ibi loqui de prædicatis abſolutis, & eſſentialibus cujuslibet Perſonæ; ſi enim Perſona Patris ſpectatur quoad eſſentiam, & naturam divinam, tunc utique ad ſe dicitur. Deinde tres Perſonas per relationes, & mutuos reſpectus diſtingui, conſequenter & conſtitui, S. Doctor eodem cap. paulo inferius docet, dicens: *In Evangelio ſcriptum eſt: Ego, & Pater unum ſumus. Et unum dixit, & ſumus: unum, ſecundum eſſentiam, quod idem Deus: ſumus, ſecundum relativum, quod ille Pater, hic Filius.*

Objic. 2. Vel relationes originis conſtituunt Perſonas, quatenus ſunt relationes præciſe, vel quatenus ſunt relationes divinæ? ſi primum: ergo & relationes creatæ conſtituunt Perſonas. Si ſecundum: ergo & ſpiratio activa, quæ etiam eſt relatio divina, erit conſtitutiva Perſonæ. Atqui utraque ſequela eſt abſurda: ergo &c.

℞. Relationes originis conſtituere Perſonas, quatenus ſunt relationes divinæ, & ſubſtantiales, & quidem tales, quæ dicunt oppoſitionem producentis, & producti, & ſimul non præſupponunt ante ſe pro priori conſtitutas Perſonas, ac ſuppoſita. atqui relationes creatæ non ſunt divinæ, & ſpiratio activa jam præſupponit Perſonas

Patris,

Patris, ac Filii pro priori conſtitutas: ergo nec relationes creatæ, nec ſpiratio activa conſtituunt Perſonas. Ex dictis

462 Colliges 1. Si intellectus ſecundum adæquatum, & perfectum conceptum procedit, tunc non intelligi poſſe primam Perſonam, ſive Hypoſtaſin ſine generatione, & Paternitate, neque aliquem eſſe verum realem ordinem inter Perſonam, generationem activam, & Paternitatem.

Colliges 2. Neque Paternitatem divinam proprie, & a parte rei fundari in generatione activa, & ex ipſa reſultare; generatio enim activa eſt ipſa Paternitas, ſeu eſt illa relatio, qua Pater refertur ad Filium.

Dices cum TT. Paternitas in creatis fundatur in actione generativa, tanquam in ratione fundandi: ergo etiam in divinis. ℞. N. a. nam paternitas proxime fundatur in potentia generativa Patris tanquam in ratione fundandi. Idem dic in divinis.

Colliges 3. Ex dictis facile reſolvi illam quæſtionem, an relationes divinæ ut habitudines, ac relationes, vel tanquam origines conſtituant Perſonas? Nam a parte rei origo a relatione qua tali nullatenus, nequidem ex natura rei formaliter diſtinguitur. Quapropter Perſonæ D. conſtituuntur tam per originem, quam per habitudinem & relationem, vel potius per illud, quod eſt ſimul habitudo, & origo.

Dices: *Origo* qua talis ſignificat aliquod eſſe fluens, & quod eſt in actuali fieri, ſeu quod producitur: habitudo vero, & relatio qua talis ſignificat aliquod eſſe permanens, & in facto eſſe. Hinc origo explicatur per generationem, & ſpirationem activam, vel paſſivam, relationes vero, qua Perſonæ mutuo inter ſe referuntur, per Paternitatem, & Filiationem &c. quæ ſunt formæ permanentes, & denominationes in ſtatu quieto: ergo origo, & relatio diſtinguuntur. ℞. in divinis ipſum fieri, & eſſe fluens, ſeu ipſam productionem Perſonarum eſſe ſimul formam permanentem, quia eſt æterna.

Hæc omnia ſint dicta de Perſonalitatibus, & relationibus originis, prout illæ ſunt a parte rei. Nihilominus loquendo de conceptibus inadæquatis, poſſunt ſubinde relationes divinæ, quæ Perſonas conſtituunt, concipi ſub confuſo, & quaſi generico conceptu formarum hypoſtaticarum, vel Perſonalitatum, abſtrahendo, an ſint relativæ, vel abſolutæ: ut, dum dicimus, in Deo eſſe tres Perſonas, tres Hypoſtaſes. Imo ſpectando præciſe conceptus inadæquatos, & confuſos,

ſos, poteſt aliquis ordo, & prioritas rationis ſtatui in quavis Perſona qua tali.

Et quidem ſicut in humanis prius eſt, & exiſtit Perſona, antequam generet: & deinde prius exercet influxum generativum, antequam denominetur Pater: ita & in divinis poſſumus ante omnia apprehendere primam Perſonam in ſuo eſſe Perſonali conſtitutam, abſtrahendo, an eſſe hoc perſonale ſit relativum vel abſolutum. Deinde poſſumus concipere, quod originet, ſeu generet aliam Perſonam: & tertio, quod generando obtineat denominationem Patris, & habitudinem ad Filium. Ita cum proportione prius ſecundum concipiendi modum eſt oriri, & naſci Filium divinum, deinde eſſe, & exiſtere Eundem, denique referri ad Patrem.

Verum hæc omnia ſecundum conceptus inadæquatos, non autem ſecundum rem: prout expendit Beſſarion Patriarcha in Oratione habita in Concilio Florentino, ubi c. 6. ait: *Relatio, & origo, etſi ſecundum modum intelligendi differunt, re tamen non differunt; ideo utroque quidem modo diſtinguuntur divinæ Perſonæ: prius tamen, & ſecundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam conſtituuntur Divinæ Perſonæ, conſequenter autem per originem.* Et paulo inferius: *Quia relatio, & origo idem ſunt re, & relatio conſequitur originem (ſecundum conceptum) ideo utroque quidem modo diſtinguuntur D. Perſonæ, ſed principalius relatione.*

Colliges 4. Patrem divinum non conſtitui per rationem *ingeniti*, ſeu, *non geniti*, ſed per relationem Paternitatis. Ratio eſt, quam dat Doctor 1. d. 28. q. 2. n. 11. quia *Ingenitum* formaliter dicit negationem: ſed D. Perſona non poteſt formaliter conſtitui per negationem: ergo. M. conſtat; quia *ingenitum* eſt negatio geniti, vel procedentis ab alio. m. per ſe liquet; Perſona enim eſt ens poſitivum: at qui ens poſitivum in ſua ratione formali nequit conſtitui per negationem.

Articulus II.

De Exiſtentia, & Subſiſtentia trium Perſonarum Divinarum, & aliis huc facientibus.

§. I.

De Exiſtentia Perſonarum Divinarum.

Nota 1. Quæſtionem eſſe, an in Deo præter exiſtentiam abſolutam, qua exiſtit Eſſentia, ſint aliæ tres exiſtentiæ relativæ, & perſonales, quarum quælibet convenit ſuæ peculiari Perſonæ?

Nota 2. ex philoſophia: Exiſtentiam eſſe, *id, quo ens eſt formaliter in actu, ſeu extra nihil.* Vel: *eſt actualitas entis, qua res actu, & in rerum natura dicitur eſſe.* H. N.

463 Aſſero. Dantur in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & perſonales, quarum quælibet ſuæ propriæ Perſonæ reſpondet. Ita Herincx, Boyvin, Smiſing, & alii paſſim contra Vasquez, & alios, putantes, tres Perſonas exiſtere per unam exiſtentiam Eſſentiæ divinæ.

P. 1. Quælibet Perſona in eſſe perſonali, & relativo conſtituitur per relationem, & per eſſe relativum, ab eſſentia divina ex natura rei formaliter diſtinctum: ergo & quælibet Perſona quoad eſſe relativum exiſtit per exiſtentiam pariter diſtinctam ab exiſtentia Eſſentiæ.

Confirm. 1. Eſſe eſſentiæ D. non eſt ipſum eſſe relationum, & Perſonalitatum Divinarum: ergo & exiſtere eſſentiæ divinæ formaliter non eſt exiſtere harum relationum. A. conſtat; Eſſe enim Eſſentiæ eſt abſolutum, & ad ſe, eſſe relationum eſt ad alteram Perſonam.

Confirm. 2. Relationes tres, quæ ſunt Perſonarum conſtitutivæ, ſunt tres ſpeciales entitates actuales: ergo & tres ſpeciales habent exiſtentias. C. p. exiſtentia eſt prædicatum tranſcendens omne ens actuale, imo eſt ipſa actualitas entis, vel formalitatis: ergo videtur impoſſibile, aliquam entitatem, aut realitatem actualem, ab altera adæquate diſtinctam, multiplicari, quin etiam ſimul multiplicetur exiſtentia: ergo, ſi illæ tres relationes ſunt tres actuales entitates, tunc & tres debent habere exiſtentias.

Confirm. 3. Quando multiplicatur aliqua entitas, debent etiam omnia constitutiva multiplicari: atqui actualitas, seu existentia entis est etiam principium constitutivum entitatis actualis: ergo, quando multiplicatur entitas aliqua actualis, debet etiam multiplicari ejus actualitas, & existentia. Adeoque, cum in Deo dentur tres entitates actuales relativae, inter se realiter distinctae, tot etiam debent dari, & multiplicari actualitates, & existentiae relativae, inter se realiter distinctae.

P. 2. Omnes formalitates Scotisticae propriam, & suae quidditati convenientem habent existentiam, ut P. Smising, & Herincx tenent, & in Philosophia docui: ergo, cum & relationes hae sint formalitates peculiares Scotisticae, peculiares habebunt existentias.

P. 3. Filius Divinus, & Spiritus S. vere producuntur: ergo & ipsorum existentia producitur. C. patet; quia actio productiva necessario terminatur ad ens existens, & necessario dat enti producto existentiam. *Subsum.* atqui existentia illa Filii, quae producitur, non est existentia essentialis, & absoluta; haec enim sicuti essentia non potest produci: ergo est existentia relativa. Idem dic de existentia Spiritus Sancti.

P. 4. Tres Personae Divinae sunt tres realiter distinctae res: ergo & tres realiter distinctas habent existentias; nam quaelibet res sibi propriam vendicat existentiam. A. p. S. Anselmus L. de Incarn. c. 3. ait: *Nihil prohibet dicere, duas Personas, Patrem & Filium, esse duas res.*

Objic. 1. SS. PP. videntur, tantum unum esse, & unam existentiam in Deo concedere: ergo tantum una absoluta existentia Essentiae Divinae, non autem tres existentiae relativae dantur in Deo. 464
℞. SS. PP. loqui ibi de existentia absoluta, & essentiali, quae tantum una est in Deo, non autem loqui de existentiis relativis, & personalibus.

Objic. 2. Si tres dantur existentiae in Deo, tunc etiam tres aeternitates in eo erunt: atqui tres aeternitates in Deo non sunt: ergo. m. constat; si enim tres aeternitates, tunc etiam tres aeterni darentur in Deo: quod est contra Symbolum Athanasii: *Non tres aeterni, sed unus aeternus.* M. vero prob. aeternitas nil aliud est, quam duratio: duratio est existentia rei: ergo si tres existentiae dantur in Deo, tunc etiam tres aeternitates.

℞. D. M. Etiam erunt in Deo tres æternitates relativæ Tr. M. tres æternitates absolutæ, & essentiales n. M. D. Athanasius in Symbolo locutus fuit de æternitate absoluta, & essentiali. ℞. 2. N. M. ad Prob. d. M. æternitas est duratio absoluta, & essentialis c. M. duratio relativa, & personalis n. M. Etsi concedantur tres durationes relativæ, possunt tamen negari tres æternitates; æternitas enim est duratio infinite perfecta, seu est perfectio simpliciter simplex: atqui durationes relativæ, uti & ipsæ Personalitates, non important formaliter aliquam perfectionem, vel infinitatem, ut dicetur: ergo.

Objic. 3. D. Damascenus dicit L. 1. de fide c. 11. Tres Personas differre penes diversum existendi modum: ergo tres Personæ dicunt tantum tres diversos modos existendi, non autem tres diversas existentias. C. p. diversi modi existendi non constituunt diversas existentias, sed modificant tantum eandem existentiam: ergo.

℞. N. c. Ad prob. ejus D. a. Diversi modi non constituunt diversas existentias, quando illi modi sunt unica, simplex, & indistincta entitas c. a. quando sunt plures entitates, sive realiter, sive ex natura rei formaliter distinctæ, ut fit in proposito n. a. Personalitates enim inter se realiter, & ab Essentia Divina ex natura rei formaliter distinguuntur, & peculiares, ac distinctas habent entitates actuales; alias enim distinctionem actualem, tam realem, quam formalem, fundare non possent: ergo & distinctas debent habere actualitates, & existentias. *Ratio rationis*, quia juxta Scotum existentia identificatur entitati: ergo ubi multiplicatur entitas, & existentia multiplicari debet.

Objic. 4. Si sunt tres existentiæ relativæ, tunc quatuor existentiæ dantur in Deo; quia præter illas tres etiam absoluta est in Deo: ergo. ℞. D. a. Dantur quatuor existentiæ in Deo, nisi illæ tres existentiæ relativæ realiter identificarentur uni existentiæ absolutæ, & sic per identitatem essent una existentia essentialis, & absoluta c. a. secus n. a. Sicut tres Personæ D. sunt unus Deus, & una Essentia D., ita & tres existentiæ relativæ sunt per identitatem una existentia absoluta. *Ratio rationis:* Ad numerum non sufficit formalis, sed requiritur distinctio realis. Item juxta Concilium Lateranense contra Joachim Abbatem, tres Personæ cum Essentia D. non sunt quatuor res, sed illæ tres res, seu tres Personæ, sunt una summa res, seu una Essentia, scilicet per identitatem realem, licet ex natura rei formaliter distinguantur.

§. II.

§. II.

An etiam tres Subſiſtentiæ relativæ ſint in Deo?

Nota 1. Exiſtentiam, ut dictum eſt, eſſe actualitatem entis, 465
ſubſiſtentiam vero eſſe quaſi modum exiſtentiæ, cujus beneficio exiſtit aliquid per ſe. Hic autem modus ſubſiſtentiæ convenit ſolis ſubſtantiis, quæ dicuntur entia per ſe ſubſiſtentia.

Nota 2. ex Scoto quodlib. 4. art. 2. in fine. & quodlib. 5. art. 3. *ad tertium.* ſubſiſtens dupliciter accipi:

Primo pro exiſtente *per ſe complete.* Taliter dicitur ſubſtantia quævis omnimode completa, conſtansque ſuis prædicatis eſſentialibus, ac proprietatibus, ſubſiſtere. Et hæc ſubſiſtentia habetur prius natura, quam ſubſtantia completa ſit ſuppoſitata per propriam, vel alienam ſuppoſitalitatem. Ex hoc

Habes 1mo. Per ſubſiſtentiam in hoc ſenſu acceptam, non intelligi Perſonalitatem, vel Hypoſtaſin: imo ſubſiſtentiam hanc pro ſigno naturæ præſupponi ſuppoſitalitati, & hypoſtaſi: ſicut eidem præſupponitur natura ſingularis complete exiſtens quoad omnes partes eſſentiales conſtitutivas, & quoad totum ſuum eſſe reale, ac proprietates, & perfectiones ſibi realiter identificatas.

Habes 2do. Etiam Naturam humanam Chriſti pro priori ſigno naturæ, antequam fuit aſſumpta a Verbo Divino, fuiſſe ſubſiſtentem humana ſubſiſtentia, quia habuit pro priori completam ſuam exiſtentiam, & eſſe. Ita ſatis bene ſentit Fraſſen contra alios.

Secundo accipitur ſubſiſtens pro ſubſtantia exiſtente non ſolum complete, ſed & incommunicabiliter: Et hæc ſubſiſtentia convenit ſubſtantiæ non modo completæ in ratione naturæ ſingularis, ſed & in ratione ſuppoſiti, per quod redditur incommunicabilis. Ex quo

Habes: Duplicem eſſe ſubſiſtentiam, communicabilem unam, nempe illam, quæ primo loco eſt explicata: & incommunicabilem alteram, quæ eſt ſuppoſitalitas, vel perſonalitas. Id, quod docet Ruſticus L. de Incarn. contra Acephalos dicens; *clariſſime igitur ſubſiſtentiæ nomen nonnunquam Perſonam, interdum vero naturam* (nempe completam) *ſignificat.*

Aſſero. Dantur in Deo tres Subſiſtentiæ relativæ, & Perſonales. 466
Ita Scotus: qui quodlib. 4. art. 2. in fine expreſſe docet, eſſe in Deo tres ſubſiſtentias incommunicabiles, & unam communicabilem.

Sequuntur SSæ communiter contra Durandum, qui putat, Tres Perfonas Divinas totam rationem fubfiftendi defumere a fubfiftentia abfoluta Effentiæ Divinæ, communi omnibus tribus Perfonis: incommunicabilitatem vero habere a relationibus conftitutivis. Adeoque unam fubfiftentiam abfolutam admittit, tres relativas autem ut fuperfluas rejicit. Contra hunc

P. Conclufio 1mo. Concilia, & PP. frequentiffime meminerunt trium Subfiftentiarum in Divinis: atqui SS. PP. fic loquentes non poffunt intelligi de tribus abfolutis fubfiftentiis; quia fubfiftentia abfoluta eft tantum unica juxta AArios: ergo debent intelligi de tribus fubfiftentiis relativis. M. p. 1mo. Concilium Conftantinopolitanum I. (alias V. Synodus Generalis) ait: *Effentiam Divinam in tribus fubfiftentiis effe adorandam.* 2do. VI. Synodus generalis, feu III. Concilium Conftantinopolitanum ait: *Trinitas numerabilis perfonalibus facta eft fubfiftentiis.* 3tio. Martinus V. in Concilio Lateranenfi Confultatione 5. can. 1. ait: *Deum effe unum in tribus fubfiftentiis.* Accedunt alia Concilia, & SS. PP. ut SS. Ambrofius, Damafcenus, Cyrillus Alexandrinus, Athanafius, & alii paffim apud Authores, præfertim apud Smifing videndi: ergo noftra fententia modo loquendi Conciliorum, & Patrum eft conformior, confequenter præferenda.

467 Refpondent aliqui, Subfiftentiam accipi a Patribus pro Perfonalitate. Contra eft: Ex hoc ipfo fequitur, Perfonalitates Divinas effe veras fubfiftentias. Hinc dixit Theodoretus in Additionibus ad Breviarium Liberati T. 2. Concil. *Subfiftentia* (nempe incommunicabilis) *& Perfona in nullo differunt nifi in nomine; fubfiftentia enim Perfona eft;* ergo habemus intentum.

Refpondent AArii 2do. Quod PP. fumant fubfiftentiam in concreto pro Perfona fubfiftente, non autem pro forma fubfiftentiæ in abftracto, quafi dicerent: effe plures Perfonas fubfiftentes per unam, eandemque fubfiftentiam abfolutam.

Contra eft 1. PP. & Concilia loquuntur de fubfiftentiis tanquam formis, quibus Divinæ Perfonæ conftituuntur, diftinguuntur, & numerantur: ergo loquuntur de fubfiftentiis in abftracto; forma enim alicujus rei eft abftractum, ut ex Logica patet. Adeoque SS. PP. volunt, quod ipfæ fubfiftentiæ Perfonales in abftracto multiplicentur.

Contra eft 2. Subfiftentiæ in concreto multiplicantur juxta AArios: ergo & ratio fubfiftendi in abftracto debet multiplicari. C. p.

Subſiſtentia, vel *Perſona ſubſiſtens* juxta AArios eſſet concretum ſubſtantiale: atqui concretum ſubſtantiale non multiplicatur, niſi etiam forma in abſtracto multiplicetur, ut ex Logica iterum liquet: ergo ſi ſubſiſtentiæ perſonales, vel potius Perſonæ ſubſiſtentes in concreto multiplicantur, tunc & ipſæ formæ, & ratio ſubſiſtendi in abſtracto multiplicari debent.

P. 2. ratione ex D. Thoma deſumpta p. 1. q. 40. Art. 3. Perſonalitates Divinæ dum conſtituunt Perſonas, ſimul formaliter conſtituunt eas ut ſubſiſtentes, ſeu in ratione ſubſiſtentiarum: ergo Perſonalitates Divinæ formaliter ſunt ſubſiſtentiæ. C. eſt certa. A. p. Si Perſonalitates Divinæ non conſtituerent formaliter Perſonas ut ſubſiſtentes, tunc ſupervenirent Perſonis Divinis ut jam prius exiſtentibus, & ſubſiſtentibus per ſubſiſtentiam abſolutam, ſicut ſupervenit Perſonis Patris, & Filii ſpiratio activa: ſequela non poteſt admitti, ut ex dictis præc. Art. eſt clarum: ergo. 468

P. 3. Subſiſtentia Perſonalis in Divinis eſt illa, quæ dat formaliter eſſe, & exiſtere relativum, perſonale, ac incommunicabile: ſicut & ſubſiſtentia abſoluta, & communicabilis eſt illa, quæ formaliter dat eſſe, & exiſtere abſolutum, ac communicabile; atqui relationes conſtituentes Perſonas dant formaliter eſſe relativum, perſonale, & incommunicabile non autem ſubſiſtentia abſoluta; hæc enim eſt communicabilis, abſoluta, & formaliter diſtincta ab eſſe perſonali: ergo relationes conſtituentes Perſonas ſunt ſubſiſtentiæ perſonales, Perſonarum qua talium, & in eſſe perſonali, & relativo conſideratarum &c.

P. 4. Humanitas Chriſti aſſumpta eſt tantum terminata per ſubſiſtentiam Verbi, non vero per ſubſiſtentiam Patris, aut Spiritus Sancti: ergo ſubſiſtentia Verbi diſtinguitur a ſubſiſtentia Patris, & Spiritus Sancti, adeoque Perſonæ Divinæ non ſubſiſtunt unica ſubſiſtentia abſoluta.

Objic. 1. Perſonalitas eſt negatio: atqui negatio nequit eſſe ſubſiſtentia: ergo Perſonalitas nequit eſſe ſubſiſtentia, ſed tantum eſt modus ſubſiſtentiæ. ℞. D. M. Perſonalitas creata c. M. Perſonalitas increata, & divina n. M. Licet Perſonalitas Divina explicetur per negationem communicabilitatis, nihilominus quia hæc negatio inſeparabiliter Deo competit, debet ea in aliquo poſitivo conſiſtere. At perſonalitas creata eſt ſeparabilis a natura creata: inde non neceſſario conſiſtit in poſitivo, prout in Philoſophia jam eſt dictum. 469

Objic. 2.

Objic. 2. Subſiſtentia dicit perfectionem: atqui relationes Divinæ non dicunt perfectionem: ergo relationes Divinæ non poſſunt eſſe ſubſiſtentiæ. M. per ſe conſtat. m. patebit ex dicendis. ℞. D. M. Subſiſtentia abſoluta, & communicabilis dicit perfectionem c. M. incommunicabilis, & relativa n. M. Relativa ſiquidem ſubſiſtentia eſt merus terminus communicabilitatis Naturæ Divinæ, quod ex ſe non dicit perfectionem, nec imperfectionem.

Objic. 3. Juxta D. Auguſtinum L. 7. de Trinit. c. 4. *omnis res ſubſiſtit ad ſe:* ergo ſubſiſtentia nunquam eſt ad aliud, ſeu nunquam eſt relativa. ℞. D. a. Omnis res &c. id eſt, omnis ſubſiſtentia eſt abſoluta n. a. id eſt, ſubſiſtentia non eſt ita ad alterum, ut ſit alterius ſubſiſtentia c. a. Quamvis Paternitas ſit relativa, & reſpiciat Filium, non tamen eſt ſubſiſtentia, vel Perſonalitas Filii, ſed Filius gaudet propria ſubſiſtentia. Et in tantum ſubſiſtentia Patris eſt *ad ſe*, & ad Patrem, non autem ad aliam Perſonam, in quantum ſolum Patrem, non autem aliam Perſonam facit ſubſiſtere. Idem eſt de reliquis ſubſiſtentiis.

Dum tandem Scotus, & D. Thomas dicunt, eſſentiam a perſonalitatibus non accipere ſubſiſtentiam, intelligendi ſunt de ſubſiſtentia abſoluta, quam eſſentia habet a ſe, non autem de ſubſiſtentiis relativis, & perſonalibus, quæ proveniunt a perſonalitatibus, & relationibus.

§. III.

An in Deo quoque detur una exiſtentia, & Subſiſtentia abſoluta?

Quæſtio eſt: An Eſſentia Divina, ut præſuppoſita, & præintellecta ante relationes, & Perſonalitates Divinas habeat propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam, diſtinctam ex natura rei formaliter a tribus exiſtentiis, & ſubſiſtentiis relativis, de quibus §§is prioribus eſt actum.

470 Aſſero: Natura Divina, prout præſcindit a Perſonalitatibus, habet propriam exiſtentiam abſolutam, & ſubſiſtentiam pariter abſolutam communicabilem, per ſubſiſtentiam intelligendo talem rationem formalem, vi cujus Natura D. in ſe, & per ſe complete, ac perfecte exiſtit

existit in ratione naturæ singularis, & infinite perfectæ. Ita quoad 2dam partem Scotus cit. supra Num. 466.

Quod Essentia D. in se spectata, & ut præscindens a relationibus, & personalitatibus divinis habeat propriam existentiam, per se patet. *Tum*, quia essentia, ut sic spectata, est ens actualissimum: ergo debet etiam actualitatem, seu existentiam habere. *Tum*, quia existentia est prædicatum primarium essentiale Dei: ergo essentia Dei primario, & essentialiter sibi vendicat existentiam. Quare solummodo

P. 2da pars Conclusionis de Subsistentia. 1mo. Authoritate D. Augustini L. 7. de Trinit. c. 5. dicentis: *Hoc est Deo esse, quod subsistere, & si una essentia Trinitas, una etiam subsistentia.* 2do. D. Anselmus in Monologio c. 43. ait, Personas Divinas *per suam Sapientiam Essentiam, & vitam subsistere.* 3tio. Agatho Papa relatus Synodo VI. Art. 4. dicit: *Confitemur non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam subsistentiam:* ergo præter tres relativas, & personales subsistentias, quibus personæ in esse Personali subsistunt, datur etiam in Deo una subsistentia absoluta, per quam Deus secundum esse suum absolutum, seu secundum essentiam suam subsistit.

P. 2. ratione. Natura D. ut præintellecta personalitatibus, & ut ab his præscindens, existit complete, & perfecte secundum omnes suas perfectiones simpliciter simplices: ergo natura D. ut sic præintellecta, habet subsistentiam absolutam, & communicabilem. Cons. patet ex Prænotandis supra positis. A. vero p. Natura D. nullam perfectionem accipit a Personis, imo omnis perfectio, quæ est in Personis Divinis, ab Essentia D. profluit: ergo.

P. 3. Subsistentia absoluta est perfectio simpliciter simplex: ergo essentia D., tanquam infinitum essendi pelagus, subsistentiam absolutam exigit de se, & ut præintellecta Personalitatibus, utpote a quibus nullam perfectionem simpliciter simplicem accipere potest, prout patebit ex dicendis.

Objic. 1. Si Natura D. habet propriam subsistentiam, tunc est 471
Persona: Persona non est: ergo non habet propriam subsistentiam. M. constat; Persona enim nil aliud est, quam subsistentia naturæ intellectualis. ℟. D. M. Est Persona, si habet propriam subsistentiam incommunicabilem c. M. si habet subsistentiam communicabilem n. M. Ad rationem Personæ requiritur, ut in ratione suppositi, & Personæ talis sit incommunicabilis alteri supposito: atqui similis incommuni-

cabilitas non competit naturæ Divinæ, licet subsistenti; ergo Natura D. licet subsistens, non est Persona.

Objic. 2. Subsistentia est ultimus terminus naturæ: atqui Natura D. præsupposita Personalitatibus Divinis, non habet ultimum terminum, cum sit ulterius communicabilis personalitatibus, & per has terminabilis: ergo. ℞. D. M. Subsistentia incommunicabilis c. M. communicabilis n. M.

Objic. 3. Subsistere, est ita per se existere, ut subsistenti repugnet esse in alio: atqui Naturæ D. non repugnat esse in alio; existit enim in tribus Personis: ergo Natura D. non subsistit. ℞. D. M. Est ita per se existere, ut subsistenti repugnet esse in alio tanquam perficiente, vel complente existentiam c. M. in alio tantum tanquam terminante existentiam, & esse jam perfectum, & completum n. M. Quia Subsistentia dicit perfectam, & completam existentiam alicujus rei, hinc repugnat rei subsistenti esse in alio tanquam perficiente, vel complente: repugnat quoque ei ab aliquo alio, cui inest, ulteriorem perfectionem recipere, aut ulterius complementum quoad esse suum: Non autem repugnat substantiæ communicabiliter subsistenti esse in alio, quod tantum terminat ejus communicabilitatem. Sic Natura D., ut præintellecta Personalitatibus, jam est perfecta omnimode quoad esse suum absolutum, nec ullam perfectionem a Personalitatibus accipit, sed tantum ab ipsis terminatur communicabilitas Naturæ Divinæ.

Objic. 4. Sufficiunt tres subsistentiæ relativæ in Deo: ergo superfluit subsistentia absoluta. ℞. D. a. Sufficiunt, ut reddant Naturam D. incommunicabilem, & faciant tres Personas D. relative subsistentes c. a. ut reddant Naturam D. quoad esse absolutum subsistentem n. a. &c.

Objic. 5. In creatis non datur alia subsistentia, quam Personalitas: ergo & in Divinis. ℞. N. a. Nam & in creatis antecedenter ad personalitatem substantia complete, & per se existit in ratione naturæ singularis: ergo & substantia creata in ratione naturæ singularis per se existentis, & completæ jam habet subsistentiam a personalitate distinctam. Vide Num. 465.

Dices 1. Subsistentia dicit omnimodam independentiam ab aliquo extrinseco: atqui substantia creata, præcise spectata in ratione naturæ singularis, non est omnino independens ab aliquo extrinseco;

dependet enim a personalitate ut sustentante: ergo substantia creata, praecise spectata in ratione naturae singularis, non est subsistens.

℟. D. M. Subsistentia dicit omnimodam independentiam ab aliquo extrinseco sub illa ratione, sub qua est subsistentia c. M. sub alia ratione n. M. Sicut substantia creata in ratione completae naturae singularis antecedenter ad personalitatem subsistit, sic & sub hac ratione non dependet a personalitate; personalitas enim non complet substantiam in ratione naturae singularis, sed in ratione personae tantum.

℟. 2. iterum D. M. dicit omnimodam independentiam ab aliquo extrinseco, complente, vel perficiente intrinsece, ac constitutive suam existentiam c. M. terminante tantum communicabilitatem sui esse n. M. Personalitas nec perficit, nec sustentat substantiam creatam, sed terminat tantum ejus communicabilitatem, in quantum formaliter reddit eam incommunicatam alteri supposito extraneo; suppositalitas enim creata est mera negatio, quae nequit aliquid positive sustentare, vel perficere.

Dices 2. Ergo etiam natura humana Christi habet propriam subsistentiam: atqui hoc non potest admitti; Verbum enim naturam humanam tantum, non autem ejus subsistentiam assumpsit: ergo. ℟. D. illat. habet propriam subsistentiam personalem, seu propriam personalitatem n. ill. habet propriam subsistentiam, seu propriam existentiam completam in ratione naturae singularis c. ill. Verbum quidem non assumpsit Personalitatem, & subsistentiam personalem naturae humanae; assumpsit tamen naturam humanam in esse suo singulari complete existentem, consequenter sub tali ratione subsistentem.

Quaeres 1. An Subsistentia absoluta sit aliquis modus ex natura rei formaliter distinctus ab essentia D. & ejus existentia? ℟. Subsistentia absoluta non dicit novam perfectionem aliquam a parte rei distinctam, & superadditam essentiae Divinae, ac reliquis perfectionibus absolutis: sed est ipsa essentia D. una cum omnibus perfectionibus absolutis. Hujus ratio est 1mo quia, etsi subsistentia sub ratione modi alicujus intrinseci explicetur, tamen modi intrinseci a re, vel formalitate, quam modificant, non distinguuntur ex natura rei formaliter, prout in Philosophia docui. 2. Subsistentia absoluta nil aliud est, quam completa existentia Essentiae Divinae secundum esse suum essentiale, & omnes suas perfectiones absolutas: atqui dum intelligitur, & datur natura D. existens, & ejus perfectiones absolutae, jam 472

 intelli-

intelligitur plena, & completa existentia essentiæ Divinæ quoad esse suum essentiale, & quoad omnes perfectiones absolutas: ergo subsistentia absoluta nihil aliud est, quam Natura D. existens, & perfectiones absolutæ pariter inexistentes eidem Naturæ Divinæ. Ex quo

473 Colligis: Tres subsistentias relativas in Deo non esse ex natura rei formaliter distinctas ab ipsis relationibus constitutivis Personarum. Ratio est eadem, quæ supra. Neque tres existentiæ relativæ a parte rei distinguuntur ab illis relationibus: 1mo quia existentia a re existente nunquam a parte rei distinguitur, ut in Philosophia dixi, & superius in tractatu de Deo uno. 2do. Si existentia sit distincta a Persona Divina, tunc quæro: an Persona, ut præcisa, & distincta a sua existentia relativa, sit aliquid a parte rei, vel, an nihil sit? non secundum; si enim nihil esset Personalitas, quomodo posset a parte rei esse fundamentum, & radix, e qua flueret existentia? Item, quomodo illud, quod nihil est, potest alicui realitati positivæ, v. g. existentiæ positivæ, item reliquis prædicatis Divinis actu existentibus identificari? Si autem *est aliquid* actu Persona, & Personalitas ut sic præcisa, tunc utique a parte rei actu est, & existit; nam existere, & aliquid actu esse a parte rei, sunt synonima. Si autem sic præcisa, & in se considerata Personalitas jam actu existit, ad quid superadditur distincta existentia? certe frustra, & sine ulla necessitate, vel ratione.

474 Quæres 2. An Personæ Divinæ faciant verum realem numerum, adeoque recte dicantur Tres Personæ Divinæ?

℞. affirmative. P. VI. Synodus Generalis ait: *Beatam Trinitatem esse numerabilem tribus subsistentiis.* Concilium Toletanum XI. dicit in Confessione Fidei: *In relatione Personarum numerus cernitur: in Divinitatis vero substantia quid numeratum sit, non comprehenditur.* Et utique fides docet, tres esse Personas Divinas; ergo numerus ternarius in SS. Trinitate admitti debet.

Dum autem Patres a Divinis excludere videntur omnem numerum, se ipsos explicant de numero quantitativo, qui in rebus corporalibus datur, ac ex divisione continui exurgit: non tamen negant numerum transcendentalem, qui omnibus rebus, etiam Spiritibus, consequenter & ipsi Deo competit.

Dices: Una Personalitas Patris jam terminat adæquate communicabilitatem Naturæ D. ergo ea non potest amplius terminari ab aliis

liis perſonalitatibus, cenſequenter tantum una Perſona eſt in Deo. ℟. D. a. Terminat communicabilitatem Naturæ D. ſub omni ratione, ſub qua eſt communicabilis Perſonis, & iis inexiſtere poteſt n. a. ſub una tantum, non autem ſub omni ratione c. a. Natura Divina ratione ſuæ infinitæ fœcunditatis communicabilis eſt tribus Perſonis, uni improductæ, & duabus productis: adeoque una Perſonalitas Patris non poteſt communicabilitatem hanc omnem ſiſtere, & terminare.

Quæres 3. An recte in Deo dicantur eſſe tria ſuppoſita, tres 475
hypoſtaſes, tres ſubſtantiæ, tres eſſentiæ?

℟. 1. Recte tres Perſonæ vocantur tria ſuppoſita. Ratio eſt: quia ſuppoſitum ſignificat ſubſiſtentiam incommunicabilem: atqui in Deo dantur tres ſubſiſtentiæ incommunicabiles, & tres Perſonæ incommunicabiliter ſubſiſtentes: ergo.

℟. 2. Etiam recte dicuntur in Deo tres Hypoſtaſes; quamvis enim olim de nomine hypoſtaſis magna fuerit controverſia, & SS. Auguſtinus quoque, ac Hieronymus non fuerint auſi dicere, tres eſſe hypoſtaſes in Deo, eo quod putarint, per hypoſtaſin ſignificari eſſentiam, & ſubſiſtentiam abſolutam, & communicabilem: defacto tamen communiter per hypoſtaſin non eſſentia, ſed Perſona ab omnibus DD. intelligitur: adeoque recte dicitur, tres eſſe hypoſtaſes, ſeu Perſonas in Deo.

℟. 3. Poteſt etiam dici, tres *ſubſtantias relativas* eſſe in Deo. Ratio eſt: per *ſubſtantiam* interdum etiam intelligitur Perſona: ergo cum tres Perſonæ ſint in Deo, etiam tres ſubſtantiæ poſſunt dici eſſe in Deo. A. conſtat ex D. Thoma q. 29. Art. 2. ad 2. & q. 30. Art. 1. ad 1. Et ex Joanne Theologo in Concilio Florentino ſeſſ. 19. qui pariter aſſerit, nomen ſubſtantiæ quandoque accipi pro Perſona. 2. Subſtantia eſt ens exiſtens per ſe, & independenter a ſubjecto inhæſionis: atqui quælibet Perſona Divina eſt ens exiſtens per ſe, & independenter a ſubjecto inhæſionis: ergo quælibet Perſona D. eſt ſubſtantia, conſequenter tres ſunt Subſtantiæ. Quia tamen communiter juxta noſtram loquendi conſuetudinem per *ſubſtantiam* ſimpliciter, & ſine aliquo addito poſitam intelligitur eſſentia; hinc non debemus dicere abſolute: *Tres ſubſtantiæ ſunt in Deo*, ſed cum addito: *Tres ſubſtantiæ relativæ*; per tale enim additum omnis ſuſpicio ſenſus ſiniſtri excluditur. Ex his

Colliges 1. Non posse dici, tres essentias, vel naturas esse in Deo. Ratio est: quia nomen essentiæ sumitur pro primo radicali esse, quale est tantum unum in Deo, nempe Deitas.

Colliges 2. Posse dici: Dantur in Deo tres entitates, unitates, veritates, & bonitates relativæ, loquendo de veritate, & bonitate entitativa, & transcendentali. Ratio est: quia ens, seu entitas, aliquid, res, unum, verum, & bonum, sunt termini transcendentales, & convertibiles cum quavis re: cum ergo tres res relativæ, seu tres Personæ sint in uno Deo, etiam tres entitates relativæ sunt in Deo. Dixi: *relativæ*, & *entitativæ*; nam bonitas, & veritas absoluta est tantum unica in Deo, sicut & unica in eo est essentia absoluta.

Articulus III.

Quomodo Relationes Originis distinguantur ab Essentia Divina, & a reliquis prædicatis absolutis?

§. I.

Prænotanda.

476 Nota 1. Illa esse realiter distincta, quæ habent vel actualem, vel potentialem, vel proportionalem separationem. Hos terminos suppono notos ex Logica. Talia extrema, inter quæ una ex his separationibus intercedit, vocantur a SS. in rigore *Res*: & sunt vel plures naturæ individuæ, habentes completam, & integram seriem graduum Metaphysicorum: vel sunt plura supposita, & personalitates; diversæ enim hæcceitates, & personalitates fundant præfatas separabilitates, consequenter & ipsam distinctionem realem stricte talem.

Nota 2. Distinctionem ex natura rei formalem esse illam, quæ intercedit inter plura extrema realiter mutuo identificata, quorum unum a parte rei habet conceptibilitatem adæquatam, & quidditatem actu diversam a quidditate, & conceptibilitate alterius. Quare distinctio Scotistica versatur inter extrema a parte rei actu plura, quorum neutrum in conceptu objectivo adæquato alterius involvitur. Et in hoc differt nostra distinctio a Virtuali Thomistica, quæ non habet

bet extrema actualiter plura. Deſcribitur autem diſtinctio virtualis, quod ſit capacitas unius, & indiviſibilis entis ad verificanda prædicata contradictoria intrinſeca. Videatur de his Diſtinctionibus Logica.

Nota 3. Contradictoria, quæ cadunt ſupra eandem a parte rei omnino indiſtinctam rem, non poſſe eſſe ſimul vera; ſiquidem impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe, v. g. Petrum ſimul eſſe hominem, & non eſſe hominem.

Nota 4. Ex Philoſophia, tunc dari veram contradictionem, quando affirmatur, & negatur idem de eodem ſecundum idem, ſeu ſub eadem ratione, circumſtantiis &c. Hinc, ſi intra eandem rem ſint plures rationes formales, vel realitates vere, & actualiter a parte rei diſtinctæ, ita, ut ſecundum unam realitatem ſit vera negatio, & ſecundum aliam verificetur affirmatio, tunc contradictoria, quæ ſine diſtinctione actuali fuiſſent, & manſiſſent vere talia, non amplius manent contradictoria, ſed tolluntur, verificantur, ſolvuntur, ſeu extinguuntur per admiſſam diſtinctionem actualem; quia tali modo contradictio non cadit ſupra idem ſecundum idem, ſed cadit ſupra actualiter diſtinctas formalitates, vel cadit ſupra eandem rem ſecundum diverſas formalitates: id, quod bene obſervandum.

Nota 5. Certum eſſe, quod Perſonalitates, & relationes divinæ ab eſſentia, & prædicatis abſolutis Divinis non diſtinguantur realiter; id enim clare eſt definitum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in Concilio Rhemenſi contra Gilbertum Porretanum. Et ratio eſt: quia nullum ſignum realis diſtinctionis inter Perſonalitates, & eſſentiam reperitur, ut conſideranti liquet: ergo neque eſſentia a relationibus Divinis ex natura rei realiter diſtinguitur.

Quæſtio igitur ſolum remanet, an Diſtinctio ex natura rei formalis, vel virtualis Thomiſtica hic locum habeat? ad quam reſolvendam ſit

§. II.

Concluſio, & ejus Probatio.

Aſſero: Eſſentia divina, uti & attributa ejus abſoluta v. g. intel- 477
lectus, voluntas, intellectio, & volitio divina a Perſonalitatibus, & relatio-

lationibus originis ex natura rei formaliter diſtinguuntur. Ita Scotus 1. d. 2. q. 7. n. 41. & diſt. 8. q. 4. n. 7.

P. Divina eſſentia in Patre independenter ab omni opere intellectus eſt entitas ex natura rei communicabilis, & defacto communicata, & realiter identificata Filio: Paternitas non eſt entitas a parte rei communicabilis, nec communicatur, aut identificatur Filio, ut expreſſe definit Florentinum in Literis Unionis dicens: *Pater omnia communicavit Filio, præter eſſe Patrem.*

2. Eſſentia divina non generat Filium, Pater generat Filium: item Filiatio generatur, eſſentia D. non generatur, ut iterum definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III.

3. Perſonalitates, & Relationes D. formaliter conſtituunt, & diſtinguunt Perſonas: Eſſentia D. non conſtituit formaliter, nec diſtinguit Perſonas. Item: Eſſentia D. eſt una: Perſonalitas non eſt una, ſed triplex, prout iterum ex Concilio Lateranenſi relato cap. *Firmiter* habetur: *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, & ſecundum Perſonales proprietates diſcreta,* ſeu diſtincta. Conſentit Toletanum II. *In relatione Perſonarum numerus cernitur, in Divinitatis vero ſubſtantia, quid numeratum ſit, non comprehenditur.* ergo a parte rei, & ſine opere cujuscunque intellectus competunt eſſentiæ D. & relationibus vera prædicata contradictoria: ergo Eſſentia D. & relationes debent a parte rei actu diſtingui per diſtinctionem ex natura rei formalem, cum per ſtricte realem diſtingui nequeant. Ultima conſequentia eſt liquida ex prænotandis; quia impoſſibile eſt, prædicata contradictoria competere eidem ſecundum idem: ſed ſi a parte rei Eſſentia D. & relationes eſſent una indiſtincta res, tunc eidem ſecundum idem competerent prædicata contradictoria: ergo.

Confirm. Pater a Filio realiter diſtinguitur a parte rei: ergo debet a parte rei aliquid habere, in quo realiter a Filio diſtinguatur: atqui illud, per quod Pater a Filio realiter diſtinguitur, non poteſt eſſe Eſſentia D.; hæc enim identificatur Filio: ergo debet in Patre aliquid diverſum ab eſſentia eſſe, nempe Paternitas, per quam realiter diſtinguitur a Filio. Profecto ſi Paternitas eſt formaliter ipſiſſima eſſentia, ita, ut nulla a parte rei ſit diſtinctio inter eſſentiam, & Paternitatem, tunc quemadmodum eſſentia identificatur realiter Filio, ita & Paternitas Filio realiter identificabitur: conſequenter nulla realis diſtinctio inter Patrem, & Filium erit, quod eſt contra fidem: ergo. Item: non poteſt identificari Filio Eſſentia D. quin & ipſiſſimum eſſe formale eſ-

sentiæ eidem Filio identificetur: sed si nulla distinctio a parte rei est inter essentiam, & Paternitatem, tunc Paternitas est ipsissimum esse formale essentiæ: ergo si nulla distinctio a parte rei est inter essentiam, & Paternitatem, etiam Paternitas identificatur Filio.

Respondent AArii aliqui 1. In divinis prædicata contradicto- 478
ria eidem omnino rei posse absque omni absurdo competere ob infinitatem.

Contra est: Si eidem omnino rei in divinis possunt competere prædicata contradictoria, tunc absque absurdo possum de Deo affirmare, *simul eum esse Deum, & non esse Deum: eum esse sapientem, & non esse sapientem* &c. sed hæc sunt absurdissima: ergo.

Contra est 2. Sicut repugnat, aliquid simul esse ens finitum, & non esse ens finitum, ita & implicat, aliquid esse simul ens infinitum, & non esse ens infinitum: ergo sicut de eadem omnino indistincta re finita non possunt verificari contradictoria, ita neque de eadem omnino indistincta re infinita, & divina.

Contra est 3. Contradictio non pugnat formaliter cum ente finito, vel infinito, sed cum ente, & non ente simpliciter, & dicit absolute esse, & non esse, seu deinde finitum, seu infinitum sit: ergo.

Respondent aliqui RR. 2. Præfata contradictoria non esse vere, 479
& a parte rei talia, eaque omnia per diversos conceptus salvari posse. Ita igitur ratiocinantur: *Essentia, & Paternitas D. sub ratione essentiæ præcise concepta, est realiter identificata Filio: Essentia, & Paternitas sub ratione Patris, vel Paternitatis concepta non est realiter identificata Filio.* Vel: *Essentia, & Paternitas est essentialiter Filius: Paternitas, & Essentia non est personaliter Filius.*

Contra est 1. Concilia citata non loquuntur de essentia & Paternitate, ut substant diversis nostris conceptibus, & imaginationibus, sed prout sunt in se: adeoque contradictoria, quæ ex Conciliis eruuntur, competunt essentiæ, & relationibus a parte rei, & non secundum nostrum concipiendi modum.

Contra est 2. Tali modo possem dicere, quod Filius a Patre tantum distinguatur per rationem, non a parte rei, v. g. dicendo: *Pater sub ratione Patris conceptus non est Filius, Pater sub ratione essentiæ conceptus est Filius,* ubi distinctio juxta AArios non caderet su-

pra Patrem & Filium a parte rei, fed tantum ut fubftant diverfis conceptibus.

Contra eft 3. Juxta hos AArios a parte rei, & feclufo opere intellectus Effentia D. eft ipfiffima Paternitas, & Paternitas eft ipfiffima indiftincta effentia: ergo a parte rei, quæ prædicantur, & dicuntur de effentia, etiam poffunt dici de Paternitate, & viciffim: ergo poffum dicere: a parte rei Effentia Dei realiter diftinguitur a Filio, quia Paternitas realiter diftinguitur a Filio. Item: a parte rei Paternitas communicatur, & identificatur Filio, quia effentia identificatur Filio. Et fic ulterius. Has autem prædicationes effe contra mentem Conciliorum, vel cœcus videt.

Hoc præterea notandum eft circa RR., quod foleant abftrufas explicationes Conciliorum afferre. Sic ajunt, hæ propofitiones: *Effentia D. communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio*, faciunt hunc fenfum: *Effentia tota communicatur Filio*, *Effentia non communicatur Filio totaliter.* Verum nego, quod hunc fenfum faciant propofitiones a Conciliis defumptæ, fed debent proferri eo modo, quo nos protulimus, nempe: *Effentia communicatur, Paternitas non communicatur.* Ratio eft: quia Florentinum non dixit: Pater omnia communicavit Filio, præter totale effentiæ, fed NB. præter *effe Patrem.* Hinc debent primum AArii probare, quod Concilia in eo fenfu Effentiam, & Perfonalitates acceperint, in quo ipfi accipiunt, quod in æternum non evincent.

480 Refpondent TTæ. Hæc contradictoria falvari per diftinctionem virtualem, & per æquivalentiam, qua Natura D. ob fuam infinitatem æquivalet enti abfoluto, & relativo, effentiali, & perfonali.

Contra eft 1. Jam in Philofophia dictum eft, diftinctionem virtualem non effe fufficientem ad verificanda contradictoria a parte rei talia. Quare quilibet hac de re fuam confulat Philofophiam.

Contra eft 2. Vel hæc æquivalentia inter relationes, & Effentiam relinquit omnimodam identitatem a parte rei, vel von relinquit? *Si non:* habetur intentum & tunc inter eas jam dabitur aliqua non identitas, & diftinctio a parte rei, & ex natura rei. *Si relinquit:* tunc idem poteft fimul effe, & non effe. item: Natura D. a parte rei vere communicatur, & non communicatur; adeoque verum erit dicere: Natura D. non communicatur Filio; Paternitas enim non communicatur,

nicatur, quæ eſt ipſiſſima a parte rei Natura D: ergo neque Natura Divina.

Nec dicas: Naturam non communicari Filio ſecundum virtualitatem Paternitatis, bene ſecundum virtualitatem eſſentiæ. Contra eſt: Virtualitas eſſentiæ, & Paternitatis a parte rei ſunt unica prorſus indiſtincta entitas: ergo Natura a parte rei non poteſt communicari, vel non communicari ſecundum unam virtualitatem, quin & ſecundum alteram communicetur, vel non communicetur. Ex his

Colligis: Etiam Attributa abſoluta, v. g. Intellectum, & voluntatem Divinam &c. Diſtingui ex natura rei formaliter a Perſonalitatibus, & Relationibus; ſiquidem & attributa abſoluta communicantur omnibus tribus Perſonis: Relationes vero, & Perſonalitates non ſic communicantur omnibus tribus Perſonis, prout dictum eſt: adeoque & de attributis abſolutis, & relationibus vera verificantur contradictoria a parte rei talia.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Objic. 1. SS. Patres: item Joannes Theologus in Concilio Flo- 481
rentino ajunt, Perſonalitates Divinas ab eſſentia tantum differre ſecundum modum intelligendi, & ſola ratione: ergo Perſonalitates Divinæ ab eſſentia non diſtinguuntur ex natura rei.

℟. 1. SS. PP. & Joannem Theologum per diſtinctionem rationis tantum voluiſſe excludere diſtinctionem realem vulgarem, ſeu ſtricte talem, non autem diſtinctionem ex natura rei formalem; Patres enim, & Concilium Florentinum non egerunt de præſenti controverſia in Scholis agitata, ſed tantum explicarunt illa, quæ ad fidem pertinent: & aſſeruerunt, quod Eſſentia D. non diſtinguatur realiter a Perſonalitatibus, ſicut Perſonalitates inter ſe. Neque ſupponendum eſt, quod Concilium Florentinum tam leviter præjudicare voluerit diſtinctioni formali, de qua nulla ibi diſputatio fuit; eſt enim contra morem Conciliorum rem aliquam decidere, de qua non expreſſe, & ex profeſſo agitur. Imo ex illis, quæ præfata Synodus definivit de fide in Literis Unionis, ſatis efficax probatio noſtræ ſententiæ adducitur, ut ſupra num.

477. ostensum est: ergo potius Concilium censetur approbasse, quam condemnasse sententiam Scoti.

Rx. 2. Præfata omnia, quæ AArii ex Concilio Florentino adducunt contra nos, non fuisse allegata in Concilio definiendi, sed disputandi gratia, neque esse de fide.

Rx. 3. Per *rationem* posse intelligi rationes objectivas, ut sensus sit, Essentiam & Personalitates differre secundum diversas rationes objectivas.

Rx. 4. Per distinctionem rationis posse intelligi distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ connotat, & exigit extrema a parte rei actu plura, & actu distincta.

482 Objic. 2. In Deo est perfectissima, & maxima unitas juxta PP. atqui perfectissimæ unitati repugnat distinctio formalis in Deo: ergo. m. p. esset perfectior unitas, si Personalitates nequidem ex natura rei formaliter ab Essentia distinguerentur: ergo perfectissimæ unitati Divinæ repugnat distinctio formalis.

Rx. 1. Retorq. Argum. esset perfectior unitas in Deo, si neque Personæ D. realiter distinguerentur, & multiplicarentur. Rx. 2. contra TTas, esset perfectior unitas in Deo, si Essentia a Personalitatibus neque virtualiter distingueretur.

Rx. 3. N. m. Ad prob. n. a. Talis enim unitas, quæ excluderet omnem distinctionem formalem in Deo, foret impossibilis, adeoque non foret perfectior unitas: maxima autem est unitas, quatenus excludit omnem distinctionem realem, ita, ut relationes, & perfectiones attributales non sint accidentia realiter ab essentia distincta, eique superaddita, prout fit in creatis.

483 Objic. 3. Si Personalitates Divinæ distinguerentur ab essentia ex natura rei formaliter, tunc facerent compositionem cum Essentia Divina: atqui in Divinis non potest dari compositio: ergo. Rx. N. M. Nam compositio tunc solum datur, ubi unum se habet per modum potentiæ perfectibilis, & alterum per modum actus perficientis: atqui essentia D. non se habet per modum potentiæ perfectibilis a Personalitatibus, *tum:* quia antecedenter ad Personalitates essentia D. jam supponitur infinite perfecta in omni genere perfectionis. *tum,* quia juxta dicenda Art. seq. Personalitates nullam dicunt perfectionem gradualem, consequenter nullam perfectionem essentiæ D. communicare pos-

sunt. Neque Personalitates se habent per modum actuum, per consequens nec actuant essentiam D., sed tantum ejus communicabilitatem, & foecunditatem terminant.

Præterea inter illa non datur compositio, quorum unum sibi alterum perfectissime identificat: atqui essentia D. ratione infinitatis suæ sibi perfectissime identificat Personalitates: ergo inter Personalitates & Essentiam D. non datur compositio. Major, quæ est ex Scoto desumpta, liquet: quia perfectissima identitas excludit omnem imperfectionem, consequenter & compositionem; nam & hæc est imperfectio.

Cæterum observa, compositionem opponi simplicitati, & distinctionem unitati: item non omnem distinctionem importare compositionem. Sic distinctio realis Personarum Divinarum non importat compositionem in Deo: ergo neque distinctio ex natura rei formalis inter essentiam, & Personalitates, quæ est minor, quam realis.

Objic. 4. Potest aliquis in abstracto dicere: *Essentia D. est Paternitas.* & vicissim: *Paternitas est essentia:* ergo essentia, & Paternitas non distinguuntur ex natura rei formaliter. Conf. patet; nam juxta principia Scotistica, quæ ex natura rei formaliter distinguuntur, non possunt in abstracto mutuo de se prædicari. Sic nequeo dicere: *animalitas est rationalitas:* ergo. ℞. D. a. & hæc est prædicatio tantum identica, seu facit hunc solum sensum: Paternitas est realiter identificata essentiæ c. a. est prædicatio formalis, ita, ut sensus sit, formalitas essentiæ est ipsissima formalitas Paternitatis n. a. Tunc autem similis identica prædicatio fieri potest, quando unum ex extremis non abstrahit penitus a ratione, propter quam exigit necessario identitatem realem cum altero. Sic Essentia D. in abstracto sumpta non præscindit, sed potius includit infinitatem, propter quam sibi identificat omne secum identificabile, consequenter & Paternitatem Divinam, adeoque recte essentia D. & Paternitas in abstracto identice de se mutuo prædicantur. 484

§. IV.

Qualem Distinctionem in Deo admiserit Gilbertus Porretanus, & an in Concilio Rhemensi sit damnata Distinctio Scotistica.

485 De Gilberto Porretano jam egi Tom. I. de Prolegomenis in Chronico N. 357. quæ iterum hic recolenda sunt: quibus paucula addo. Gilbertus hic alias ob scientiam, & virtutem multum laudatus, cum de Deo, Divinisque Personis ageret, *sublimiora se* (ut cum Gaufredo Monacho loquar in vita S. Bernardi L. 3. c. 5. sub Lit. D.) *scrutatus ad insipientiam sibi; nam de SS. Trinitatis unitate, & Divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile quid saperet, imo quantum desiperet, personis authenticis postmodum ipse fatebatur.* Inter alios, quos Gilbertus admisit errores, numeratur iste, quod scilicet inter Essentiam D. & Personalitates admiserit distinctionem majorem, quam salva fide admitti potest, ut patet ex cit. loc. Tomi I. & ex Confessione fidei, quam P. P. Concilii Rhemensis Articulis Gilberti directe oppositam, scriptis conceperunt, eamque cit. loco, ac numero retuli, & videri potest apud Fleurium in sua Hist. Eccles. Tom. XVII. Lib. 69. ad Sæcul. XII.

Confixa doctrina Gilberti non defuerunt, qui enormi falsitate docuerunt, sententiam Scoti, admittentis distinctionem ex natura rei formalem in Deo, fuisse quoque damnatam. Author hujus solemnissimæ calumniæ dicitur fuisse Vir alias celeberrimus Vasquezius p. 1. disp. 126. item disp. 120. c. 1. n. 6. quem secuti sunt quidam alii.

Alius modernus Theologus, cæterum eruditus, & suis in operibus, quæ in lucem continuo emittit, laudatissimus nova crisi, &, nescio quo, Zelo docet, quod quidem in Concilio Rhemensi fuerit damnata distinctio realis, non tamen ad mentem Gilberti, utpote quam Patres dicti Concilii non intellexerunt; nam (ita ipse ait) Gilbertus non aliam docuit distinctionem, quam ex natura rei formalem. Hinc infert, non doctrinam Gilberti, aut ipsum Gilbertum, sed occasione Gilberti, ob defectum sufficientis explicationis, solam distinctionem stricte

realem

realem eſſe damnatam, ut adeo fides, & doctrina Gilberti ſemper fuerit orthodoxa. H. N.

Aſſero: Scoti ſententia non eſt ea, quam Gilbertus tenuit. Ita 486
plerique non ſolum SSæ, ſed etiam celeberrimæ S. J. Theologi.

P. Gilbertus admiſit diſtinctionem ſtricte realem inter eſſentiam, & Perſonalitates: hanc Scotus negavit: ergo Scoti ſententia non eſt ea, quam Gilbertus docuit. P. 1. memb. Ant. nam Gilbertum admiſiſſe diſtinctionem ſtricte realem inter eſſentiam, & Perſonalitates, teſtantur Alenſis prima parte q. 68. m. 5. S. Bonaventura 1. d. 23. q. 2. S. Thomas 1. p. q. 28. art. 3. & alii antiquiores Theologi, quibus utique major eſt fides habenda, quam Vaſquezio, qui, ut Scotum Gilbertinæ condemnationis ſocium faceret, non dubitavit dicere, in hoc Concilio eſſe condemnatam omnem diſtinctionem a parte rei talem, proinde & formalem ex natura rei, inter eſſentiam & Perſonalitates. Id maxime patet ex S. Bernardo, qui interfuit Concilio Rhemenſi, & Gilbertinam damnationem plurimum promovit; Hic enim Serm. 80. in Cantica. diſputans contra Gilbertum ait: Naturam D. non eſſe in ſuppoſito, ſicut formam in ſubjecto, neque diſtingui a Perſonalitatibus ſicut albedinem a nive, nigredinem a corvo: ergo rejicit diſtinctionem Gilbertinam ut ſtricte realem; forma enim accidentalis, quam S. Bernardus hic adhibet, a ſuo ſubjecto ſtricte realiter diſtinguitur. Item L. 5. de Conſid. c. 7. oſtendit, Gilbertum inter Perſonalitates & eſſentiam aſſeruiſſe diſtinctionem numericam: atqui diſtinctio numerica eſt ſtricte realis. Neque obeſt, quod D. Bernardus cit. Serm. 80. in Cant. adſtruat, Gilbertinam diſtinctionem eſſe talem, quæ intercedit inter animam, & potentias, atque inter genus & differentiam; nam S. Doctor ibi ſuppoſuit (ſed minus Philoſophice) inter hæc intercedere diſtinctionem ſtricte realem, ut ex reliquis exemplis adductis patet.

P. iſtud membrum amplius: Symbolum, quod Patres Concilii Rhemenſis contra articulos Gilberti fecerunt, inter alia hæc habet: *Credimus, ſolum Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. æternum eſſe, nec ullas alias* NB. *res, ſive relationes adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.* ergo Gilbertus Naturam D. & relationes diſtinxit tanquam rem a rebus. Hinc Eugenio percontanti: *anne ſummam eſſentiam, qua tres Perſonas profiteris unum Deum, credas Deum?* diutina Collatione fatigatus reſpondit: *non.* ut habet Otto Friſing. L. 1. de geſtis Frid. c. 56. Deinde Eugenius Papa in hac Synodo contra Gilbertum declaravit, *quod nulla ratio in Theologia inter Naturam, & Perſonam*

ſonam NB. *divideret:* ita Ipſe allegatus ſupra Criticus in ſua Theologia Tom. 2. fol. 162. ergo Gilbertus hæc duo *diviſit*, conſequenter realiter diſtinxit. Inſuper

Jacobus Amiotus Altiſiodorenſis Epiſcopus in Codice MS. ad Gregorium XIII. miſſo ait, quod Gilbertus docuerit: *Tres Perſonas tribus Unitatibus eſſe tria, & diſtinctas proprietates tribus, quæ non ſunt ipſæ Perſonæ, ſed eſſe tres* NB. *res æternas, & ab invicem, & ab ipſa* NB. *ſubſtantia numero differentes:* ergo juxta Gilbertum inter relationes, & ſubſtantiam datur diſtinctio numerica. Nec valet reſponſio, quod relationes diſtinguantur tantum *numero formali*, non *reali* a ſubſtantia; nam contra eſt 1. Gilbertus juxta cit. textum eodem modo diſtinxit relationes D. a ſubſtantia, ſicut diſtinguit relationes inter ſe: ſed inter has datur diſtinctio realis ſtricte talis: ergo etiam &c. Contra eſt 2. Juxta cit. textum relationes ſunt *tres* NB. *res* a ſubſtantia tanquam re diſtinctæ: ſed inter rem, & rem datur diſtinctio realis ſtricte talis: ergo.

Petavius Tom. 1. Theolog. dogm. l. 1. diſp. 2. c. 8. fol. 62. ait, quod ex iis, quæ prius de Gilberto, & ejus damnatione ſcripſit, liquido conſtet, Gilbertum non tantum proprietates relativas a natura NB. ſeparaſſe (quod ne ipſum dici fas eſt) ſed tam relativas, quam abſolutas, adeoque Divinitatem a Deo NB. ſejunxiſſe: atqui ubi datur ſeparabilitas, aut ſejunctio, ibi datur diſtinctio realis: ergo.

Tournellius Tom. 1. q. 3. a. 2. multis probat, quod Concilium Rhemenſe contra Gilbertum definiverit, inter Perſonas D. & eſſentiam nullam intercedere actualem, & NB. realem diſtinctionem: ergo Gilbertus admiſit diſtinctionem realem. Item paulo infra dicit, quod illa diſtinctio a Concilio Rhemenſi ſit rejecta, conſequenter damnata, quam docuit Gilbertus.

Etiam audiri meretur Gallus Cartier Theolog. univerſalis Tom. 2. Tr. 1. p. 1. de Deo. c. 2. de Attributis, ubi pag. 19. ita loquitur: „ De
„ Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis Sæculo 12mo errore circa
„ diſtinctionem divinorum attributorum controverſia eſt inter Theolo-
„ gos. Alii cenſent, eum docuiſſe diſtinctionem realem non ſolum in-
„ ter eſſentiam & perſonalitates divinas, ſed etiam inter attributa, &
„ eſſentiam. Alii vero contendunt, eum realiter tantum diſtinxiſſe
„ eſſentiam divinam a perſonalitatibus. Utut ſit, ejus errores Sæcu-
„ lo 12mo damnati ſunt, primum in Concilio Pariſienſi An. 1147.;
„ deinde in Concilio Rhemenſi Anno 1148. Præſide Eugenio III. & cui

„ præter

„ præter Cardinales interfuere plurimi Episcopi, & Abbates, ipseque „ S. Bernardus Abbas Clarevallensis acerrimus Gilberti adversarius. „ Concilii definitioni acquievit Gilbertus, quare cum ejus Persona be-„ nignius actum est. „

Ex his utique sequela fluit, maximorum Theologorum, & virorum testimonio Gilbertum distinctionem stricte realem inter essentiam, & personalitates divinas admisisse. Nunc ergo

Restat probandum alterum membrum Antecedentis principalis, scilicet Scotum neutiquam docuisse distinctionem stricte realem. Sic 1. d. 2. q. 7. §. *sed nunquid.* quærit: num distinctio, quæ inter essentiam, & personalitates datur, sit realis? & respondet: *Non est proprie realis actualis intelligendo, sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu, quia in una Persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem: & sicut non est realis, ita non est realis potentialis.* Dein §. *& tamen.* ait ulterius: *Et tamen ex hoc non sequitur simpliciter diversitas, vel non identitas realis essentiæ, & relationis; non enim illud, quo Pater est Pater, est aliud ab essentia, sed idem.* quid clarius? Denique 1. d. 5. q. 1. §. *in ista.* & §. *istud.* dicit, quod sententia Joachimi sit hæretica, & ita concludit: *ergo tota eadem essentia, quæ est in Patre, est in Filio, & Spiritu S., & propter simplicitatem D. quælibet Persona est illa res, & tres Personæ sunt illa res:* ergo Scotus nunquam admisit distinctionem realem inter essentiam, & personalitates. 487

Ad hæc sibi bene notent Critici illi, qui hoc, vel alio puncto doctrinæ Scoti errores præsumunt impingere, id sine injuria manifesta fieri non posse, cum extet Decretum S. Congregationis Cardinalium ante annum 1610. circiter editum, quo præcipitur doctrinarum, aut librorum Authoribus, ut quidquid Scoti esse constaret, intactum, inviolatumque admitteretur: ut refert Cavellus in Vita Scoti. Waddingus Tom. 3. Annal. Religionis pariter in Vita Scoti. Mastrius Tom. 1. Philos. in commendatione doctrinæ Scoti præmissa.

Præterea non sine grandi injuria, & falsitate tribuitur nostro P. Claudio Frassen, quod sententiam Scoti confundat cum errore Gilberti, & asserat, Scoti sententiam cum illa Gilberti esse damnatam. Videatur tantum Frassen in suo Scoto Academico Tom. & Tract. 1. Disp. 2. art. 2. q. 2. a num. 10. & seqq. aliqua ejus verba ex n. 12, excerpo. Sunt hæc: „ Quibus patet, quam perperam Vasquez, *Prima parte disp.* „ 120. *cap.* 4. *n.* 18. & nonnulli recentiores Thomistæ ex eo affirmant, „ defini-

„ definitionem ab Eugenio Summo Pontifice contra Gilbertum edi-
„ tam, etiam in Scoti diftinctionem formalem a parte rei, militare:
„ quod certe fumma hallucinatio eft, quippe cum longe diverfa fit
„ Subtilis Doctoris a Gilberti Porretani fententia; hic enim admit-
„ tebat vere realem maximam diftinctionem inter effentiam & rela-
„ tiones perfonales, quæ folveret earum realem identitatem; Doctor
„ vero Subtilis folum admittit diftinctionem formalem, quæ talem i-
„ dentitatem non folvit. Nam fi fecus fenfiffet Doctor, haud dubie
„ tantum errorem indemnatum Ecclefia tamdiu non tuliffet: quam
„ utique fententiam cum non damnaverit, indicium eft, non idem
„ Scotum cum Gilberto fentire, ac proinde turpiter hallucinari eos
„ omnes, qui hunc errorem Doctori Subtili adfcribunt." Ex his itaque

488 Infero: Diftinctionem Gilberti, quam in Deo admifit, non fuiffe orthodoxam, fed hæreticæ pravitati obnoxiam. Ita unanimis contra unum recentiorem Criticum. Etenim ab eo fuit admiffa vera diftinctio realis inter effentiam, & perfonalitates, & hæc eft damnata juxta mentem ejus; fiquidem

In Concilio Rhemenfi non eft damnata diftinctio realis tantum occafione doctrinæ Gilberti; non vero ad mentem ejus, ut Criticus ille putat, quia fcilicet vifus eft docere diftinctionem ftricte realem ex defectu fufficientis explicationis; quippe, fi ita liceret loqui, & fentire, quilibet hæreticus tali modo fe contra damnationem doctrinæ hæreticæ tueri poffet, nempe dicendo, fe, & fuam doctrinam non fuiffe rite intellectam, & confixionem in aliquid aliud cadere, quam in fuam doctrinam. Sic Janfeniftæ poffent dicere, propofitiones Janfenii jufte ab Innocentio X. profcriptas effe, fed tamen eas non reperiri in Libro Janfenii, nec in fenfu ab eo intento confixas effe. quod effugium jam præclufit Clemens in Bulla *Vineam Domini Sabaoth.* Hæc crifis, & explicatio præjudiciofa eft Concilio Rhemenfi: Vel enim Eugenius Papa præfens eidem Concilio, & Epifcopi ex 10. Provinciis Rhemis congregati, intellexerunt, quid doceret, quæve effet mens Gilberti, vel non intellexerunt? Si primum: certe etiam damnaverunt Gilberti doctrinam, prout erat intellecta. fi fecundum: prædicti PP. præcipitanter egerunt, re prius non, ut decet, difcuffa, & non intellecta, cum tamen hi PP. *maxima deliberatione*, ut ait Fleurius in fua Hift. Ecclef. Tom. 17. L. 69. ad Sæc. XII. Symbolum Articulis Gilbertinis oppofitum

tum composuerint. Gravesonius ad Saecul. XII. Coll. 3. fol. 123. pronunciat, Gilbertum damnatum *post maturum, & deliberatum examen.* Gaufredus Monachus, & postea Abbas Clarevallensis, qui cum S. Bernardo adsuit Concilio Rhemensi, ait in Vita S. Bernardi L. 3. c. 5. sub Lit. D. *Quod S. Bernardus adversus Gilbertum Ecclesiae Sanctae singularis Athleta, primo totum, quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur,* NB. *elicuerit* (consequenter intellexerit) *deinde tam suis ratiociniis, quam SS. PP. testimoniis biduana disputatione redarguerit,* & quod in Concilio praesentes ex hac disputatione *animadverterint blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam a Persona.* Pergit ulterius Gaufredus, quod *Apostolico judicio, & Authoritate universalis Ecclesiae* NB. *error ille sit damnatus, Gilbertus, an condemnationi consentiat, interrogatus, consentiens, & publice refutans, quae scripserat, &* NB. *affirmarat, indulgentiam ipse consequitur,* seu in persona non damnatur. Plane sine injuria palmari, Concilii Patribus & Eugenio illata, non potest asseri, Gilbertum esse damnatum non secundum doctrinam suam, quae non fuerit a Patribus recte intellecta.

Objic. 1. Gilbertus inter essentiam D. & personalitates non docuit aliam distinctionem, quam ex natura rei formalem: ergo cum SSis sensit. A. p. Gilbertus in Conventu Parisiensi publice professus est, quod *Tres Personae sint unus in natura Deus:* ergo non adstruxit distinctionem realem, sed ex natura rei formalem. ℞. N. a. ad prob. D. a. professus est Deum habere unam, & numero eandem essentiam c. a. habere naturam a personalitatibus realiter indistinctam n. a. Gilbertum sub hac distinctione intelligendum esse, docet S. Bernardus L. 5. de Consider. c. 7. dicens, Gilbertum admisisse quaternitatem, scilicet tres personalitates, & unam naturam omnibus tribus Personis communem: id patet etiam ex hucusque discussis. Proinde Scotus longe aliter, ac Gilbertus docuit. 489

Objic. 2. Gilbertum non aliam insinuare distinctionem, quam ex natura rei formalem, docent Otto Frisingensis, & Vasquez: ergo. ℞. N. c. de Vasquezio jam dictum. De Ottone Frisingensi loquitur Petavius Tom. 1. Theolog. Dogm. l. 1. disp. 2. c. 8. fol. 62. ubi S. Bernardi, & Gaufredi relationem tanquam veram tutatus ait: *Gilberti sententiam, ejus libris comprehensam, melius, ut opinor, intellexerunt Bernardus, & qui cum eo professionem fidei condiderunt, quam Otto Frisingensis.* Praeterea teste eodem Petavio, *Otto in Gil-* 490

bertum plus æquo propensus, & Bernardo subiniquus fuit. Ulterius juxta Petavium, & Radevicum Canonicum Frisingensem Otto moriens cavit, *ut si quid pro sententia Magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quem posset offendere, ad piorum, & doctorum arbitrium corrigeretur.*

491 Objicit 3. Doctissimus D. Gallus Cartier Tom. 4. Theol. univers. p. 2. Exercit. 3. §. 3. n. 59. ita loquens: „ In Concilio Rhemensi an. „ 1148. cui præsedit Eugenius Papa III. definitum est: *Ne aliqua ratio inter naturam, & personam divideret*, neve Deus divina essentia „ diceretur in sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. hoc est, „ ne tantum dicatur: *Pater Deitate est Deus, sed est ipsa Deitas.* Ubi „ Concilium nomine *rationis* non intelligit *rationem ratiocinatam*, alioquin distinctionem rationis ratiocinatæ etiam damnasset, quod nemo dixerit. Voluit ergo nomine *rationis* intelligere quamdam formalitatem, sicut & ipsemet Scotus intellexit, dum apud Radam „ *Controv.* 4. *ad* 6. *arg.* vocat magnitudinem, & sapientiam *rationes*; „ unde & ipse Rada ait *not.* 3. formalitatem nihil aliud esse, quam „ rationem objectivam, sub qua unaquæque res concipi potest ex „ natura rei. „

Ita laudatus Cartier, qui tamen ipse sic erudite dissolvit hanc difficultatem paulo inferius: „ Respondent Scotistæ, ab hoc Concilio nihil contra suam distinctionem definitum fuisse. Nam quoad „ Concilium Rhemense, dicunt, quod, dum prohibet, ne aliqua ratio inter naturam, & personam divideret, id dixerit contra Gilbertum, qui inter attributa divina, tam quoad se, quam quoad essentiam distinctionem realem admittebat. Enimvero S. Bernardus „ *lib.* 5. *de Consid. c.* 7. ostendit, Gilbertum admisisse inter essentiam, „ & personalitates distinctionem numericam, quæ sane est realis. „ Itaque prohibetur, ne ratio considerans distinctionem realem dividat, quod vel ex ipso divisionis nomine constat; hoc enim maxime importat distinctionem. Sic igitur contra distinctionem „ Scotisticam nihil definivit cit. Concilium. „ Huc usque laudatus Cartier.

Articulus IV.

An detur, & quomodo a Paternitate, & Filiatione distinguatur Spiratio activa?

§. I.

An detur in Divinis quarta Relatio Originis, seu Spiratio activa?

Assero. Datur in Divinis quarta relatio originis, quæ est spi- 492
ratio activa. D. Bonaventura, S. Thomas, Scotus, & Th. Th. communiter.

P. 1. Datur vera processio Spiritus Sancti: ergo debet etiam dari relatio originis respondens huic processioni, seu spiratio activa; nam processiones divinæ sine respondentibus relationibus originis nec intelligi, nec esse possunt.

P. 2. Quia Pater generat Filium D. ideo habet relationem generationis activæ: ergo quia Pater & Filius spirant Spiritum S. ideo habent in se spirationem activam: ergo in Patre, & Filio datur spiratio activa.

P. 3. Pater & Filius debent respicere Spiritum S. per aliquam relationem actionis productivæ: atqui hæc relatio non potest esse alia, quam spiratio activa: ergo. M. est certa; Pater enim, & Filius D. producunt Spiritum S. ergo per relationem productionis activæ eum respicere debent ut terminum productum. m. vero prob. Pater non potest respicere Spiritum S. per Paternitatem, & generationem activam; per hanc enim unice refertur ad Filium: neque Filius per filiationem ad alium terminum refertur, quam ad Patrem: ergo Pater & Filius referuntur ad Spiritum S. per relationem actionis, superadditam relationibus Paternitatis, & filiationis, seu generationis activæ & passivæ. Et hæc relatio superaddita a nobis vocatur spiratio activa.

P. 4. Ex Cap. *Fideli.* de Summa Trinit. in 6. desumpto ex generali Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ubi definitur, quod *Spiritus S. æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spira-*

tione procedat. Et fubdit: *Hoc profeffa eft hactenus, profitetur, & docet SS. Romana Ecclefia, hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera fententia:* ergo ex mente Ecclefiæ, & Patrum tam Græcorum, quam Latinorum fpiratio activa eft in divinis admittenda.

P. 5. Ex Oratione dogmatica Beffarionis in Concilio Florentino, in quo c. 6. oftendit 1. Inter Filium, & Spiritum S. effe relationem mutuam ut caufæ ad caufatum, & caufati ad caufam, more Græcorum ufurpando nomen *caufæ* pro *principio.* 2. Probat, quod hæc relatio, quam habet Filius ad Spiritum Sanctum, non fit filiatio, fed fpiratio activa. Verba ejus funt: *Cum Filius, prout Filius non referatur ad Spiritum; non enim dicitur Filius Spiritus, reftat, ut referatur ad Spiritum tanquam afpirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium tanquam Spiritus; fpiritus enim fpiranti, & paffiva fpiratio activæ fpirationi correfpondet: ergo.*

493 Objic. 1. Spirationis activæ non meminerunt SS. Patres: ergo ea non eft afferenda in Deo. ℞. 1. N. a. Ratio negationis eft ex Prob. 4ta. ℞. 2. D. a. Non meminerunt fub expreffo nomine fpirationis activæ tr. a. non meminerunt fub alio nomine, & alia ratione æquivalente n. a. Satis indicarunt fpirationem activam Patres, dum admiferunt relationem mutuam inter omnes Perfonas, & dum conftanter docuerunt, Spiritum S. a Patre, & Filio procedere; hoc enim non poteft explicari fine relatione diftincta originis, reliquis tribus fuperaddita, ut ex probationibus colligitur. Hanc vero relationem fuperadditam nos vocamus fpirationem activam, ex eo, quia refpondet Spiritui S., & fpirationi paffivæ, prout Beffarion cit. egregie advertit. ℞. 3. Iterum D. a. hujus tamen meminerunt Concilium Lugdunenfe, & Beffarion in Concilio Florentino, & quidem conformiter doctrinæ SS. PP. c. a. fecus n. a.

Objic. 2. Albinus Flavius L. 1. de Trinit. c. 5. dicit, relationem Spiritus S. ad Patrem & Filium non effe reciprocam: ergo ex parte Patris, & Filii non refpondet aliqua relatio, feu fpiratio activa Spiritui Sancto. ℞. Flavium, & alios ita loquentes velle, quod Pater, & Filius ad Spiritum S. non referantur fub ratione Patris, & Filii, feu per relationes Paternitatis & filiationis, fed fub ratione Spiratoris, & per fpirationem activam, confequenter per relationem a Paternitate, & filiatione diftinctam.

Objic. 3.

Objic. 3. SS. Patres ſolummodo aſſignant tres relationes originis, nimirum Paternitatem, filiationem, & proceſſionem paſſivam Spiritus Sancti: ergo tantum hæ tres dantur in divinis. ℞. SS. Patres, dum ſolum trium illarum relationum mentionem faciunt, agere de relationibus primario diſtinctivis, & conſtitutivis Perſonarum Divinarum: per hoc autem non negant quartam relationem, quæ non eſt conſtitutiva, nec primario diſtinctiva Perſonæ. Deinde authoritas negativa nihil probat. Eſto igitur, quod SS. PP. rarius meminerint ſpirationis activæ, tamen eam poſitive non negarunt, nec poſitive a numero relationum divinarum excluſerunt: imo ſufficientia fundamenta pro ea aſſerenda præbuerunt.

Objic. 4. Spiratio activa jam ſupponit Patrem, & Filium conſtitutos: ergo ipſis ſupervenit tanquam aliquod accidens; quod Deum dedecet. ℞. N. c. Spiratio enim activa non eſt realiter diſtincta a Patre, & Filio, ſicut tamen accidens aliquod realiter diſtinguitur a ſubjecto. 2. Neque advenit his Perſonis ab extrinſeco, ſed per actionem intrinſecam ex fœcunditate infinita voluntatis divinæ: adeoque talis actio ſpirativa, nec rationem accidentis, neque imperfectionis, aut indecentiæ importare poteſt.

Objic. 5. Concilium Lateranenſe cap. *Damnamus.* de SS. Trinit. excludit quaternitatem realem in divinis: atqui ſi ſpiratio activa eſſet relatio realis, foret quaternitas relationum in divinis: ergo. ℞. D. M. Quaternitatem realem, quæ infert quatuor realiter diſtincta in divinis c. M. ſecus n. M. Tres enim ſolum relationes originis inter ſe realiter diſtinctas admittimus, ſcilicet Paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſſivam: ſpirationem autem activam realiter identificamus cum Patre & Filio, & cum paternitate & filiatione, ut ſequens §. docebit.

§. II.

An, & quomodo Spiratio activa diſtinguatur a Paternitate, & Filiatione?

Aſſero 1. Spiratio activa realiter identificatur paternitati, & 494
filiationi. Eſt certa apud omnes Th. Th. contra Durandum. P. 1. Ex cap. *Damnamus*, ubi negatur quaternitas rerum realiter diſtinctarum

rum in Deo: atqui hæc daretur, si spiratio activa a Paternitate, & filiatione realiter distingueretur: ergo.

P. 2. Spiratio activa nec producitur a Paternitate, & filiatione, nec est ab iis separabilis: ergo nullum habet signum realis distinctionis.

Objic. Generatio passiva, & spiratio passiva realiter distinguuntur: ergo & generatio activa, & spiratio activa, consequenter spiratio activa non identificatur realiter Paternitati. R. N. c. & parit. Plures actiones productivæ diversorum terminorum non implicant in uno, ac eodem supposito. Sic in sole dantur simul actiones productivæ plurium effectuum. Ast in eodem supposito implicant plures totales productiones passivæ; quia si duæ productiones passivæ essent in eodem supposito, sequeretur, quod idem suppositum esset bis totaliter, seu per binam actionem totalem productum: quod est implicatorium. Ergo, cum generatio activa, & spiratio activa sint duæ actiones, bene sunt compossibiles in eodem supposito Patris. Econtra vero, quia generatio passiva, seu filiatio, & spiratio passiva sunt duæ productiones passivæ totales, ideo non possunt esse simul in una Persona, & supposito; alias enim talis Persona esset bis totaliter producta per duplicem actionem totalem, & esset genita, ac spirata simul, quod fieri non potest.

495 Assero 2. Spiratio activa distinguitur ex natura rei formaliter a Paternitate, & filiatione. Est contra alios omnes, qui sunt extra Scholam Scotisticam.

P. Spiratio activa a parte rei actu distinguitur a Paternitate & filiatione, non quidem stricte realiter: ergo ex natura rei formaliter. Secundum memb. ant. ex prima conclusione, & communi DD. consensu constat. primum prob. de spiratione activa ex una parte, & de Paternitate & filiatione ex altera parte verificantur a parte rei contradictoria: ergo a parte rei actu distinguuntur. A. p. Spiratio activa identificatur Patri, & Filio: Paternitas (idem est de filiatione) non identificatur Patri, & Filio. 2. Paternitas est actio productiva Filii: spiratio activa non est actio productiva Filii; si enim spiratio esset actio productiva Filii, tunc Filius etiam esset spiratus, quod est summum inconveniens. Ex hoc, & priore Articulo

496 Deduces 1mo. Quod essentia D. in suo formali conceptu non includat relationes & personalitates, nec personalitates essentiam. Ratio est: quia essentia, eoquod distinguatur ex natura rei formaliter a per-

a personalitatibus, & relationibus divinis, debet habere sibi proprium conceptum formalem, & distinctum a conceptibilitate personalitatum. Idem dic de spiratione activa respectu paternitatis, & filiationis.

Deduces 2. Spirationem activam non ingredi primam constitutionem Patris, & Filii, consequenter nec Patrem in ratione Patris & Personae, nec Filium in ratione Filii & suppositi constitui per spirationem activam.

Ratio est 1mo. Quia personalitas Patris, consequenter & ratio constitutiva hujus personalitatis, non est communicabilis Filio: atqui spiratio activa est communicabilis Filio: ergo. M. constat; siquidem ratio constitutiva Personae Patris debet Patrem reddere formaliter incommunicabilem cuilibet alteri Personae, proinde & Filio: item debet Patrem a Filio distinguere: atqui neutrum fieret, si ratio formalis constitutiva Patris esset communis, ac communicabilis Patri & Filio: ergo.

Confirm. Spiratio activa est origine, vel omnino natura posterior generatione activa: ergo si Patrem constitueret formaliter in ratione Personae, deberet esse ultimum constitutivum: atqui hoc dici nequit; ultima enim constitutiva alicujus rei sunt ei maxime propria, & primo distinctiva constituti a quovis alio. Spiratio vero activa non est sic distinctiva Patris a quovis alio, cum eum non distinguat a Filio; nam spiratio activa Patri, & Filio est communis, ut supra diximus. Hoc argumentum etiam de Persona Filii paucis immutatis formari potest.

Ratio est 2do. Paternitas, & filiatio sufficiunt ad constituendas Personas primam & secundam: ergo ad earum constitutionem non requiritur spiratio activa. A. constat, *tum:* quia sola spiratio passiva potest constituere Personam tertiam: cur ergo sola Paternitas non possit constituere Patrem, & sola Filiatio Filium? *tum:* quia a sola Paternitate Pater habet incommunicabilitatem in ratione primae Personae, & distinctionem, ac oppositionem cum quavis alia Persona. Idem est de Filiatione respectu Filii: ergo Pater a paternitate sola habet omnia, quae requiruntur ad constituendum Patrem &c. Vide dicta Num. 456. Notando, seu supposito 5.

Articulus V.

An, & qualem perfectionem dicant relationes originis?

§. I.

Notanda.

497 Nota 1. De fide effe, quod divinæ relationes in fenfu identico importent omnem perfectionem illam, quam habent effentia divina, & prædicata abfoluta. Ratio eft: quia relationes originis effentiæ divinæ, & attributis, eorumque perfectioni realiter identificantur, & in fenfu reali & identico funt ipfa Deitas infinite perfecta, funt infinita Bonitas, mifericordia, omnipotentia Dei &c. Quæftio igitur eft, de relationibus illis confideratis fecundum conceptum proprium formalem, quatenus hæ formaliter, aut virtualiter diftinguuntur a Deitate, & ejus attributis abfolutis: v. g. an Paternitas in ratione Paternitatis fpecialem dicat perfectionem, eamque fuperaddat perfectioni effentiæ divinæ, & attributorum abfolutorum. Idem eft de reliquis relationibus originis.

Nota 2. Duplicem effe perfectionem, unam *tranfcendentalem*, & *entitativam:* alteram *gradualem*, & *quantitativam.* Perfectio *entitativa* & *tranfcendentalis* datur tunc, quando aliquod ens, vel entitas habet omnia, quæ ad fuum effe, & ad fuam conftitutionem requiruntur: talem bonitatem, & perfectionem tranfcendentalem, & entitativam habent relationes quoque originis; fiquidem Paternitas habet illud totum, quod ad effe, & quidditatem Paternitatis requiritur. Perfectio autem, & bonitas *gradualis*, & *quantitativa* eft, quæ dignificat aliquam rem, & entitatem, & importat aliquam excellentiam, dignitatem, & æftimabilitatem, fecundum quam aliqua res magna, major, vel minor, æqualis, aut inæqualis eft alteri. Hæc perfectio ab aliis etiam dicitur perfectio *virtutis:* item perfectio *qualificativa.*

Poteft etiam perfectio tranfcendentalis, feu entitativa dividi in *finitam*, & *infinitam;* nam relationes divinæ habent perfectionem entitativam infinitam, non formaliter, fed identice, quatenus neceffa-

rio

rio cum ente infinito identificantur: relationes vero creatæ ſunt finitæ entitative, quatenus hæ non identificantur cum aliquo ente infinito, neque fundamento infinito inſunt. Non autem habent finitatem quantitativam: finitas enim quantitativa, tanquam modus, præſupponit quantitatem perfectionis, quæ non ineſt relationibus. Hinc etiam inter finitatem quantitativam, & non quantitativam diſtingui poteſt ad evitandas lites de nomine.

Nota 3. Ens a Scoto dividi quoque in ens *quantum*, & *non quantum*. Ens *non quantum* eſt, quod præciſe habet bonitatem, & perfectionem tranſcendentalem, & entitativam, & cui ad eſſentiam, & exiſtentiam ſuam nihil deeſt, licet deinde nec perfectionem, nec imperfectionem gradualem dicat, ſed ab utraque, ſcilicet perfectione, & imperfectione, præſcindat. Ens *quantum* eſt, quod habet perfectionem poſitivam, ac gradualem. Ens autem quantum ſubdividitur ulterius in ens infinitum, & finitum: proinde & perfectio quantitativa, ac gradualis in infinitam & finitam diſmembrari poteſt, ac debet.

Nota 4. Perfectionem quantitativam ulterius a Theologis diſſecari in perfectionem *ſecundum quid*, & in perfectionem *ſimpliciter ſimplicem:* quæ quidnam ſint, jam explicatum eſt ſuperius

Quæſtio modo remanet, an relationes originis dicant formaliter aliquam peculiarem, & ſibi propriam perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vel ſaltem infinitam. H. N. ponuntur

§. II.

Concluſiones.

Aſſero 1. Relationes originis in ſe formaliter ſpectatæ, & ut 498
ex natura rei ab eſſentia divina, & prædicatis ejus abſolutis diſtinctæ dicunt perfectionem entitativam ſibi propriam. 2. Non autem ſimpliciter ſimplicem. Quod 1mam partem res eſt certa, & facile conceſſa apud omnes, ac patet ex Not. 2. 2dam partem vero tenet Scotus ex profeſſo quodl. 5. & obiter 1. d. 8. q. 3. n. 16. & q. 4. n. 23. ac alibi SSæ, ac plurimi alii.

P. breviter. Perfectio ſimpliciter ſimplex eſt melior ſua oppoſita perfectione: atqui relatio originis non eſt melior ſua oppoſita perfectione, nam Paternitas non eſt melior filiatione ſibi oppoſita, &

secum incompossibili in una Persona, nec vicissim filiatio melior est paternitate &c. cum Personæ divinæ sint æquales in perfectione: ergo relatio originis non est perfectio simpliciter simplex.

Confirm. 1. Una perfectio simpliciter simplex non excludit ab eodem supposito aliam perfectionem æqualem, vel æque simpliciter simplicem: atqui paternitas excludit a supposito Patris filiationem, & spirationem passivam: ergo paternitas, & filiatio &c. nequeunt esse perfectiones simpliciter simplices.

Confirm. 2. Ens simpliciter perfectum, quale est quælibet Persona divina, debet sibi identificare omnem perfectionem simpliciter simplicem: atqui hoc non fieret, si relationes originis essent perfectiones simpliciter simplices; nam nulli Personæ omnes relationes originis identificantur; siquidem Patri, & Filio solum duæ, Spiritui autem Sancto tantum una est identificata: ergo vel relationes originis non sunt perfectiones simpliciter tales, vel Personæ divinæ non sunt simpliciter infinitæ, nec habent omnem perfectionem simpliciter simplicem.

Respondebis, Perfectionem simpliciter simplicem non excludere aliam absolutam, bene relativam.

Contra est. Perfectio simpliciter simplex ideo compatitur secum in eodem ente aliam perfectionem, quia est perfectio simpliciter talis, & non ideo, quia est absoluta: ergo si etiam relatio sit perfectio simpliciter talis, eam altera perfectio æqualis non excludet e supposito. Deinde definitio Anselmiana non distinguit inter perfectiones relativas, & absolutas, sed indistinctim loquitur: ergo neque nos distinguere debemus. Denique recte notat Herincx, quod probationes nostræ sint adeo manifestæ, ut illi, qui contrarium docent, necessario debeant nomen perfectionis simpliciter simplicis aliter explicare, quam communiter a Th. Th. ex Anselmo explicari solet. Verum hoc ipso pejorem partem habent, quia in quæstione de nomine a communi Th. Th. doctrina recedunt.

499 Assero 2. Neque relationes originis in se spectatæ important peculiarem perfectionem infinitam non simpliciter simplicem: adeoque relationes divinæ non sunt formaliter perfectæ, nec formaliter imperfectæ, loquendo de perfectione graduali, sed abstrahunt a perfectione, & imperfectione quantitativa.

P. Effi-

P. Efficaciter ex abſurdis, quæ ex oppoſita ſententia ſequi videntur. 1. Si relationes divinæ dicunt peculiares perfectiones infinitas, ſequitur, quod una Perſona contineat aliquam perfectionem, quam altera non continet; quælibet enim continet aliquam relationem alteri Perſonæ non convenientem: ſic Pater Paternitatem, Filius Filiationem &c. atqui tali modo Perſonæ divinæ non forent ſimpliciter infinitæ, quod ſine abſurdo admitti nequit: ergo. m. p. de ratione ſimpliciter infiniti eſt, ut contineat omnem perfectionem poſſibilem, alioqui eſſet finitum & limitatum ex illa parte, ex qua illi deeſt aliqua perfectio poſſibilis. Sic Sapientia, & Omnipotentia, & ſi quæ alia ſunt attributa divina, licet ſingula habeant ſuam peculiarem infinitatem in ſuo genere, tamen inter ſe realiter identificantur, & de ſe mutuo in abſtracto prædicantur prædicatione identica. Unde recte ait Scotus, ens infinitum intenſive eſſe unicum, & impluriſicabile, ac non arctatum, & communicabile, ac componibile cuique, ſcilicet infinite perfecto. Inſuper ſequitur, quod tres Perſonæ ſint aliquid perfectius, quam ſingulæ Perſonæ ſeorſim. Item ſequeretur, quod Pater & Filius ſint perfectiores ſimpliciter Spiritu Sancto; continerent enim plures perfectiones infinitas: Pater videlicet (idem cum proportione eſt de Filio) paternitatem, & ſimul ſpirationem activam: Spiritus vero Sanctus tantum unicam ſpirationem paſſivam: atqui hæ ſequelæ videntur eſſe contra Concilia & Patres, qui omnes dicunt, Perſonas divinas eſſe æquales in perfectione, ut patet ex Symbolo Athanaſii: *In hac Trinitate - - nihil majus, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Item Concilium Toletanum IV. habet: *Trinitas nec minor eſt in ſingulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam ſingulis Perſonis manet.* Item D. Auguſtinus L. 3. contra Maximin. c. 10. & Serm. 38. de tempore ait, in Deo non eſſe quid majus tres Perſonas ſimul qualibet ſeorſim, quia in omnibus eſt eadem eſſentia, & natura: per quam rationem S. Doctor videtur adſtruere, quod perfectio divinarum Perſonarum ſit ſolum in eſſentia, non in relationibus.

Reſpondet 1. Herminier apud P. Henno: Quælibet Perſona eſt infinita in ſuo genere, v. g. Pater in ratione Patris, Filius in ratione Filii, non autem quælibet eſt perfecta, & infinita in omni genere perfectionis, quod ſoli Deo Trino competit. Proinde juxta hanc reſponſionem tota Trinitas eſſet infinita in omni genere perfectionis, non autem quælibet Perſona ſeorſim. 500

Contra eſt 1. Juxta hanc reſponſionem tota Trinitas eſſet perfectior, quam quælibet Perſona ſeorſim: atqui hoc eſt abſurdum, & contra Concilia, ac SS. PP. ergo. M. conſtat: quia tota Trinitas juxta hanc reſponſionem foret infinita in omni genere perfectionis, Perſona vero quælibet ſeorſim eſſet tantum infinita in uno genere perfectionis: atqui perfectius eſt infinitum in omni genere perfectionis, quam aliud infinitum in uno tantum genere perfectionis. m. per ſe liquet ex teſtimoniis mox allatis, præſertim etiam ex eo D. Auguſtini l. 6. de Trinit. ubi ait: *Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſimul.*

Contra eſt 2. Etiam juxta hanc reſponſionem adhuc una Perſona eſſet perfectior altera, cum Pater eſſet perfectior in duplici genere perfectionis, nimirum in generatione, & ſpiratione activa: Spiritus Sanctus tantum in uno genere perfectionis, nimirum in ſpiratione paſſiva: ergo.

501 Reſpondent 2. AArii apud Herincx: Tres Perſonas divinas debere eſſe æquales ſecundum perfectiones ſimpliciter ſimplices, quales juxta ipſos non ſunt relationes, ſed ſola prædicata abſoluta. Verum

Contra eſt 1. Perſonæ divinæ a Patribus, & Conciliis dicuntur in perfectione æquales ſimpliciter, & ſine ullo addito: ergo Perſonæ divinæ debent eſſe æquales non ſolum quoad perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſed quoad omnes formaliter tales.

Contra eſt 2. Ideo juxta AArios Perſonæ Patris, & Spiritus S. debent eſſe æquales quoad perfectiones ſimpliciter ſimplices, & abſolutas, ne in SS. Trinitate ulla ſit inæqualitas, majoritas vel minoritas: ergo etiam ideo debent Perſonæ Patris, & Spiritus S. eſſe æquales quoad perfectiones non ſimpliciter ſimplices, & relativas; ſiquidem, ſi & in perfectionibus non ſimpliciter talibus, & relativis una Perſona alteram præcederet dignitate, tunc jam daretur inæqualitas in perfectione, & dignitate, quod tamen in divinis non eſt admittendum.

Contra eſt 3. Relationes divinæ ex una parte formaliter exiſtunt in Deo, ex altera parte juxta AArios ſunt formaliter infinitæ, & ſunt perfectiones ſine ulla admixta imperfectione: ergo relationes divinæ juxta AArios omnia habent, quæ requiruntur ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem, conſequenter ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices. A. p. Ideo intellectus dicitur perfectio ſimpliciter ſimplex in

Deo

Deo, quia formaliter in Deo exiſtit, & eſt perfectio infinita: ergo a pari &c. Deinde AArii debent primum oſtendere, quod in Deo poſſit formaliter, ſeu ſecundum eſſe formale exiſtere aliqua perfectio, quæ non ſit ſimpliciter ſimplex.

Reſpondent AArii. 3. apud eundem Herincx: Relationes non eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices, quia una Perſona habens tales relationes non eſt melior altera non habente: Sic juxta ipſos Pater divinus, habens duplicem relationem, non eſt melior Spiritu S. habente tantum unam relationem. 502

Contra eſt: Vel relationes originis ſunt perfectiones quantitativæ, & dignificativæ, vel non ſunt? ſi non ſunt, tunc habemus intentum: ſi ſunt, tunc certe duplex relatio infinite perfecta majorem perfectionem importat, quam una: quia utique duplex perfectio major eſt, quam una. Cæterum ſic ſentientes in noſtram incidunt ſententiam; admittunt enim perfectionem entitativam, non autem meliorativam, vel quantitativam.

Reſpondent AArii. 4. Paternitas eſt æquivalenter, vel eminenter filiatio, & viciſſim: ergo Perſonæ adhuc ſunt æquales. 503

Contra eſt 1. Eminenter continere aliquam perfectionem eſt, illam perfectiori modo continere, quam continet alter: atqui Pater non continet filiationem perfectiori modo, quam continetur in Filio; ſecus enim Pater eſſet perfectior Filio: ergo Pater non continet filiationem eminenter.

Contra eſt 2. Deus alio modo debet continere perfectiones puras, & nullam habentes admixtam imperfectionem, quam perfectiones ſecundum quid, & non puras, quales ſunt, quæ continentur in creaturis, & admixtam habent imperfectionem: atqui perfectiones ſecundum quid continet Deus tantum æquivalenter & eminenter: ergo perfectiones puras Deus continet alio modo, nempe formaliter: conſequenter, ſi Pater continet filiationem, quæ juxta AArios eſt perfectio pura, debet illam formaliter continere, & non tantum eminenter, vel æquivalenter.

Contra eſt 3. Si Pater contineret formaliter intellectum & voluntatem, & Filius, vel Spiritus Sanctus has potentias tantum æquivalenter continerent, tunc daretur aliqua inæqualitas, & diſſimilitudo in perfectione divinarum Perſonarum: ergo etiam, ſi Pater & Filius formaliter continent relationes, & perfectiones relativas paternitatis, & filiationis, has tamen Spiritus S. tantum æquivalenter habet,

bet, tunc etiam datur aliqua inæqualitas in perfectione divinarum Perfonarum.

504 Refpondent AArii. 5. Ad æqualitatem Perfonarum divinarum fufficit illarum circuminfeffio: circuminfeffio autem hæc eft intima unius Perfonæ inexiftentia in altera, & ideo Pater divinus dicitur circuminfedere Filium, & Spiritum Sanctum, quia intime illis inexiftit. Idem eft de reliquis Perfonis.

Contra eft: Etfi Paternitas per circuminfeffionem fit in Filio, non tamen formaliter perficit Filium, fed folum Patrem: imo Paternitas non obftante illa circuminfeffione adhuc realiter diftinguitur a Filio: ergo propter circuminfeffionem non fequitur æqualitas divinarum Perfonarum in perfectione, pofito, quod earum relationes importent formalem perfectionem.

Refpondent 6. Relationes originis non dicere perfectionem quoad *effe ad*, & quoad effe relativum, fed quoad *effe in*, & quatenus infunt, & identificantur effentiæ divinæ.

Contra eft: Hæc refponfio idem vult, quod nos; admittit enim relationes in conceptu fuo formali, & relativo non dicere perfectionem, bene autem in fenfu identico.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

505 Objic. 1. SS. Patres teftantur, relationes originis effe perfectas, effe adorandas &c. ergo relationes originis dicunt perfectionem. ℟. D. a. Teftantur relationes originis effe perfectas tranfcendentaliter & identice c. a. formaliter n. a. ℟. 2. Relationes divinas non effe adorandas, prout in fe formaliter fpectantur, fed quatenus cum effentia divina identificantur; cum ea enim funt infinitæ identice, & confequenter adorabiles.

Objic. 2. SS. Patres quandoque videntur velle, quod Perfonalitas Patris quamdam dignitatem habeat præ perfonalitate Filii: ergo perfonalitas Patris formaliter perfecta eft perfectione dignificativa. A. conftat ex S. Chryfoftomo, & aliis apud Du Pafquier citt.

℟. SS. Patres, qui ita loquuntur, nil aliud intelligunt, quam Patrem præcedere Filium origine, non autem vera aliqua dignitate, & prærogativa formali. Imo S. Damafcenus apud noftrum Fraffen, &

& S. Cyrillus apud P. Pasquier expresse fatentur, quod vox Patris aliquam dignitatem, aut prærogativam non significet in Deo.

Objic. 3. Relationes originis habent omnia ad esse relationis requisita: ergo relationes originis dicunt perfectionem. ℞. 2. Retorq. Peccatum habet omnia ad naturam peccati requisita: ergo peccatum qua peccatum dicit formaliter aliquam perfectionem. ℞. 2. D. c. Dicunt perfectionem entitativam, & transcendentalem c. c. gradualem, & quantitativam. n. c.

Objic. 4. Omne divinum est perfectum: sed relationes originis sunt divinæ: ergo sunt perfectæ. ℞. D. M. Omne divinum est perfectum vel identice, vel formaliter c. M. semper formaliter *subd.* si sit capax perfectionis formalis c. M. si sit incapax n. M.

Objic. 5. Inter perfectum formaliter, & formaliter imperfectum non datur medium: ergo, quia relationes divinæ non sunt imperfectæ, erunt formaliter perfectæ. ℞. N. a. Nam inter formaliter perfectum, & formaliter imperfectum mediat perfectio negative, vel mere identice, aut entitative talis.

Objic. 6. Quod non est finitum, est infinitum: atqui relationes originis non sunt finitæ, ut per se liquet; Deo enim nil finitum identificari potest: ergo sunt infinitæ. ℞. D. M. Est infinitum vel formaliter, vel identice c. M. semper formaliter *subd.* si sit capax infinitatis formalis c. M. secus n. M.

Objic. 7. Si relationes divinæ non sunt formaliter infinitæ, tunc sunt finitæ: atqui sequela est absurda: ergo & id &c. M. p. Esse finitum nil aliud est, quam non esse infinitum, vel non habere infinitatem: ergo si relationes non sunt formaliter infinitæ, sunt finitæ. ℞. N. M. Ad hoc, ut aliquid sit positive & formaliter finitum, requiritur, ut aliquid nec identice sit infinitum: item, ut positive per aliquam formalem imperfectionem excludat a se infinitatem. Ast neutrum contingit in relationibus originis, quæ identice sunt infinitæ, quia identificantur essentiæ infinitæ, & non excludunt positive infinitatem per aliquam positivam imperfectionem, sed tantum præscindunt in suo formali conceptu ab infinitate.

Objic. 8. SS. Trinitas est summe perfecta: ergo & ejus constitutiva, scilicet personalitates, sunt summe perfecta. ℞. D. a. Est summe perfecta, quia constituitur ex personalitatibus & relationibus n. a. quia etiam constituitur ex essentia infinite perfecta c. a.

Objic. 9. Si Deus non esset trinus, & personalitates in ipso non darentur, tunc esset imperfectus: ergo & ipsæ personalitates debent esse formaliter perfectæ. ℞. D. a. Esset imperfectus immediate, & formaliter n. a. esset imperfectus arguitive, & mediate c. a. Si non darentur tres personalitates in Deo, tunc non posset dari fœcunditas infinita essentiæ divinæ, quæ fœcunditas est perfectio absoluta: adeoque carentia personalitatum divinarum *argueret* in Deo, & *mediate* inferret defectum alicujus perfectionis positivæ, & absolutæ.

Objic. 10. Illud, per quod Pater fit potens ad generandum, est aliqua perfectio formalis in Patre: atqui Pater fit potens ad generandum per paternitatem: ergo paternitas est aliqua perfectio formalis in Patre. ℞. N. m. Pater fit potens ad generandum per naturam absolutam, & intellectum: paternitas vero est tantum modus, & conditio agendi.

Objic. 11. Relationes originis non sunt comprehensibiles ab intellectu creato: ergo sunt infinitæ. A. constat ex illo Isai. 3. ubi de generatione activa divina dicitur: *generationem ejus quis enarrabit?* ℞. D. a. Sunt incomprehensibiles ratione essentiæ, cui identificantur c. a. secus n. a.

Objic. 12. Origines divinæ sunt actiones alicujus agentis infiniti, habent etiam infinitum terminum: ergo sunt formaliter perfectæ. ℞. D. a. Sunt actiones in se formaliter infinitæ n. a. sunt identice infinitæ ratione naturæ infinitæ, in qua fiunt, & cui inexistunt c. a. Actiones agentis infiniti debent esse saltem identice infinitæ, quia sunt incapaces infinitatis formalis.

Objic. 13. Attributa divina sunt ideo formaliter infinita, quia sunt in essentia divina: ergo quia & relationes divinæ sunt in essentia divina, etiam hæ erunt formaliter infinitæ. ℞. N. a. Nam hæc non est adæquata ratio; sed ideo attributa divina sunt formaliter infinita, quia ex se & sua ratione intrinseca non sunt incapacia infinitatis formalis.

Dices: Cur ergo attributa sunt capacia infinitatis formalis, non item relationes divinæ? ℞. Ideo, quia attributa, ceu prædicata absoluta, sunt communia omnibus tribus Personis, adeoque ex eorum infinitate formali non sequuntur illa absurda, quæ sequerentur, si relationes divinæ forent formaliter infinitæ, vel perfectæ.

Objic. 14. Ens ut ſic dividitur in finitum, & infinitum: ſed relationes divinæ ſunt entia: ergo vel erunt finitæ, vel infinitæ. ℞. D. M. Ens quantum c. M. ens non quantum, & mere tranſcendentale n. M. Ens primo dividitur in quantum, & non quantum, ſicut perfectio primo dividitur in quantitativam, & non quantitativam, ſeu mere entitativam. Deinde primum ens quantum ulterius ſubſecatur in finitum & infinitum; finitas enim, & infinitas ſunt modi & proprietates quantitatis, ſeu perfectionis quantitativæ. ℞. 2. iterum d. M. omne ens dividitur in infinitum, & finitum formaliter, vel identice tale c. M. ſemper in infinitum, & finitum formaliter n. M.

Objic. 15. Relatio ut ſic vel eſt perfecta, vel imperfecta: ergo etiam relatio divina erit vel perfecta, vel imperfecta. ℞. N. a. Relatio enim ut ſic nec eſt formaliter, & quantitative perfecta, nec formaliter imperfecta, ſed ſolam dicit perfectionem entitativam. Nihilominus relatio creata in ſpecie accepta eſt finita, & limitata, utpote dependens ab alio, & poſitive excludens a ſua entitate multas perfectiones.

Diſſertatio VIII.

DE

PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI, ET RELIQUIS AD HUNC TRACTATUM PERTINENTIBUS.

Articulus. I.

Quænam proprie, & quæ tantum appropriate conveniant ſingulis Perſonis?

Nota, varia eſſe nomina, & prædicata, quæ conveniunt tribus 506
Perſonis, & ex his aliqua eſſe *propria*, alia *appropriata*. Nomina, & prædicata *propria* ſunt illa, quæ ita conveniunt uni Perſonæ, ut alteri non poſſint convenire. Sic nomen *Patris* eſt proprium, quia ita convenit primæ Perſonæ, ut nulli alteri poſſit competere. Nomina *appropriata* ſunt ea, quæ licet omnibus tribus Perſonis a par-

te rei conveniant, tamen uni Perfonæ fpecialiter tribuuntur, & appropriantur. fic nomen Creatoris a parte rei eft commune omnibus tribus Perfonis, utpote quæ omnes fimul agunt ad extra, & creant: fpecialiter tamen tribuitur, & appropriatur Patri ob rationes mox dicendas. H. N.

§. I.

Quæ Nomina fint propria, & appropriata Primæ Perfonæ.

507 Affero 1. Prima Perfona in Divinis *proprie* eft, & dicitur *Pater* Filii Divini. Eft de fide. Ratio hujus eft: quia hoc nomine S. Scriptura appellat Primam Perfonam, ut: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 2. Quia nomen Patris indicat formale conftitutivum, & diftinctivum Perfonæ primæ: proinde huic uni eft fpecialiter, & unice proprium. Quare S. Cyrillus Dialogo de SS. Trinitate c. 2. ait: *baptizari juffit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: nimirum, quia collegit, & præ aliis propofuit nomina diftinctiffima, & conftituentia uniuscujusque fignati exiftentiam.*

508 Petes 1. An Nomen Patris fit a divinis ad humana, vel ab humanis ad divina translatum? ℞. Effe a divinis ad humana translatum; ita enim afferit S. Paulus ad Ephes. 3. dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini noftri JEfu Chrifti, ex quo omnis Paternitas in cælis, & in terra nominatur.* Unde Cyrillus Alexandrinus L. 1. in Joan. c. 8. *Paternitatis nomen non habet Deus ex nobis, fed nos potius ab illo videmur accepiffe; fidelis quippe eft fermo Pauli clamantis ad Ephef.* 3. *ex ipfo omnis Paternitas* &c.

Id optime dilucidat, & præexcellentias divinæ Paternitatis demonftrat S. Nazianzenus Orat. 23. dicens: *Patrem effe credamus, Patrem multo verius, quam qui apud nos idem nomen obtinet: tum, quia proprio, & fingulari modo Pater eft; tum, quia folus: non enim cum mulieris conjunctione, atque congreffu; tum, quia folius, nempe unigeniti; tum, quia folum: nec enim ipfe, priusquam Pater effet, fuit Filius; tum, quia in totum, & totus Pater: quod de nobis certo affirmari nequit; tum, quia a principio: nec enim pofterius Pater effe cœpit.* Ita ille.

Quare

Quare ideo primario Persona divina prima vendicat sibi nomen Patris, quia ipsa improducta, & ingenita ab alio, sola generat perfectissimum Filium, præstantissima, æterna, ac necessaria generatione productum, & sibi in eadem natura infinita perfectissime assimilatum. Hæc autem non conveniunt hominibus, qui sunt Patres: *tum*, quia hi non sunt improducti: *tum*, quia non sunt necessario Patres, nec necessario, sed tantum contingenter generant, & potuissent non generare: *tum*, quia nullus Pater in humanis sine alterius consortio adæquate generationem perficit: *tum*, quia actio generativa humana est multis imperfectionibus obnoxia: *tum*, quia terminus generationis humanæ est finitus, & habet numero distinctam naturam a generante.

Petes 2. An nomina Creatoris, item Patris, ac Authoris creaturarum conveniant *proprie* Patri cœlesti? ℟. negative: hæc enim nomina indicant actionem, & operationem ad extra: atqui operationes ad extra in divinis sunt indivisæ, & conveniunt omnibus tribus Personis æqualiter. Conveniunt tamen hæc *appropriate* Patri cœlesti. ratio hujus est: Persona Patris est a se, & est sine principio: ergo appropriatius dicitur principium omnium reliquorum, seu creaturarum. Interim dum Deus dicitur *Pater creaturarum*, tunc τo Pater non sumitur in rigoroso sensu pro generante, sed prout idem sonat ac principium, Author, causa creaturarum. 509

Petes 3. An Pater divinus *proprie* dicatur Author, & causa Filii divini? ℟. si per hæc nomina nil aliud intelligatur quam principium, vel si ea non in omni rigore accipiantur, tunc posse Patrem divinum etiam dici principium, & Authorem Filii. Ratio est: quia revera a parte rei est principium Filii. Et in hoc sensu sunt intelligendi Patres, qui Patrem divinum quandoque Authorem, & Causam Filii divini nominare solent. id quod recte observat Bessarion in Oratione habita in Concilio Florentino. ibi: *Notandum*, inquit, *quod SS. DD. Orientales etiam in divinis utantur nomine causæ, & causati largo modo, non quidem, ut limitationem & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem a principio ejus, quod est a principio significat.* Et in hoc sensu Patrem posse dici Authorem Filii, adstruit D. Augustinus L. 3. contra Maximinum c. 14. 510

Assero 2. Deus Pater *proprie* vocatur *Ingenitus*, seu Innascibilis. Est communis Th. Th. P. ex Antiphona in secundis Vesp. ad *Magnificat.* in festo SS. Trinitatis, ubi dicitur: *Te Deum Patrem Ingenitum.* 2. S. Athanasius Epist. ad Serapionem, ut refert S. Thomas opusculo 511

1mo contra errores Græcorum, ait: *Inprincipiatum esse, & Ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam fideliter attribuit, & toti mundo sic esse credendum, sub anathemate mandavit.* Gregorius Nazianzenus Orat. 23. ait: *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit.* S. Augustinus tandem L. 15. de Trinitate c. 26. dicit: *Pater solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus.*

Objic. Etiam Spiritus S. non est generatus: ergo & ingenitus. A. constat; nam Spiritus S. spiratur, non gignitur. Item: natura D. nullo modo est producta: ergo & ipsa est ingenita: consequenter nomen Ingeniti non est proprium, & singulare soli Patri divino.

Pro solutione hujus objectionis nota: Nomen *Ingenitus* hic non sumi præcise pro non producto per actionem generativam: sed (ut notat Herincx ex Smising, & Malderus apud Herincx cit. ex D. Thoma q. 33.) *ingenitus* idem sonat, ac quod omnino est improductum, & simul quod non est alicui per actionem productivam communicatum. & in hoc sensu nec convenit Spiritui Sancto, nec naturæ divinæ; Spiritus enim Sanctus non est improductus, sed productus per spirationem: natura autem divina, licet sit improducta, est tamen per actionem productivam & Filio, & Spiritui Sancto communicata. Ast vero Pater divinus in utroque sensu dicitur *ingenitus;* nam non producitur ab alio, nec communicatur alteri, adeoque sub hac acceptione recte, & *proprie* Pater dicitur *ingenitus.* quod bene est notandum.

§. II.

De Persona Filii.

512 Assero: Secunda Persona *proprie* dicitur 1. Filius: 2. Verbum: 3. Imago Patris. Communis.

P. 1ma pars. *tum,* quia nomen *Filii* attribuitur secundæ Personæ a Scriptura, Conciliis, & Patribus. *tum:* Filius proprie est ille, qui procedit per veram generationem: atqui secunda Persona divina per generationem procedit, & producitur: ergo.

P. 2da pars. quia hæc Persona *Verbum* appellatur a S. Scriptura. Sic Joan. 1. *In principio erat Verbum.* &c. 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Item S. Augu-

Augustinus l. 15. c. 17. *In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius.* Cyrillus L. 7. thesauri c. 1. *Verbum enim ipse Filium hic appellat, ut hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filii maxime significativum elegisse videatur.* Accedit ratio: Illud, quod producitur per memoriam foecundam, est Verbum: atqui Filius solus in divinis producitur per memoriam foecundam: ergo ille solus est Verbum: consequenter hoc nomen *Verbum* ipsi soli est proprium, & singulare. Ex his

Colligis, non esse admittendam doctrinam Durandi, judicantis, *Verbum* in divinis esse intellectionem essentialem, communem tribus Personis, adeoque non proprie, sed solum appropriate convenire soli Filio; hoc enim videtur esse contra textus citt., ac rationem adductam.

P. 3tia pars. 1. Filius divinus in S. Scriptura saepius dicitur *Imago Patris:* Sic ad Coloss. 1. *qui est imago Dei invisibilis.* Ad Hebrae. 1. *qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae ejus.* Subscribunt SS. PP. ut S. Cyrillus Alexandrinus l. 3. Thesauri c. 1. *Propter hoc,* ait, *Filius Verbum, & Imago Dei est, quia ex ipso Patre vere, ac proprie genitus est:* ergo.

P. 2. ratione. Filius est perfecte similis Patri vi suae processionis, quia procedit ut Filius, seu ut Natus, cui proprium est, esse similem producenti, & generanti, prout ex definitione generationis constat. 2. Filius procedit ut Verbum, quod ex natura sua est simile dicenti, seu ut habenti memoriam foecundam, cui Verbum mentis assimilatur: ergo.

Objic. 1. Etiam Spiritus Sanctus est similis Patri: ergo. ℞. 513
D a. est similis vi processionis suae n. a. non vi processionis suae c. a. Spiritus S. procedit ut impulsus, & ut amor, qui ex natura suae productionis non debet exprimere suum principium, nec proinde ipsi assimilari debet: contra Filius D. procedit ut Verbum, & notitia, sicque procedit ut exprimens Patrem tanquam suum principium.

Objic. 2. Filius non exprimit objectum dicentis: ergo non est proprie Verbum. A. p. Filius non est cognitio operativa, tendens in objectum: sed sola cognitio operativa, & tendens in objectum, exprimit suum objectum: ergo. ℞. D. a. non exprimit operative c. a. non exprimit entitative n.a. Filius includens tanquam constitutivum suum essentiam, quae erat objectum memoriae foecundae, utique entitative expri-

exprimit hoc fuum objectum, & effentiam, cum fecundum eam fit perfecte fimilis Patri.

Objic. 3. Tota quoque Trinitas eft imago, juxta illud: *Faciamus hominem ad imaginem* &c. ergo nomen imaginis non convenit foli Filio. ℞. Imaginem ibi fumi pro exemplari, non autem in fenfu ftricto, in quo nos impræfentiarum accipimus. Ex his

514 Colliges 1. Ad rationem imaginis non fufficere quamvis fimilitudinem; debet enim fimilitudo illa imagini convenire vi proceffionis, & productionis fuæ, prout colligitur ex D. Auguftino variis in locis. Hinc

Colliges 2. Spiritum Sanctum non effe imaginem Patris, licet fit fimilis, & confubftantialis Patri. Ratio eft: quia Spiritus S. non habet fimilitudinem cum principio producente formaliter vi fuæ proceffionis, fed folum identice, & ratione infinitatis: Aft Filius divinus, dato, quod per impoffibile non foret infinitus, tamen deberet effe fimilis Patri vi proceffionis fuæ, quia ex ejus memoria fœcunda tanquam Verbum, & notitia genita procedit.

Denique fecundæ Perfonæ *appropriatur* nomen *Sapientiæ*, etfi iftud prædicatum conveniat omnibus tribus Perfonis. Ratio hujus eft: quia Sapientia fpectat ad intellectum, per quem Filius procedit, ut dictum eft. N. 417.

§. III.

De Perfona Spiritus Sancti.

515 Affero. Etiam Spiritus S. habet fua propria nomina. Communis.

1. *Proprie* dicitur *Spiritus*: *tum*, quia per τὸ Spiritus nil aliud fignificatur, quam fpiratus: atqui tertia Perfona eft fpirata: ergo. *tum*, quia ita eam appellat S. Scriptura.

2. *Proprie* etiam dicitur *Sanctus*, fanctitate nimirum notionali. Ratio eft ex S. Bonaventura, quia Spiritus S. procedit ex ordinatiffimo motu liberæ voluntatis divinæ, penes quem attenditur fanctitas. Quare cum Filius D. procedat motu naturali, penes quem fanctitas non attenditur, ideo illi non convenit effe Sanctum notionaliter, licet effentialiter Sanctus fit. Dicitur & ex eo Sanctus *appropriate*, quia illi appropriatur gratiarum largitio, per quam fanctificamur.

3. Con-

3. Convenit Spiritui Sancto, quod sit *Amor Personalis.* Nota autem ex D. Bonaventura amorem tripliciter accipi : 1mo. *Essentialiter*, seu pro amore essentiali, communi omnibus tribus Personis : de quo jam sæpius. 2do. *Notionaliter* pro actione spirativa conveniente Patri & Filio. 3. *Personaliter* pro Persona producta per voluntatem fœcundatam ab objecto amabili. Et sic esse amorem Personalem convenit Spiritui Sancto.

4to. Convenit etiam Spiritui S. *proprie* nomen *Doni:* quatenus per donum intelligitur aliquid liberaliter, & libere productum per voluntatem; Spiritus enim Sanctus solus in divinis ita est productus a voluntate, cujus tantum est dare. Vocatur etiam *appropriate* donum in ordine ad extra, in quantum nobis Spiritus Sanctus, vel potius ejus gratia ad propriam sanctificationem datur.

Articulus II.

De Memoria fœcunda Patris Divini.

Jam sæpius dictum est, Verbum divinum procedere ex memoria fœcunda Patris. Hic igitur indagatur, quibus objectis fœcundetur intellectus, & memoria Patris? Objecta autem, de quibus controverti potest, sunt Essentia divina, 2. Attributa absoluta, 3. Personæ divinæ, 4. Creaturæ futuræ, & possibiles.

Proponunt alii statum quæstionis aliter, & quærunt, ex quorum cognitione Verbum divinum procedat. Verum SSæ ita quærere nequeunt, ut ex dicendis num. 517. constabit: Potest tamen in Schola subtili disputari, quorum objectorum cognitio, & amor præcedat processionem Verbi in Deo. Hinc Articulus præsens in duplicem §um secatur, quorum prior objectum fœcundans intellectum Patris, alter vero cognitionem illam, quæ generationem Verbi præsupponit, arbitrabitur. Quare sit

§. I.

Quibus Objectis fœcundetur Intellectus Patris, antequam generet Filium?

Assero 1. Verbum divinum ex nullius objecti cognitione a- 516
ctuali procedit, adeoque nullum objectum qua actu cognitum fœ-

cundat intellectum Patris divini. Ita Scotus variis in locis fentire videtur.

P. breviter. Noftrum Verbum mentis immediate gignitur ab intellectu informato per fpeciem non actu intellectam, fed intelligibilem: ergo & Verbum divinum immediate gignitur ab intellectu fœcundato per objectum non actu intellectum, fed intelligibile.

Confirm. Hæc ratio omnibus iis, quæ dicta funt num. 411. & feqq. & num. 423. quæ denuo relegere placeat.

Dices: Pater cognofcit effentiam fuam, antequam intelligatur Verbum producere: ergo Verbum producitur ex cognitione effentiæ. ℞. N. c. Etiam Pater amat effentiam fuam pro figno priori, antequam intelligatur Filium gignere: & tamen Filius divinus non procedit ex amore effentiæ divinæ; alias enim Filius per voluntatem, & confequenter libere procederet. Cognitio effentiæ, & amor ejusdem, etfi præcedant generationem Verbi, tamen non concurrunt per fe ad generationem Verbi, fed ad eam per accidens, & materialiter, ac concomitanter fe habent. Ratio hujus eft: quia intellectio & amor effentialis non ideo præcedunt generationem Verbi, ut memoria Patris per talem intellectionem fœcundetur, fed longe alia ex ratione, quam §. feq. adducemus.

517 Affero 2. Sola effentia divina eft objectum fœcundans intellectum Patris divini in ordine ad generationem Filii. Ita Boyvin. idem fentire videtur Faber in l. 2. Sent. dift. 1. q. 1. confentit Bofco Theolog. fpirit. difp. 1. de intellectu Dei fent. 3. de objecto increato fcientiæ Dei. Conclus. 1.

P. 1. ex authoritate, & ratione Scoti 2. d. 1. q. 1. n. 9. §. *ad folutionem.* ℣. *primo quia principium.* circa finem ejusdem verfus. ubi docet primo: *Primum objectum intellectus divini, & voluntatis divinæ eft fola effentia divina, & omnia alia funt tantum fecundaria objecta.* fubjungit poftmodum: *Prius igitur naturaliter eft effentia divina præfens intellectui fuo, ut primum objectum, quam aliquid aliud: fed intellectus divinus, habens effentiam ut objectum fibi præfens, non tantum eft potentia operativa circa illud, fed etiam potentia productiva notitiæ adæquatæ illi intellectui, ut principio productivo, & illi effentiæ, cujus eft ut objecti: igitur tunc eft productiva Verbi infiniti, & per confequens Verbi geniti in Natura divina.* Hæc verba in hoc argumentum efformo: Sola effentia divina eft objectum primarium, & motivum intellectus divini: ergo intellectus divinus fœcundatus per folam effentiam divinam

nam non tantum eſt operativus, ſed etiam productivus ad intra: id eſt, intellectus ſic fœcundatus per ſolam eſſentiam poteſt non ſolum operando cognoſcere eſſentiam divinam, & quævis alia, ſed etiam poteſt producendo gignere Verbum divinum, & notitiam genitam infinitam.

Confirm. Quia eſſentia divina eſt infinita in eſſendo & repræſentando, ideo ipſa ſola ſufficienter juxta Th. Th. movet intellectum ad cognitionem ſui ipſius, attributorum, Perſonalitatum divinarum, & quarumcunque rerum, prout in Tractatu de Deo Uno ſolet dici: ergo ob eandem rationem eſſentia divina ſufficienter fœcundat intellectum Patris in ordine ad generationem Filii.

P. 2. Refutando ſententias aliorum. 1mo. Creaturæ, & Per- 518
ſonalitates divinæ non ſunt objectum fœcundans memoriam Patris pro priori ante generationem: *tum*, quia objectum fœcundans intellectum in ordine ad terminum infinitum generandum, qualis eſt Verbum divinum, debet eſſe infinitum: atqui Perſonalitates divinæ nec ſunt finitæ, nec infinitæ, creaturæ vero tam poſſibiles quam futuræ ſunt omnino finitæ: ergo. *tum*, quia tali modo juxta AArios Filius divinus dependeret a creaturis, ita, ut creaturis omnino implicantibus, aut non cognitis a Patre divino, Filius divinus produci non poſſet: atqui hoc eſt abſurdiſſimum, quod ens ſimpliciter infinitum, & divinum, quale eſt Filius divinus, dependeat a creaturis. *tum*, quia juxta aliquos AArios Verbum non procedit ex cognitione creaturarum futurarum: ergo neque ex cognitione creaturarum poſſibilium. *tum*, quia ſi nullæ creaturæ darentur, vel eſſent poſſibiles, Verbum divinum adhuc ex Patris memoria procederet: ergo creaturæ habent ſe impertinenter ad generationem Verbi.

2do. Neque attributa divina, de quibus major poteſt eſſe controverſia, ſunt objective fœcundantia memoriam Patris in ordine ad generandum Filium: *tum*, quia tantum ſunt objectum ſecundarium, non autem primarium, nec motivum intellectus divini: atqui Verbum tantum procedit ex memoria fœcundata per objectum primarium, & motivum intellectus divini. *tum*, quia attributa divina non movent intellectum divinum ad cognitionem propriam; nam & reſpectu cognitionis attributorum divinorum objectum motivum eſt eſſentia divina: ergo nec eadem attributa movent, aut fœcundant intellectum divinum in ordine ad generationem Verbi divini.

519 Objic. 1. Verbum divinum repræfentat non folum effentiam divinam, fed & attributa, perfonalitates, ac creaturas: ergo etiam procedit ex memoria fœcundata non folum per effentiam, fed & per attributa, & perfonalitates.

℞. D. a. repræfentat hæc omnia primario n. a. fecundario c. a. Verbum divinum nafcitur tantum de objecto primario, quod primario, & formaliter repræfentat: Et hoc objectum primarium eft fola effentia.

Objic. 2. Verbum producitur ex cognitione eorum, quæ declarat, & exprimit: atqui Verbum declarat, & exprimit etiam creaturas: ergo. ℞. ficut prius, Verbum produci folum ex memoria eorum, quæ exprimit primario.

Objic. 3. Juxta D. Auguftinum l. 11. de Trinitate c. 14. Verbum producitur de omnibus, quæ funt in fcientia Patris ante productionem Verbi: atqui attributa & creaturæ funt in fcientia Patris ante productionem Verbi: ergo ex illorum omnium memoria producitur Verbum.

℞. D. M. Verbum producitur ex omnibus, quæ funt in fcientia, feu memoria Patris primo, & per fe intelligibilia c. M. quæ tantum funt fecundario, & concomitanter intelligibilia n. M. Attributa autem non funt per fe, & primario intelligibilia: idem eft de perfonalitatibus. Creaturæ vero ante productionem Verbi non funt in Deo, vel intellectu divino actualiter, & fecundum fuum effe formale, fed tantum virtualiter: fecundum effe virtuale autem nil aliud funt, quám effentia divina. Hinc

Refponderi poffet 2do. Omnia effe virtualiter in memoria Patris ante generationem Verbi, in quantum in ea eft præfens effentia divina, quæ eft virtus repræfentativa omnium, non autem omnia effe in memoria Patris formaliter, & actualiter: vel, etfi aliqua alia præter effentiam divinam ante generationem Verbi fint formaliter præfentia intellectui, ea tamen ut formaliter præfentia non fœcundare memoriam Patris in ordine ad generationem Filii divini. Ex dictis

520 Colligis: idem effe cum proportione dicendum de fpiratione Spiritus Sancti; quemadmodum enim Verbum non producitur ex notitia, & cognitione actuali, fed ipfum Verbum eft notitia genita ab intellectu divino, & effentia divina intellectum fœcundante: ita nec Spiritus Sanctus producitur ex amore actuali, imo ipfe Spiritus Sanctus eft amor notionalis productus ex voluntate, & effentia divina, non amata

mata actualiter, ſed amabili. Nihilominus productio Spiritus Sancti præſupponit actualem cognitionem eſſentiæ. Ratio eſt: quia voluntas non agit, niſi præcognito ſuo objecto.

Totum hoc concludo verbis Scoti cit. ℣. *Similiter voluntas.* ibi: *Similiter voluntas habens eſſentiam illam actu intellectam, ut objectum ſibi præſens, non tantum eſt potentia operativa, qua ſcilicet formaliter habens eam amet ipſum objectum, ſed etiam potentia productiva Amoris adæquati infiniti, & per conſequens Perſonæ ſpiratæ in natura divina* (ſeu Spiritus Sancti) *Prius ergo naturaliter, quam intellectus & voluntas habeant, vel reſpiciant aliquod aliud objectum ſecundarium, habetur completa ratio productionis Perſonarum divinarum intrinſecarum, & per conſequens illæ Perſonæ prius producuntur, quam aliquod aliud objectum præſentetur, & per conſequens multo magis prius, quam aliquod aliud objectum cauſetur.*

§. II.

Quorum Objectorum cognitio, & amor præcedat generationem Verbi Divini, & ſpirationem Spiritus Sancti?

Certum eſt, intellectionem & amorem eſſentialem eſſe prædicata abſoluta, generationem autem Verbi, & ſpirationem Spiritus S. eſſe notiones, & prædicata notionalia. Ex quo certo quoque ſequitur juxta dicta num. 453. & ſeqq. quod amor & cognitio eſſentialis pro priori ſigno naturæ præſupponantur, & præintelligantur ante generationem Filii, & proceſſionem Spiritus Sancti: non quidem ideo, quia hi duo actus eſſentiales & abſoluti ſunt principia, vel actiones productivæ Filii, aut Spiritus Sancti, ſed hac ex ratione, quia prædicata abſoluta in Deo ſunt priora notionalibus. Hoc poſito 521

Quæritur: quænam ergo objecta per cognitionem eſſentialem ante generationem Verbi intelligantur, & quænam per amorem eſſentialem ante proceſſionem Spiritus Sancti amentur? ad hoc quæſitum

℞. 1. Proceſſionem Verbi, & Spiritus S. præcedit intellectio & amor eſſentiæ divinæ. Communis. Ratio eſt: eſſentia divina eſt in Deo primarium objectum intelligibile, & amabile: ergo eſſentia D. de- 522

bet ante omnia alia objecta intelligi, & amari a Deo. Proinde, cum aliquis amor, & aliqua cognitio præcedat processiones Verbi, & Spiritus S., certe cognitio, & amor essentiæ D. eas præcedere debet.

℟. 2. Etiam Attributa divina cognoscuntur, & amantur ante processiones. Communis. Ratio est: Attributa ante processiones supponuntur esse, & existere: ergo etiam supponuntur habere suam cognoscibilitatem, & amabilitatem. Atqui si Attributa supponuntur habere cognoscibilitatem, & amabilitatem ante processiones, tunc nil obstat, quin antecedenter ad processiones supponantur, & intelligantur cognosci, & amari: ergo.

℟. 3. Generationem Verbi, & Spirationem Spiritus S. præcedit in Deo cognitio, & amor ipsius Verbi divini, & Spiritus Sancti. Ratio est: In priori signo ante processionem Filii, & Spiritus S. Deus cognoscit intime, & comprehensive, ac amat fœcunditatem naturæ divinæ determinatam, ac necessitatam ad gignendum Verbum, & spirandum Spiritum Sanctum: ergo in illo priori jam cognoscuntur, & amantur ipsæ Personæ Filii, & Spiritus S.; videtur enim imperceptibile, quod clare & comprehensive cognoscatur fœcunditas infinita in ordine ad generandum Filium, & spirandum Spiritum, & simul hæ duæ Personæ non percipiantur. Dixi notanter in Responsione: *in Deo*, non: in Patre; sicut enim Pater non præcedit pro signo naturæ Filium, sic neque cognitio Patris Filium in Patre præcedere potest. idem est de reliquis.

523 Objic. contra hanc ultimam Responsionem: Personæ Filii, & Spiritus Sancti pro illo priori non supponuntur esse, & existere; existunt enim per generationem, & spirationem, quæ duæ actiones primum dantur pro signo posteriori: ergo neque pro illo priori possunt cognosci Personæ Filii, & Spiritus Sancti. C. constat; prius enim est esse, quam cognosci.

℟. D. a. Supponuntur tamen pro illo priori jam determinatæ ad existendum c. a. non supponuntur determinatæ ad existendum n. a. Quia creaturæ, quæ in tempore existunt, per decretum divinum sunt ab æterno determinatæ ad existendum, ideo potuit earum existentia ab æterno a Deo cognosci: ergo, quia pro signo ante processionem Verbi, & Spiritus S. pariter natura divina per suam infinitam fœcunditatem jam erat determinata ad productionem utriusque hujus Personæ, inde & pro illo priori jam potuit cognosci, & amari utraque illa Persona,

ſona, videlicet Filius, & Spiritus Sanctus. Ad alias objectiones, & æquivocationes ſolvendas

Nota: Sicut Deus ab æterno cognoſcit creaturas exiſtentes, non autem ut exiſtentes pro æterno: ita & cum proportione Deus cognoſcit Verbum, ejusque exiſtentiam in priori ſigno ante generationem, non autem ut præſuppoſitam pro illo priori ſigno. Ratio utriusque eſt: ideo non poſſunt creaturæ cognoſci ut exiſtentes pro æterno, & per totam æternitatem, quia non exiſtunt ab æterno: & ideo quoque non poteſt cognoſci Perſona Verbi, jam ut præſuppoſita pro priori ſigno ante generationem ſuam, quia pro illo priori ſigno necdum ſupponitur habere eſſe, & exiſtentiam. Cæterum hunc modum loquendi aliunde ex Philoſophia notum ſuppono: quare ulteriore ejus explicatione ſuperſedeo.

℟. 4. Creaturæ ſive poſſibiles, ſive futuræ non ſupponuntur cognoſci, aut amari ante proceſſionem Verbi, aut Spiritus Sancti. Ratio eſt: quia proceſſiones divinæ ſunt operationes ad intra, & cognitio, ac amor creaturarum ſunt operationes ad extra: atqui priores ſunt operationes ad intra, quam illæ ad extra: ergo. 524

Dices: Una, eademque eſt cognitio, qua Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, & attributa, & qua cognoſcit creaturas: ergo ſicut cognitio eſſentiæ, & attributorum præcedit proceſſionem Verbi, & Spiritus S., ita & cognitio creaturarum.

℟. D. a. eſt una, & eadem entitative c. a. terminative n. a. Etſi ſit una cognitio, qua Deus cognoſcit ſe, ac reliqua omnia; hoc tamen non obſtante illa ipſa cognitio prius ad unum objectum terminatur, quam ad aliud: quemadmodum & a parte rei unum objectum petit prius cognoſci, quam alterum.

Articulus III.

An Spiritus Sanctus procedat a Patre, Filioque?

Controverſia hæc præcipua cauſa fuit, ob quam Eccleſia Orientalis, & Græca ab obedientia Eccleſiæ occidentalis, & Latinæ ſe diro ſchiſmate ſubduxit. Hinc operæ pretium erit, ſynoptice deſcribere ejus originem: malaque occaſione ejus in Eccleſia exorta. Et quidem 525

Primus,

Primus, qui aperte negare ausus est, Spiritum S. a Filio, & per Filium procedere, traditur fuisse doctissimus Theodoretus *in refutatione anathematum*, quae Cyrillus scripserat adversus Nestorium c. 9. Illa tamen ipsa refutatio a Concilio Ephesino est rejecta, ut aliena a fide, ipseque Theodoretus anathematizatus: qui tamen paulo post resipiscens, ejurato priori errore, inter Catholicos summo omnium plausu denuo receptus est in Concilio Calcedonensi.

Ast hac ratione non ita extingui potuit erronea illa sententia, ut non aliquas scintillulas sub cineribus quasi latentes relinqueret, quae tandem in apertum incendium, & schisma prorupere Authore Photio, qui ejecto S. Ignatio Constantinopolitano Patriarcha, in ejus sedem, & locum anno 858. intrusus est, hac de causa merito a Nicolao I. Summo Pontifice damnatus. Exinde furens in Romanam Ecclesiam, varias calumnias in eam commentus est, plures ei hæreses objiciens, quas inter primas sibi vendicat, quod Latini, Spiritum S. etiam a Filio procedere, asserant. Photium secuti sunt omnes pœne Græci, erroneam suam opinionem quoad processionem Spiritus Sancti quasi pro thessera habentes, qua inconsutilem Christi tunicam scinderent nefario schismate, ac ab Ecclesiæ veræ unitate recederent. Subinde sæpius tentata est unio inter Latinos, & Græcos, verum nunquam stabiliter introducta; etenim, ut Cardinalis Osius L. *de Communione sub utraque specie* ait, decies & quater rediere ad gremium Ecclesiæ, & toties iterum ab eodem discessere.

Verum, quam male hac in re egerint Græci, probavit lugenda Ecclesiæ Orientalis jactura, & videtur Deus ipse suffragium pro Latinis tulisse; siquidem, cum in Concilio Florentino uniti cum Latinis, ab horum unione iterum se se subtraxissent, instante Marco Ephesino, qui solus eidem Concilio subscribere detrectavit, tunc Constantinopolis expugnata est, & Græcorum imperium disturbatum fuit anno 1452. die 28. Maji, in quem diem inciderat Festum Pentecostes Spiritui S. sacrum. Ita refert P. Frassen juxta celebriores Authores. Spondanus autem apud Herincx ait ad annum 1453. captam esse a Turcis Constantinopolim die 29. Maji, quæ erat Feria 3tia post octavam Pentecostes. Quidquid sit de hoc, satis tamen liquet, Græcos amissa Constantinopoli perfidiæ suæ pœnas dedisse eo justiores, quod paucis ante annis, videlicet anno 1439. in Concilio Florentino Ecclesiæ Catholicæ se conjunxerint. Ex eo tempore, uti in schismate perseverat, ita & durissimam servit sub Saracenis servitutem, ac sine

Rege,

Rege, sine Principe, sine Scholis, & Academiis vivit gens illa, olim doctrina ad invidiam conspicua, sanctitate ad miraculum celebris, ac imperio Gentium Domina: ut verum sit illud Matth. 12. *Qui blasphemiam dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex qua Historia Colligis, hanc controversiam esse dignissimam scitu: quare ea in duos §§os dividetur.

§. I.

An Spiritus S. procedat a Patre Filioque?

Nota: non esse quæstionem, an Spiritus S. procedat ex Patre; id enim ex Conciliis, & authoritatibus obviis est manifestum, ipsaque testatur Scriptura, Joan. 15. de Spiritu S. dicens: *qui ex Patre procedit.* Quare solum indagatur, an etiam ex Filio originetur. H. N.

Assero. Spiritus S. etiam procedit ex Filio. Ita omnes Catholici contra Græcos schismaticos. 526

P. 1. ex S. Scriptura. Joan. 16. v. 14. dicit Christus de Spiritu Sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Item in contextu Christus pergit: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet.* Ex his textibus ita

Argumentor 1. Spiritus S. accipit a Filio: atqui nihil temporale, quod non est divinum, potest a Filio accipere: ergo accipit esse divinum a Filio, & sic procedit, & producitur a Filio.

Argumentor 2. Filius procedit a Patre, quia a Patre accipit esse divinum: atqui etiam Spiritus S. a Filio accipit esse divinum: ergo etiam Spiritus S. a Filio procedit.

Argumentor 3. Verbum *accipiet* in divinis nil aliud, quam processionem significat, quoniam in Evangelio nunquam dicitur Persona hæc ab illa accipere, nisi hæc ab illa procedat: qua de re nunquam legimus, quod Pater aliquid accipiat a Filio, aut Spiritu Sancto: ergo. Ant. non solum constat ex ratione adducta, sed & ex S. Epiphanio, qui in Ancorato ex verbo illo *accipiet,* infert, Spiritum S. etiam ex verbo procedere.

P. 2. iterum ex S. Scriptura. Juxta S. Scripturam Spiritus S. mittitur a Filio: ergo procedit a Filio. A. constat ex Joan. 15. ubi Christus dicit: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.*

Joan. 16. v. 7. ait idem Christus: *mittam eum* (Spiritum Sanctum) *ad vos*. Conf. p. Missio unius Personæ ab alia nequit intelligi, nisi Persona missa a Persona mittente substantialiter procedat: ergo si Spiritus S. mittitur a Filio, tunc etiam procedit a Filio. A. p. 1. Quia S. Gregorius M. Homil. 26. in Evangel. dicit: *Spiritus S. missio est ipsa processio, quia de Patre procedit, & Filio.* 2. Non potest aliter Filius mittere Spiritum Sanctum, quam per processionem; non enim potest eum mittere *per imperium;* cum hoc sonet superioritatem, quæ inter Personas divinas non datur: non *per supplicationem*, aut preces, quæ indicant ex parte supplicantis inferioritatem, iterum non possibilem inter Personas divinas: neque *per consilium;* cum uterque æquali modo sit sapiens: neque *per aliam rationem* excogitabilem, quam per processionem: ergo.

P. 3. Ex Conciliis in Græcia celebratis. Sic in Concilio Ephesino, quod est generale III., lecta, & approbata a tota Synodo est Epistola, quam S. Cyrillus nomine Concilii Alexandrini scripserat ad Nestorium. Exstat illa Epistola in Concilio Ephesino t. 1. c. 14. in quo dicitur de Spiritu S. *Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. unde & ab isto* (nempe Christo) *similiter, sicut ex Deo* Patre procedit. Eadem Epistola approbata fuit a quibusdam aliis Conciliis generalibus pariter in Oriente celebratis, prout referunt Frassen, & Herincx.

Accedunt Concilia Latina, quæ hanc ipsam veritatem definierunt. ut Lateranense sub Innocentio III. præsentibus etiam Græcis, & consentientibus. Item Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in quo pariter præsentibus, & consentientibus Græcis hæc res iterum est definita, terque græce, terque latine cantatum est Symbolum cum additione, & expressione illa: *ex Patre, Filioque procedit.* Rursus idem decisum est in Concilio Florentino post longam cum Græcis habitam disputationem, iisdem denuo subscribentibus. Id ipsum docet Tridentinum sess. 3. in Confessione Fidei: ergo nemo vere Fidelis dubitare potest de hac veritate.

P. 4. Ex PP. *tum* Græcis, ut Athanasio in suo Symbolo: *Spiritus S. a Patre, & Filio.* Epiphanio jam supra cit. & hæresi 62. *Ex Patre, & Filio, cum Patre & Filio semper in substantia Spiritus Sanctus.* Cyrillo Alexandrino L. 13. *Thesauri. Necesse est, omnino confiteri, Spiritum S. ex substantia Patris, & Filii esse.* Nazianzeno Orat. in Pentecoste. ubi ait: *Omnia, quæcunque Pater habet, sunt Filii, præterquam*

terquam quod ingenitus non ſit: ergo ex mente S. Nazianzeni Filius habet vim ſpirandi, & ſpirat ſicut Pater. S. Chryſoſtomo Hom. 1. *de Symbolo*, qui dicit: *Iſte eſt Spiritus procedens de Patre & Filio, qui dividit ſingulis dona, prout vult.* & Hom. 2. *Iſtum Spiritum Sanctum dicimus - - procedentem de Patre, & Filio.* Tum Latinis: ut Auguſtino L. 4. *de Trinit.* c. 20. *Nec poſſumus dicere, quod Spiritus S. a Filio non procedat.* & S. Hilario, qui L. 8. aſſerit, Spiritum Sanctum *a Filio accipere*, idem eſſe, ac Spiritum S. procedere a Filio. Tandem ex aliis innumeris Eccleſiæ Latinæ Patribus.

P. 5. Ratione Scoti 1. d. 11. q. 1. Suppoſitum habens perfectum principium productivum alicujus termini, antequam talis terminus intelligatur productus, poteſt illo principio uti, & illum terminum producere: atqui Filius divinus habet voluntatem, quæ eſt principium perfectum productivum Spiritus Sancti, & quidem hanc voluntatem habet pro priori ſigno, antequam intelligatur Spiritus Sanctus productus: ergo Filius divinus poteſt uti voluntate, & per eam producere Spiritum Sanctum. M. videtur certa, & probabitur in Confirmatione. m. p. Prius agit intellectus, quam voluntas: ergo pro priori ſigno per intellectum gignitur Filius divinus, antequam ſpiret voluntas Spiritum Sanctum, adeoque pro priori ſigno, antequam intelligitur Spiritus Sanctus productus tanquam terminus voluntatis divinæ, jam exiſtit Filius divinus per generationem, per quam jam pariter pro illo priori ſigno accipit naturam divinam cum omnibus perfectionibus divinis, conſequenter & cum voluntate: adeoque Filius divinus habet voluntatem prius, quam ſpiretur Spiritus Sanctus.

Confirm. Quia Filius, & Spiritus Sanctus voluntatem, tanquam principium productivum creaturarum, habent pro priori, antequam intelligantur creaturæ productæ, ideo etiam per voluntatem producunt creaturas: ergo, quia Filius habet voluntatem productivam Spiritus Sancti, antequam hic intelligatur eſſe productus, ideo Filius quoque producet Spiritum Sanctum.

Adducunt alii alias rationes, quæ tamen nihil probant. Sic dicit D. Thomas, ideo procedere Spiritum S. a Filio, quia alias non diſtingueretur realiter a Filio. At hanc rationem nihil probare, oſtendet Art. ſequens §. I. Idem ait, quod etiam in creatis a verbo producatur amor: quod iterum negatur.

Objic. 1. S. Scriptura Joan. 15. item Symbolum Conſtantinopolitani Concilii dicunt tantum de Spiritu Sancto: *qui a Patre procedit:* 527

dit: ergo Spiritus S. non procedit a Filio. ℞. 1. cum D. Anſelmo L. de proceſſione Spiritus S. n. conſ. aſſerendo enim, Patrem eſſe productivum Spiritus Sancti, non propterea negatur, Filium eſſe productivum Spiritus Sancti; quia affirmatio unius non eſt negatio alterius, niſi in iis, quæ ſunt incompoſſibilia.

℞. 2. cum D. Auguſtino L. 15. de Trinit. c. 17. Ideo ſolum mentionem fieri Patris, quia Pater eſt quaſi principaliter & primario principium ſpirans Spiritum Sanctum; nam Pater habet vim ſpirandi a ſe, non item Filius, qui vim ſpirandi a Patre accepit: adeoque Filius eſt tantum principium ſecundum ſaltem origine.

Ita quoque explicandi ſunt SS. PP., præſertim S. Dionyſius, dum dicit: ſolum Patrem eſſe fontem divinitatis. Item S. Damaſcenus L. 1. de Fide. c. 2. dicens: *Spiritum Sanctum ex Patre dicimus, ex Filio non dicimus.* ℞. enim, Patrem eſſe ſolum fontem, & principium primum divinitatis communicatæ. Item: Spiritum S. non eſſe ex Filio tanquam principio primo, & tali, quod eſt a ſe, & improductum: non negant autem hi, & alii ita loquentes Patres, Spiritum S. eſſe a Filio tanquam ſecundo principio. Ita eos exponit Beſſarion Cardinalis Græcus in Oratione, quam in Concilio Florentino græco idiomate habuit, & ipſe poſtmodum latinitate donavit c. 6.

Dum S. Damaſcenus l. 1. de fide. c. 7. ait: quod Spiritus Sanctus *ex* Patre *per* Filium procedat: vult per particulam *ex* indicare cauſam, & principium ſine principio, & per particulam *per* cauſam, & principium ſecundum, ſeu productum ab alio principio. Deinde tam particula *ex*, quam *per* fatentibus Græcis in Florentino indicat principium.

Objic. 2. In Concilio Epheſino Patres non reprehenderunt Neſtorium, qui affirmabat Spiritum S. eſſe a ſolo Patre: ergo. ℞. N. c. Patres enim ſuo ſilentio tunc non approbarunt hanc doctrinam, quia tunc non agebatur de proceſſione Spiritus Sancti, ſed de nomine Deiparæ, & de unica Perſona Chriſti in duabus naturis. Deinde ſatis ſe declararunt Patres, approbando in eodem Concilio Epiſtolam S. Cyrilli, in qua expreſſe aſſerit, Spiritum S. procedere a Filio.

Objic. 3. Pater unus eſt ſufficiens principium Spiritus Sancti: ergo non requirit auxilium Filii. ℞. 1. Retorq. Argum. Pater ſolus eſt ſufficiens principium mundi, & creaturarum: ergo non requirit auxilium reliquarum Perſonarum: ergo ſolus Pater creat, non autem reliquæ Perſonæ.

℞. 2.

℟. 2. Patrem ſpirare cum Filio non ideo, quaſi ex ſe non eſſet ſufficiens, & indigeret Filio: ſed ideo, quia ambo habent eandem vim ſpirativam. Ideo quoque tres Perſonæ ſimul creant creaturas, quia omnes tres habent eandem potentiam creativam.

Dices: Spiritus S. eſt unus: ergo & unum habet principium: ergo ab una tantum Perſona procedit. ℟. 1. Retorq. Mundus eſt unus: ergo ab una tantum Perſona creatur. ℟. 2. N. ult. conſ. Ratio jam patet; quia non unitas Spiritus S., ſed unitas principii *quo* necdum habentis terminum ſuum productum, hic penſari debet, ut patet ex immediate dictis.

§. II.

Reſolvuntur varia huc facientia.

Quæres 1. An Symbolo Conſtantinopolitano rite fuerit adjecta illa particula: *Filioque?* Ante reſponſionem Nota Symbolum Conſtantinopolitanum de proceſſione Spiritus Sancti tantum dicere: *qui ex Patre procedit:* huic autem Symbolo poſt aliquod tempus eſſe adjectum: *qui ex Patre,* NB. *Filioque procedit.* Eſt autem Symbolum Conſtantinopolitanum, quod in Miſſa plurimis feſtis dicere, & cantare ſolemus poſt Evangelium. H. N. 528

℟. affirmative. Ratio eſt: quia hæc particula adjecta nil continet contra fidem, imo fidei dogmata clarius explicat. 2. Id patet ex Florentino, ubi in Literis unionis, ſubſcribentibus etiam Græcis, in ſequentem modum deciſum eſt: *Definimus, explicationem Verborum illorum:* FILIOQUE, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe additam.*

Dices: Quatuor Concilia prima generalia, quæ apud Græcos celebrata ſunt, nunquam addunt hanc particulam: *Filioque*, & ſimul Concilium Epheſinum Act. 6. ſub anathemate prohibuit, *ne altera fides proferatur* (ſeu quidquam Symbolo addatur) de SS. Trinitate, quam illa, quæ in Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano continetur: ergo nos Latini, addentes particulam: *Filioque*, agimus contra præfata Concilia, & ſumus rei anathematis. Ita Græci. 529

℟. Non eſſe ibi prohibitam, nec potuiſſe prohiberi additionem legitime factam, & magis explicativam myſteriorum Fidei. Quare ibi vetatur ſola additio, attentanda ſine legitima authoritate, & ta-

 lis,

lis, quæ immediate oppofitam doctrinam traderet præfatis Conciliis, & Symbolo. Deinde, quod Ephefina Synodus prohibuerit, ne Symbolo quidquam adderetur, aut, prout fonant Canonis verba, *altera fides*, feu fidei profeffio, *proferatur*, id factum eft unice occafione Symboli Neftoriani, quod Charifius Presbyter obtulerat, quodque a fuis fubfcribi volebat Neftorius: quam temeritatem voluit hoc decreto reprimere Sacra Synodus, prohibens omnem additionem, & explicationem avitæ fidei contrariam, feu ne fides altera, & contraria, ac oppofita iis, quæ a PP. Nicænis definita erant, proponatur: non autem, ut altera explanatio, vel expofitio conformis doctrinæ fidei haud addatur, eft vetitum. Id, quod patet ex eo, quod profeffionem fidei, quam in fignum concordiæ Joannes Antiochenus poft reftitutam pacem mifit ad S. Cyrillum, quamvis multa Symbolo adderet majoris explicationis gratia, benigne tamen, & cum laude fufceperit S. Cyrillus: quod utique non feciffet, fi omnis, & quævis fidei expofitio fuiffet a PP. Ephefinis prohibita. Ulterius

Contra Græcos fic argumentor 1mo. Symbolo Nicæno recte Synodus Conftantinopolitana adjunxit: *qui ex Patre procedit:* quia nempe tunc temporis neceffitas exigebat contra Macedonianos, afferentes, Spiritum S. effe creaturam immediate a Filio factam: ergo etiam Ecclefia fucceffu temporis ob varias emergentias, vel ob veritatem magis declarandam potuit adjungere Symbolo Conftantinopolitano: *Filioque.*

Argumentor 2. Hæc additio: *Filioque*, reperitur in Symbolo fecundæ Synodi Nicænæ, feu feptimæ generalis, pariter apud Græcos celebratæ, juxta vetuftiffimum codicem manufcriptum, cujus corruptionem nemo poteft fufpicari, ut arguit Julianus Cardinalis feff. 5. Florent. in fine.

Porro, quamvis non recte conftet, quo tempore hæc additio fuerit facta, eam tamen rationabiliter, & licite effe factam, demonftrat Traditio, & declaratio Ecclefiæ, in qua etiamnum eft eadem infallibilitas, & poteftas, quæ fuit tunc, dum Concilia generalia in Græcia funt celebrata. Videantur dicta Tom. I. de Prolegomenis, ubi expenditur hiftoria de origine hujus additionis. Ex his

Colligis, quam turpiter errarit Michael Patriarcha Conftantinopolitanus, qui eo impudentiæ devenit, ut publice jactaret, Pontificem Romanum effe excommunicatum ex eo, quod in Symbolo Nicæno addiderit: *Filioque.* Juvat etiam eruditionis caufa hic adnectere,

ctere, quæ S. Pontifex Benedictus XIV. Tom. XVI. Bullarii Luxenburgi editi anno 1748. Bulla 57. *Etsi Pastoralis.* §. 1. adducit: videlicet, quod Græci, & Albanenses Græci ritus integre, firmiterque credere, & affirmare teneantur: „ Quod Spiritus S. a Patre, & Fi- „ lio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens ha- „ bet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam „ ab uno principio, & unica spiratione, procedit: Et quod ea Ver- „ borum illorum: *Filioque:* explicatio, veritatis declarandæ gratia, „ & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuit „ apposita.

„ Etsi autem Græci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum „ Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; „ contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Græci ritus laudabili- „ ter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus, aliisque quibus- „ cunque, in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam a „ Græcis Presbyteris aliarum quarumcumque regionum commoran- „ tibus in Italia, ejusque Insulis adjacentibus, si ab Ordinariis Lo- „ corum, vel ob suspicionem hæresis, vel ob scandalum, vel ob a- „ liam justam causam requisiti fuerint, particulam illam: *Filioque:* „ in Symbolo pronunciari præcipimus, ac mandamus. „ Hucusque laudata Bulla. Et

Licet jam plura dixerim in Tom. 1. de Prolegomenis de adjectione in Symbolo facta: *Filioque:* & originem illius explicarim, tamen abs re non erit hic adjungere, quæ D. Gallus Cartier Tom. 2. Theologiæ Universalis tr. 1. part. 2. de Deo c. 1. summarie refert n. 452. quibus recapitulantur mea in Tomo 1. dicta. ibi: „ Probabilior no- „ bis videtur illorum sententia, quæ statuit, additionem illam primo „ in Hispaniæ Ecclesiis ineunte sæculo quinto obtinuisse; enimvero „ in Conciliis Toletano I. Bracarensi I. & Hispalensi eadem extat. „ Tum in Galliam, & Germaniam sæculo saltem octavo dimanasse, „ prout patet ex Conciliis Francofordiensi anno 794. & Forojuliensi, „ in quibus additio recepta, & probata fuit. Ibi postquam observa- „ ta fuere ea, quæ Patres Constantinopolitani Symbolo Nicæno ad- „ didere, dicitur: *Sed & postmodum, propter eos videlicet hæreticos,* „ *qui susurrant, Spiritum S. solius esse Patris, & a solo Patre proce-* „ *dere, additum est, qui ex Patre, Filioque procedit.* Ac tandem a sum- „ mo Pontifice Nicolao I. confirmatam fuisse; cum antea Sancta Se- „ des, quamvis & illius, & totius Ecclesiæ Latinæ fides esset, Spi-

„ ritum

„ ritum Sanctum æque a Filio ac Patre procedere, hanc additionem „ Symbolo fieri non consensisset, ex prudenti Oeconomia, ne videlicet Græci ab ipsa se contemni quererentur, atque in apertum schisma erumperent; prout re ipsa post Nicolai I. confirmationem additionis hujus factam, authore Photio Patriarcha Constantinopolitano, qui eam additionem Nicolao I. objicit, tanquam enorme crimen, quam criminationem diluit Ratramnus Corbejensis lib. 2. c. 2. Eam quoque additionem a Nicolao I. confirmatam fuisse memorat S. Antoninus part. 3. tit. 22. Quæ deinde in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. & in Florentino anno 1439. utriusque Ecclesiæ consensu promulgata, & acceptata fuit. „

530 Quæres 2. An Pater, & Filius sint unum, vel duplex principium respectu Spiritus Sancti? R. Eos esse tantum unum principium quod Spiritus Sancti. Ratio est 1mo. Quia Concilium Lugdunense cap. Un. *de Summa Trinitate.* in 6. definit, *quod Spiritus S. ex Patre, & Filio, non tanquam duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat.* 2do. Tres Personæ sunt unum principium, & unus Creator creaturæ: ergo & Pater, ac Filius sunt unum principium Spiritus Sancti. 3tio. Ideo tres Personæ sunt unus Creator, unus Deus, quia potentia creativa, & Deitas est una, & indistincta in tribus Personis: atqui vis spirativa, seu voluntas est etiam una, ac indivisa in Patre, & Filio: ergo etiam Pater, & Filius sunt unum principium spirativum, & unus *Spirator.* 4to. Principium spirativum Spiritus Sancti, seu Spirator est concretum substantivum, & concretum substantivum non multiplicatur, nisi multiplicetur forma specialiter per illud significata. Sic Deus tantum est unicus; quia forma per concretum *Deus* principaliter significata, scilicet Deitas, est tantum una: atqui forma per concretum hoc *Spirator* principaliter significata est tantum unica, & non multiplicatur; etenim illa forma nil aliud est, quam unica & indivisa voluntas; in Patre, & Filio existens, utpote quæ est virtus, & potentia spirandi: ergo. Ex his

531 Colliges 1. Procedere Spiritum Sanctum a Patre, & Filio tanquam uno principio quod, quia procedit ab eis, in quantum sunt unum, seu quatenus est in eis una, indivisa fœcunditas voluntatis.

Colliges 2. Dum dicimus, Patrem esse quasi primum, & Filium esse secundum principium Spiritus Sancti, nos non velle, quod

Pater,

Pater & Filius sint duo principia: sed quod Patri primo, & a se, Filio autem non a se, sed ut procedenti a Patre competat vis spirativa, & ratio principii.

Colliges 3. Idem significare apud Theologos principium spirativum, & Spiratorem: adeoque, sicut unum est principium spirandi, sic unum esse Spiratorem.

Colliges 4. Licet unus sit Spirator, duos tamen esse *spirantes.* Ratio est: quia τὸ *spirans* est concretum adjectivum: atqui concreta adjectiva multiplicantur juxta multiplicationem suppositorum: ergo, quia duo supposita, vel duæ Personæ sunt, quæ spirant, ideo etiam recte dicuntur duo spirantes. Sic pariter non possunt dici tres Creatores, tres Dii: bene autem tres Divini, & tres creantes; quia *Deus, Creator* sunt concreta substantiva, τὸ *Divinus* vero, & ly *creans* sunt adjectiva. Idem judicium est de concreto *spirans.* Ratio rationis: quia duo *Spiratores* multiplicarent virtutem spirandi: contra duo *Spirantes* tantum multiplicant supposita habentia vim, & actionem spirativam. Non abs re puto fore, si hic quoque advertatur, Patrem qua Genitorem, & qua Spiratorem non esse duplex principium; etsi enim virtus generandi, & virtus spirandi sit ex natura rei formaliter distincta, & suo modo dualitatem faciat, non tamen multiplicat suppositum Patris: atqui ad multiplicationem concretorum substantialium non sufficit sola multiplicatio formæ, sed requiritur quoque multiplicatio suppositorum: ergo. Cæterum hic notet Theologus, quod de rebus fidei loquendum sit terminis communiter usitatis, & in significatione usitata.

Colliges 5. Esse pariter tantum unam actionem spirativam in Patre, & Filio; id enim eruitur ex Concilio Lugdunensi cit. & suadet ratio: quia actiones non multiplicantur, nisi multiplicentur principia, aut termini: atqui unum tantum est principium respectu actionis spirativæ, nimirum Spirator, & unus tantum terminus, scilicet Spiritus Sanctus: ergo.

Colliges 6. Concretum *Spirator*, vel *principium spirativum* determinate importare virtutem spirativam, vage autem supponere pro Persona. Dixi: *vage*, id est, pro hac, vel illa, una, vel duplici, sive Pater sit, sive Filius, sive uterque, sive unus tantum ex ipsis. Ratio est: quia una tantum est virtus spirandi: ergo Spirator non potest supponere nisi pro una determinata virtute spirandi. Ratio 2di est: quia Spiritus S. ex se, & sua intrinseca vi tantum exigit spirari a

Perfona, quæ habet vim fpirativam, quæcunque demum fit. Unde hoc prædicatum *Spirator* non folum poteft affirmari de Patre, & Filio conjunctim, fed & de fingulis feorfim. Ita non tantum recte dico: *Pater, & Filius funt Spirator*, verum &: *Pater eft Spirator* &c.

Colliges 7. Spiritum S. procedere neceffario a Patre, & Filio. Ratio eft: 1mo. Quia in Deo omnes operationes ad intra funt neceffariæ. 2do. Quia Pater communicat Filio totam fuam vim fpirativam in inftanti priori, quam fpiret: ergo Filius neceffario in inftanti pofteriori fpirat cum Patre.

Colliges 8. Spiritum Sanctum non exigere ex fua ratione formali, ut procedat a Patre, & Filio, feu Spiritum Sanctum adhuc fuiffe futurum eundem, qui nunc eft, etfi tantum proceffiffet ab una Perfona. Ratio eft 1mo, quia in una Perfona, v. g. in Patre, eft ita adæquata vis fpirandi, ficut in duplici: ergo fi per impoffibile folus exifteret Pater, non autem Filius divinus, tunc folus Pater poffet fpirare Spiritum Sanctum æque perfectum, ficuti nunc eft. 2do. Quod de facto Spiritus Sanctus neceffario fpiretur a duobus fuppofitis, non eft ex ratione intrinfeca Spiritus Sancti, fed tantum extrinfece fe habet: quia nempe Spiritum Sanctum præcedunt duæ Perfonæ, habentes eandem virtutem fpirativam: ergo fi per impoffibile tantum una Perfona præcederet Spiritum Sanctum, & ea polleret virtute fpirativa, poffet & illa una fpirare Spiritum Sanctum: ficut de facto una Perfona Patris generat Filium, quia illa fola præcedit Filium.

Colliges 9. Patrem, & Filium in hoc fpirare uniformiter Spiritum Sanctum, quia per eandem virtutem, ac per eandem actionem fpirant: in hoc difformiter, quia Pater virtutem, & actionem fpirandi habet a fe, Filius vero non a fe, fed a Patre.

Colliges 10. Spiritum Sanctum non procedere per voluntatem Patris, & Filii ut *concordem*, & *mutuam;* quia concordia illa fupponeret dualitatem in voluntate, & potentia fpirativa; concordia enim inter plures eft. Si tamen aliqui PP. ita loqui videntur, tunc illa concordia non ad voluntatem, fed ad Perfonas fpirantes, quæ funt plures, eft referenda.

Articu-

Articulus IV.

Per quid diſtinguatur Filius a Spiritu Sancto.

§. I.

Notanda, & Concluſiones.

Certum eſt, quod defacto Filius divinus diſtinguatur a Spiritu Sancto, quia Filius producit, & ſpirat Spiritum Sanctum; nam inter producens, & productum debet neceſſario dari realis diſtinctio, ut jam ſæpius eſt inſinuatum. Proinde 532

Sola remanet quæſtio hic agitanda, an ſola ſpiratio, & productio activa ſit ratio formalis, ultima & unica Filium divinum diſtinguendi realiter a Spiritu Sancto, ita quidem, ut ſi per impoſſibile Spiritus Sanctus a ſolo Patre, non autem a Filio ſpiraretur, tunc is nullatenus amplius a Filio realiter diſtingueretur?

Controverſiæ huic originem dedit D. Thomas 1. parte. q. 36. art. 2. ubi, ut contra Græcos S. hic Doctor probaret, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, hac ratione uſus eſt, nimirum quia Spiritus Sanctus non diſtingueretur realiter a Filio, ſi ab ipſo non procederet, & ſpiraretur. Aſt Doctor Subtilis hanc rationem infirmam agnoſcit, & ait, Spiritum Sanctum adhuc realiter diſtinguendum fore a Filio divino, etſi per impoſſibile non procederet a Filio. Ex quo

Colligis: Godefredum non bene ſenſiſſe, dum hanc quæſtionem inutilem, & indignam reſolutione aſſeruit ex ea ratione, quia controverſia hæc ſupponit hypotheſin impoſſibilem; etenim ex una parte licet argumentari ex hypotheſi per impoſſibile, ut ex Philoſophia, & Theologia patet, ac ipſe S. Auguſtinus fecit, dum ſcribens de SS. Trinitate aſſeruit, quodſi Pater divinus per impoſſibile Filium non genuiſſet, nihil tamen prohiberet eum dici ingenitum: ex altera parte quæſtio hæc multum ſervit ad indagandum, quænam ſit unica, vel ſaltem formalis ratio diſtinguendi Spiritum Sanctum. Porro

Nota, duplicem eſſe relationem in Filio, nempe *Filiationem*, qua in eſſe Filii, & Perſonæ conſtituitur, & inſuper *Spirationem activam*, quæ Filio in eſſe ſuo jam conſtituto ſupervenit, & per quam Spiritum Sanctum producit. H. N.

 Aſſe-

533 Assero: Spiratio activa non est unica formalis ratio realiter distinguendi Filium Divinum a Spiritu Sancto: adeoque si per impossibile Filius divinus non spiraret Spiritum Sanctum, tamen Filius divinus realiter a Spiritu Sancto distingui deberet. Hæc est Doctoris nostri genuina sententia 1. d. 11. q. 2.

P. 1. ex Anselmo, qui Tractatu de processione Spiritus Sancti contra Græcos expressissime nostram tenet sententiam: cujus authoritas hac in parte est maxima, quia ejus doctrinam de Spiritu Sancto Urbanus II. cum universo Patrum cœtu, & applausu probavit in Concilio Barrensi. Igitur plures textus ex illo afferam.

Cap. 2. ait: *Quoniam Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processione referuntur ad invicem, ut diversi, & alii ab invicem.* Per *processionem* hic intelligit spirationem, seu originem Spiritui Sancto propriam, prout sæpius faciunt Patres.

Iterum ibi dicit: *Filius autem (ut interim aliam taceam causam, quoniam nondum constat, quod Spiritus Sanctus de ipso sit, & procedat) ideo non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus Sanctus autem non nascendo, sed procedendo.* En! clare indicat, quod adhuc Filius realiter deberet distingui a Spiritu Sancto, etsi Spiritus Sanctus non esset a Filio productus.

Cap. 3. de Filio, & Spiritu Sancto rursus hæc scribit: *Alii sunt ab invicem per hoc, quod dictum est, ut puta, quia alter nascitur, alter vero procedit,* seu spiratur. Propterea cap. 4. concludit: *Si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi, scilicet quia alter nascendo, alter existit procedendo,* id est, per spirationem. Ex hac authoritate

Deduces 1. Filium, & Spiritum Sanctum ideo inter se realiter distingui, quia Filius divinus est genitus, & producitur per actionem generativam, & Spiritus Sanctus est spiratus, & producitur per actionem spirativam.

Deduces 2. Hanc rationem solam sufficere ad inferendam realem distinctionem inter præfatas Personas, etsi per impossibile nullum aliud distinctionis signum esset, id est, etsi Spiritus Sanctus non procederet, aut produceretur a Filio.

Porro S. Anselmus ita clarus est quoad hoc punctum, ut etiam non pauci ex AAriis, ut Suarez, Vasquez, & alii ingenue fateantur, eum stare a nostra sententia.

Neque

Neque obstat, quod dicat sanctus hic Doctor c. 3. *cum autem apparebit, quia Spiritus Sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius.* Nam per citata verba tantum indicat, quod & processio Spiritus Sancti a Filio sit aliquod signum realis distinctionis harum duarum Personarum, licet hoc non sit unicum, nec primum, ac formale.

Sententiam nostram cum S. Anselmo alii quoque PP. sustinent, ut D. Augustinus l. 5. de Trinitate c. 14, ubi dicit, ideo Spiritum Sanctum non esse Filium, *quia exit non quomodo natus, sed quomodo datus:* ergo. Accedit etiam S. Thomas quodl. 4. art. 3. dicens, quod etiam Filius a Spiritu Sancto distinguatur filiatione : *quod Spiritus Sanctus non habet filiationem, quam habet Filius:* ergo ipsa filiatio, & non sola spiratio activa est ratio distinguens realiter Filium a Spiritu Sancto.

P. 2. Filius divinus per illud primario distinguitur realiter a 534
Spiritu Sancto, per quod in esse Filii formaliter, & primario constituitur: atqui Filius divinus in esse Filii non primario, & formaliter constituitur per spirationem activam, sed per filiationem : ergo etiam Filius divinus primario non distinguitur realiter a Spiritu Sancto per spirationem activam, sed per filiationem. Posito igitur, quod per impossibile Filius adhuc maneret Filius, etsi non haberet spirationem activam, tamen adhuc realiter distingueretur a Spiritu Sancto, quia haberet in se adhuc aliam, & quidem primariam rationem hujus distinctionis, nempe filiationem. M. constat ex illo axiomate : quia idem est primario distinctivum, quod est formaliter constitutivum alicujus rei.

P. 3. Distinctio personalis est immediate, ac formaliter a proprietate personali : atqui actio spirativa in Filio non est proprietas personalis, seu Personæ constitutiva, ut supra probatum est n. 496. ergo distinctio realis inter Personas Filii, & Spiritus Sancti non immediate, & formaliter provenit a spiratione activa.

P. 4. Filius divinus in ratione Personæ constituitur formaliter defacto per filiationem, & Spiritus Sanctus per spirationem passivam: ergo & defacto primario, & immediate Spiritus Sanctus, & Filius divinus distinguuntur realiter propter filiationem, & spirationem passivam; non autem propter spirationem activam Filio in esse Personæ jam constituto supervenientem. Ant. sæpius jam est inculcatum. Conf. per

se patet; si enim in ratione Personae constituuntur per filiationem, & spirationem passivam, tunc & per easdem redduntur incommunicabiles, seu incompossibiles in eodem supposito; incommunicabilitas enim in eodem supposito est de ratione essentiali duarum Personarum, & personalitatum diversarum.

P. 5. Ex hypothesi, quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tunc Pater adhuc generaret, & spiraret: atqui illud, quod generaretur, deberet realiter distingui ab eo, quod spiraretur: ergo adhuc in data hypothesi essent duae Personae productae, realiter distinctae, quia una foret genita, altera spirata. M. patet; quia etiam in Patre solo est completa vis generandi, & spirandi: ergo non est ratio, cur non & ipse etiam posset exercere totam actionem generativam, & spirativam. m. prob. generatio, & spiratio activa, etsi essent a solo Patre, tamen essent duae actiones adaequatae, & sic quaelibet haberet suum terminum, & illi termini non possent esse una res; secus enim una, & eadem res, vel Persona produceretur per duplicem actionem adaequatam, quod est impossibile: ergo terminus ille, qui generaretur, deberet distingui a termino illo, qui spiraretur.

Dices: In data hypothesi impossibili generationem, & spirationem non posse esse duas actiones adaequatas. *Contra est:* In data hypothesi manerent principia productiva harum actionum aeque infinite perfecta, ac nunc sunt, nempe in Patre foret adhuc intellectus infinite perfectus, & voluntas infinite perfecta: ergo haec principia, stante etiam praefata hypothesi, requirerent duos distinctos terminos infinitos, & adaequatos, consequenter & duas actiones adaequatas.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

535 Objic. 1. Concilium Toletanum I. dicit: *Credimus in Spiritum Sanctum, qui nec Pater, nec Filius, eoquod a Patre, Filioque procedat:* ergo Spiritus Sanctus ideo solum distinguitur a Patre, & Filio, quia procedit a Patre, & Filio.

℞. 1. N. a. nam Concilium non dicit, *eoquod a Patre, Filioque procedat;* sed sic habet. *Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre, Filioque procedens.* Ita summa Conciliorum

ciliorum collecta per Bartholomæum Caranzam. Verum tali ratione Concilium nihil habet contra conclusionem.

℟. 2. Concilium tantum referre unam causam distinctionis, non tamen omnem: cum Spiritus Sanctus, & Filius præterea etiam distinguantur ratione filiationis, & spirationis passivæ. Ita plures aliæ authoritates explicari possunt.

Objic. 2. Concilium Toletanum II. de Personis divinis ait: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt:* atqui Filius tantum est ad Spiritum Sanctum per spirationem activam; per hanc enim solummodo respicit Spiritum Sanctum, tanquam terminum a se spiratum: ergo & Filius tantum distinguitur a Spiritu Sancto propter spirationem activam, non autem propter filiationem, utpote per quam non ad Spiritum Sanctum, sed ad Patrem refertur. 536

℟. 1. Concilium velle, quod pluralitas Personarum solum desumatur ex prædicatis relativis, & non ex absolutis. Idem indicat præfatum Concilium per verba immediate præcedentia: *In relatione Personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur.*

℟. 2. Dist. Authoritatem Concilii: In hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, seu, quod quælibet Persona respiciat aliquam aliam qualemcunque Personam *conc.* quod respiciat determinate illam, a qua distinguitur *neg.* Sic etiam Spiritus Sanctus, posito, quod non spiraretur a Filio, tamen adhuc referretur ad aliquam Personam nempe ad Patrem tunc unice spirantem, quem respiceret.

Dices: Juxta PP. processio unius Personæ ab alia est ratio distinguendi realiter unam Personam ab alia: ergo. ℟. Iterum D. a. sicut prius: processio unius Personæ ab alia qualicunque c. a. ab illa ipsa determinate, a qua distinguitur n. a. SS. PP. & Concilia, dum ita loquuntur, volunt tantum, quod processiones activæ, & passivæ sint rationes distinguendi mutuo Personas: atqui in nostra quoque hypothesi Filius, & Spiritus Sanctus adhuc differrent per origines, & processiones saltem passivas, scilicet per filiationem, & spirationem passivam.

Objic. 3. In Concilio Florentino sess. ult. §. *quoniam Græci nos calumniantur*, habetur: *Credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, ac con-* 537

sequenter

sequenter eum esse Filium: ergo si Spiritus Sanctus non procederet ex Filio, non distingueretur a Filio, sed esset ipse Filius.

℟. 1. Hic textus est male citatus, adeoque nihil contra nos probat: in Concilio enim non legitur: *consequenter eum esse Filium*, sed: *consequenter non esse Filium.*

℟. 2. Hi omnes textus, quos A Arii contra nos ex Florentino afferunt, nihil faciunt ad rem; non enim sunt decisiones, & definitiones Concilii, sed tantum sententiæ Doctorum, & Theologorum, quæ ibi disputationis gratia sunt propositæ. Decisiones autem, & Definitiones hujus Concilii continentur in unica Bulla Eugenii, seu Literis Unionis: ex qua tamen Bulla nec verbulum contra nostram doctrinam quis afferre poterit.

Hoc bene notet Scotista, nec statim terreatur ab Adversario, si percipiat, quod aliquis textus contra hanc nostram Conclusionem, vel contra distinctionem Scotisticam ex Florentino afferatur; omnes enim isti textus nihil convincunt, cum non sint desumpti ex Bulla Unionis, sed ex disputationibus, & actionibus illam præcedentibus, quæ non sunt acceptatæ, aut approbatæ a Concilio ut aliquæ decisiones, definitiones, aut regulæ fidei. Imo testatur Bartholomæus Caranza Dominicanus, & Thomista in *summa Conciliorum*, Disputationes Theologorum in Concilio Florentino solam contentionem inter Græcos, & Latinos peperisse, ut Patres Concilii coacti fuerint cessare a disputatione &c. ubi autem res tractata est sine controversia, ibi factam esse unionem.

538 Objic. 4. Juxta D. Anselmum *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio:* atqui filiatio non opponitur spirationi passivæ relativæ: ergo Filius per filiationem non distinguitur a Spiritu Sancto. m. constat; quia Filius per filiationem tantum opponitur suo correlativo, seu Patri.

℟. S. Anselmum per *τὸ oppositio relationis*, non intelligere tantum duas correlationes relative oppositas, sed omnes relationes *incompossibiles*, ac repugnantes in eodem supposito. Proinde *τὸ oppositio* idem sonat, ac repugnatio, seu incompossibilitas relationum in eodem supposito: atqui & Filiatio, ac spiratio passiva sunt duæ relationes incompossibiles in eodem supposito, ut dictum est: ergo. Insuper D. Anselmum nihil habere contra nos, imo nostram tenere sententiam, patet ex probatione 1ma conclusionis. Denique axioma illud ex Anselmo desumptum posset verificari de facto, non autem de casu impossibili.

ſibili. Sic utique defacto inter omnes Perſonas intercedit relationis oppoſitio, nempe oppoſitio producentis, & producti.

Dices: Filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt tantum duæ relationes diſparatæ: atqui relationes tantum diſparatæ non ſunt incompoſſibiles in eodem ſuppoſito: ergo. M. eſt certa; quia non ſunt relationes oppoſitæ: ergo tantum diſparatæ. m. p. ſpiratio activa, & generatio activa non ſunt imcompoſſibiles in eodem ſuppoſito, quia tantum ſunt duæ relationes diſparatæ: ergo & relationes diſparatæ non ſunt incompoſſibiles in eodem ſuppoſito.

℞. N. m. univerſaliter prolatam. ad prob. D. a. quia ſunt relationes diſparatæ, quæ ſunt meræ productiones activæ c. a. quæ ſunt productiones paſſivæ, & totales n. a. & d. c. ergo & relationes diſparatæ &c. ſi ſint meræ actiones c. c. ſi ſint productiones paſſivæ, & totales, uti ſunt ſpiratio paſſiva, & filiatio n. c. Vide num. 494.

Petes: Quale ergo ſignum diſtinctionis realis daretur inter Spiritum Sanctum, & Filium in hac hypotheſi? ℞. Separabilitas proportionalis; hæc enim non tantum datur inter illa extrema, inter quæ intercedit relatio producentis, & producti, & quorum unum eſt producens, alterum vero productum, ſed & inter ea, quorum unum eſt ea actione productum, qua nequit produci alterum: atqui Filius in divinis eſt ea actione productus, qua nequit produci Spiritus Sanctus: ergo. Videatur de hoc Logica de ſignis Diſtinctionis realis. item dicta num. 494.

Articulus V.

De Identitate, æqualitate, ſimilitudine, circuminſeſſione, ac notione Divinarum Perſonarum.

§. I.

Variæ reſolutiones de Identitate &c. Perſonarum.

Quæres 1. An Perſonæ divinæ inter ſe habeant identitatem, æqualitatem, & ſimilitudinem? 539

℞. 1. Inter Perſonas divinas eſt ſumma identitas eſſentialis, ſeu identificantur inter ſe quoad eſſentiam. Ratio eſt: quia omnes tres Perſonæ habent eandem numero eſſentiam, quæ ratione infinitatis ſuæ

identificat fibi relationes Perfonarum conftitutivas: inde fit, ut, quamvis tres fint Perfonæ, tamen unus fit Deus: ergo inter Perfonas divinas eft fumma, & perfecta identitas quoad effentiam.

℞. 2. Etiam Perfonæ divinæ habent fummam æqualitatem in fuis perfectionibus gradualibus, & quantitativis: ut patet ex Symbolo D. Athanafii. ibi: *Totæ tres Perfonæ coæternæ fibi funt, & coæquales.*

℞. 3. Pariter fimilitudo datur maxima inter Perfonas divinas quoad prædicata abfoluta: ut iterum docet Symbolum Athanafii: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.* Et Orat. 1. contra Arianos idem S. Pater dicit, quod Filius divinus cum Patre habeat *per omnia, & in omnibus eandem fimilitudinem.* Ratio hujus utriusque afferti eft, quia tres Perfonæ habent easdem omnino perfectiones abfolutas, feu graduales: ergo in iis funt fimiles, & æquales.

Poffet hic agitari, an Identitas, æqualitas, & fimilitudo Perfonarum divinarum fint relationes vere reales fuperadditæ Perfonis, ac ab iis ex natura rei formaliter diftinctæ? Verum, quia hæc quæftio curiofitatem potius, quam utilitatem fapit: inde ea ftudiofe fuperfedeo.

540 Quæres 2. Quid fit circuminfeffio Perfonarum divinarum, & an detur?

℞. 1. Circuminfeffio hæc eft mutua divinarum Perfonarum in fe invicem exiftentia. Porro ad proprie dictam circuminfeffionem requiritur 1. ut illa, quæ mutuo circuminfident, habeant eandem numero naturam. 2. Ut quodlibet ex ipfis fit fuppofitum, ac Perfona. 3. Ut unum fuppofitum fit ab altero realiter diftinctum. 4. Ut mutuo inter fe fint præfentia. Ex quo

Colligis 1. Duo corpora inter fe compenetrata, & intime præfentia non effe circuminfeffionem; quia talia corpora non habent unam numero naturam. Neque Deum intime præfentem creaturæ, eandem circuminfedere, *tum* ob rationem dictam, *tum*, quia creatura non eft mutuo intime præfens Deo, cum Deus etiam alibi exiftat, ubi creatura talis non exiftit.

Colligis 2. Quod neque attributa divina effentiam divinam circuminfedeant, neque una Perfona fe ipfam, neque effentia divina Perfonalitatem, vel viciffim; quia inter ifta non datur diftinctio realis, neque quodlibet ex his eft fuppofitum; nam neque natura divina, neque attributa funt Perfonæ, & fuppofita.

℞. 2.

℟. 2. Vere in divinis debet admitti circuminsessio Personarum, ita ut una Persona tota alteri inexistat, & vicissim. P. 1. ex Joan. 14. ubi Christus dicit: *Qui videt me, videt & Patrem. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est.* & Joan. 17. *Tu Pater in me, & ego in te.* Accinit S. Ambrosius in Hymno Laudum Feriæ II. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Accedit Fulgentius de fide ad Petrum c. 1. dicens: *Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & in Spiritu Sancto, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto est: & totus Spiritus Sanctus in Patre, & Filio.* ergo.

P. 2. ratione: Quia singulæ Personæ per identitatem realem sunt ipsa Deitas: Deitas vero est in singulis, & omnibus Personis; hinc necessario unaquæque Persona est in qualibet alia: ergo. Ex his

Colliges 1. Fundamentum hujus inexistentiæ, & circuminsessionis 541 esse unitatem naturæ divinæ, ut advertunt Theologi cum S. Fulgentio cit., & ut probat ratio allata.

Colliges 2. Unitatem naturæ non esse adæquatum fundamentum hujus circuminsessionis, sed simul requiri, saltem in obliquo, & secundario pluralitatem suppositorum, ut recte observat Scotus 1. d. 19. q. 2. n. 9. & D. Bonaventura eadem dist. p. 1. q. 4. ad 4. Ratio est: si pluralitas suppositorum non requireretur, tunc etiam una Persona se ipsam circuminsedere posset: quod tamen falsum est.

Colliges 3. Hanc inexistentiam non esse ita concipiendam, quasi una Persona esset continens, altera contenta, quemadmodum apud D. Augustinum hæresi 58. quidam Hæretici *Metangismonitæ*, latine quasi *Transvasantes* dicti, finxerunt, Filium esse in Patre, velut vas minus in majore. Circuminsessio igitur est intima præsentia subsistentis in subsistente, ut ait S. Hilarius L. 7. sub finem, ita quidem, ut una Persona v. g. Pater, eodem modo insit Filio, quo altera, Filius nempe inest Patri. Imo etiam in creaturis potest dari intima præsentia sine continentia, ut, dum duo corpora intime compenetrantur.

Colliges 4. Circuminsessionem non esse tantum mutuam præsentiam ratione immensitatis. Ratio est: quia etsi Personæ non essent

immenfæ, tamen adhuc mutuo circuminfederent ratione ejusdem naturæ, quam habent.

Dices 1. Oppofita non poffunt effe in eodem fuppofito: atqui Perfonæ divinæ funt oppofitæ: ergo. R. D. M. non poffunt effe in eodem fuppofito tanquam formæ, vel quafi formæ conftitutivæ ejusdem fuppofiti c. M. non poffunt effe in eodem fuppofito per inexiftentiam propter identitatem cum una effentia n. M.

Dices 2. Verbum juxta S. Joannem eft apud Deum Patrem: ergo non eft in Deo Patre. R. N. c. Non ideo Filius dicitur effe apud Patrem, ut oftendatur, eum non effe in Patre: fed ideo, quia potius attribuitur Filio effe apud Patrem, & in finu Patris, quam Spiritui Sancto; Filius enim producitur per modum conceptus: conceptus autem eft in mente concipientis, & formatur objective in ea. Et ob hanc caufam Filius dicitur effe quafi in finu, & mente Patris, ac apud Patrem: hoc non convenit Spiritui Sancto, qui producitur per voluntatem, quæ non attrahit objectum fuum ad fe, fed potius attrahitur ab eo.

§. II.

De Notionibus Divinis.

742 Quæres: Quid, & quot fint notiones divinæ? R. 1. Notio divina eft aliquod fignum vel nota, nobis notificans proceffionem, & difcrimen unius Perfonæ ab altera, vel ab aliis. Ex hoc

Colliges 1. Quid fint prædicata notionalia, quorum fæpius in hoc Tractatu fuit facta mentio: funt enim illa, quæ conveniunt Deo ratione proceffionum divinarum, & uni, vel duabus Perfonis folum funt propria.

Colliges 2. Prædicata notionalia diftingui ab abfolutis, & effentialibus; effentialia enim, & abfoluta omnibus tribus Perfonis conveniunt, non item notionalia.

Colliges 3. Omnes tres Perfonalitates, non autem folas effe prædicata notionalia, ac notiones. Ratio primi eft: quia omnes tres perfonalitates proceffionem, & diftinctionem Perfonarum nobis notificant.

cant. Ratio ſecundi patet: quia perſonalitates ſunt tantum tres, notiones vero ad minimum quinque.

℟. 2. A Doctoribus communiter quinque notiones aſſignantur, ſcilicet Paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiva, ſpiratio activa, & innaſcibilitas. Paternitas enim, filiatio, & ſpiratio paſſiva ſingulas Perſonas inter ſe diſcernit: ſpiratio vero activa Patrem & Filium facit innoteſcere in ratione Spiratoris, eosque diſcernit a Spiritu Sancto: demum innaſcibilitas, ſeu omnimoda improducibilitas diſcernit Patrem a reliquis Perſonis, eumque notificat eſſe principium ſine principio.

℟. 3. Sine aliquo inconvenienti poſſet ſtatui major numerus notionum. Ita P. Herincx, Boyvin, & alii conformiter Scoto 1. d. 28. q. 2. n. 9. Nam ſicut Patri attribuitur innaſcibilitas: ita Filio poſſet tribui inſpirabilitas, ac Spiritui Sancto improductivitas; Filius enim non ſpiratur, & Spiritus Sanctus non eſt productivus alterius Perſonæ.

Articulus VI.

De Miſſione Perſonarum Divinarum, & de modo loquendi in hoc myſterio.

§. I.

De Miſſione Divinarum Perſonarum.

Quæres 1. An una Perſona ab alia, vel ab aliis Perſonis fuerit unquam miſſa ad creaturas? ℟. affirmative; id enim expreſſe docet S. Scriptura. Sic Joan. 3. Chriſtus ait: *Miſit Deus* (Pater) *Filium ſuum in mundum.* & 15. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum.* & 16. *Exivi a Patre, & veni in mundum.* nam, ut ait S. Auguſtinus l. 2. de Trinit. c. 5. *a Patre exire, & venire in hunc mundum, hoc eſt mitti.* Pariter de Spiritu Sancto idem Filius dicit Joan. 16. *Cum aſſumptus fuero à vobis, mittam eum ad vos.* ad Gal. 6. *Miſit Deus* (Pater) *Spiritum Filii ſui.* 543

Quæres 2. Quomodo fiat miſſio in divinis? ℟. 1. Una Perſona non mittit aliam per imperium, aut conſilium. Ratio eſt: quia imperium 544

perium fubjectionem, & confilium ignorantiam in Perfona miffa indicat: atqui &c.

℞. 2. Neque fit hæc miffio per preces, ut fi quis rogat alium, ut eat aliquo; hic enim modus in mittente arguit inferioritatem: fiquidem, qui rogat, eft inferior altero, qui rogatur.

℞. 3. Neque miffio fit per motum localem, ficut aliquis Legatus mittitur ad aliquem locum; Perfonæ enim divinæ funt ubique: ergo non funt capaces motus localis.

℞. 4. Unam Perfonam ab alia mitti, nihil aliud eft, quam unam ab altera originaliter procedere, & in mundo vifibiliter, aut invifibiliter operari. Quare ad miffionem requiritur 1mo. ut Perfona mittens fit Perfona producens, & active originans, & Perfona miffa fit a mittente originata, & procedens. Ratio eft 1. quia miffio eft egreffio miffi a mittente: atqui in divinis nulla datur egreffio, nifi per proceffionem. 2. Miffio in Perfona mittente importat aliquam authoritatem, & in Perfona miffa aliquam fubauthoritatem, & quidem fine omni fuperioritate, & fubjectione: atqui hæc authoritas &c. aliter nequit explicari, quam per hoc, quod Perfona mittens fit principium, author, & origo activa Perfonæ miffæ, adeoque quod Perfona miffa a mittente procedat. 3. Accedit D. Athanafius contra fermonem Arianorum c. 4. dicens: *Solus Pater non legitur miffus, quoniam folus non habet authorem, a quo fit genitus, vel a quo procedat.* Idem dicit Ven. Beda Homil. Dominica infra Oct. Afcenfionis. ibi: Ejus (nempe Spiritus Sancti) *miffio ipfa proceffio eft, qua ex Patre procedit, & Filio.*

2do. Miffio pro termino ad quem habet creaturam. Hinc miffio duplicem habet refpectum, unum realem, & eft relatio originis, qua Perfona miffa refpicit Perfonam mittentem: alter eft refpectus rationis, quo Perfona miffa refpicit creaturam, ad quam mittitur.

3tio. Perfona miffa debet in tempore aliquid operari in creatura vel vifibiliter, vel invifibiliter. Quare Perfona miffa debet in tempore novo quodam modo incipere effe per aliquam operationem: hinc miffio quoad proceffionem fpectata, exiftit ab æterno, quoad operationem vero fpeciali, & novo modo in creatura exercitam, eft in tempore. Imo miffio fimpliciter dicitur fieri in tempore, quia non eft miffio, nifi quando integra, & completa ratio miffionis datur; atqui integra ratio miffionis primum datur in tempore, cum Perfona in creatura incipit operari: ergo & ipfa miffio eft in tempore.

Dixi, quod Persona missa debeat aliquid operari in creatura vel *visibiliter*, vel *invisibiliter*. *Visibiliter* quidem, quando fit missio, & operatio per signum sensibile, ut dum Spiritus Sanctus in forma visibili Linguarum ignitarum descendit in Apostolos, vel dum apparuit in specie visibili columbæ: *invisibiliter* vero contingit, dum Spiritus Sanctus per gratiam invisibilem inhabitat animam. Item missio visibilis juxta nostrum Herincx alia est *substantialis in essendo*, seu *ad subsistendum*, qualis est sola Incarnatio Verbi Divini: alia est solum *ad apparendum* in forma visibili, qualis fuit apparitio Spiritus Sancti in forma columbae, & Linguarum dispertitarum.

Ex his consequitur, missionem necessario importare manifestationem Personæ missæ per productionem alicujus doni creati visibilis, vel invisibilis. Ratio hujus est, quia SS. Patres missionem divinarum Personarum non aliter exponunt, quam per productionem alicujus effectus creati in creatura. Ita D. Augustinus L. 2. de Trinit. c. 5. ait: *Jam in promptu est, intelligere etiam de Spiritu Sancto, cur missus & ipse dicatur: facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus Sanctus. Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus Sancti dicta est.*

Neque obstat, quod operationes SS. Trinitatis ad extra sint indivisæ, & omnes effectus, quos Deus in creatura causat, ab omnibus tribus Personis simul concurrentibus efficiantur; nam hoc stante adhuc isti effectus ad extra specialiter appropriantur quandoque uni Personæ, ut Sanctificatio hominum Spiritui Sancto.

Objic. 1. Filius Divinus etiam mittitur a Spiritu Sancto: ergo Persona missa non debet procedere a mittente. A. p. Isa. 48. in Persona Filii divini dicit: *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*: ergo etiam Spiritus Sanctus misit Filium. ℟. Textum illum loqui non de Christo qua Deo, sed qua homine; Christus enim qua homo vere a Patre, & Spiritu Sancto fuit missus, non per processionem æternam, sed per imperium, ut prædicaret, & alia salutis nostræ exequeretur.

Objic. 2. Quælibet Persona potest se ipsam donare: ergo & se ipsam mittere. ℟. N. c. Nam ad missionem plus requiritur, quam ad donationem; ad missionem enim exigitur in mittente authoritas, & in misso subauthoritas, quæ per *producere*, & *produci* in divinis explicari debent.

§. II.

§. II.

De Modo loquendi ufurpando in hoc Myfterio.

Circa modum loquendi in hoc myfterio, non eft tanta difficultas, dummodo attendatur, ut nil dicatur, quod lædat unitatem naturæ divinæ, ac pluralitatem Perfonarum, earumque proceffionem, & actuum notionalium oppofitionem, ac diftinctionem. Hinc

545 1mo recte dicitur: *Pater & Filius funt unum, funt idem*, fcilicet in neutro. Sic Joan. 10. *Ego, & Pater unum fumus.* Non autem poteft dici: *Pater, & Filius funt unus* in mafculino. Ratio eft: quia prior modus loquendi tantum indicat unitatem naturæ, alter vero etiam unitatem Perfonæ, & fuppofiti in Patre, & Filio: atqui Pater, & Filius habent quidem unam naturam, non autem funt unum fuppofitum, & una Perfona: ergo.

2do. Si *unus* fumitur tanquam fyncategorema, & additur ei fubftantivum conveniens tribus, vel pluribus Perfonis, tunc recte in mafculino efferri poteft: v. g. *Pater, & Filius funt unus Deus, funt unus Spirator.* Hic quoque obfervat Herincx, quia vocabulum *Idem* in mafculino, & neutro fumi poteft, illud folitarie pofitum non facile prædicari debere de pluribus Perfonis, v. g. *Pater, & Filius funt idem*, fed femper cum addito: *funt idem Deus*, ne quis exiftimet, Patrem, & Filium effe idem fuppofitum.

3tio. Quæ de nomine *unus* dicta funt, etiam de vocabulo *unicus* intelligenda funt. Sic bene prædico: *Pater, & Filius funt unicus Deus. Pater & Filius funt quid unum.* Huic tamen myfterio non quadrant vocabula *unitus*, & *conjunctus*; hæc enim important aliquam unionem, quæ Deo tanquam enti fimpliciffimo non poteft convenire.

4to. Diftinctio Perfonarum exprimitur per hoc, quod dicantur ab invicem *diftinctæ, difcretæ, aliæ, alteræ*, cum quibus juxta P. Herincx videtur coincidere vocabulum *Secretæ*, quamvis hoc neget Vafquez cum Lactantio, putans idem fignificare, ac *divifæ*.

5to. In neutro nequit dici: *Pater eft aliud, vel alterum a Filio*; fi enim fumitur *aliud* fubftantive, & in neutro, tunc fupponit pro natura, & fenfus effet: *Pater eft ens alterius naturæ a Filio*, feu *diftinguitur a Filio quoad naturam.* Poteft tamen dici adjective: *Pater eft aliud fuppofitum a Filio.* Non tamen recte prædicatur: *Pater eft alius Deus a Filio.*

Filio. Item: *Pater non est unus Deus cum Filio: non est idem Deus cum Filio, & Spiritu Sancto.* Ratio hujus per se liquet.

6to. Non potest dici: *Pater est dissimilis, dispar Filio: est alienus, divisus, discrepans, separatus a Filio.* Idem D. Bonaventura, & Scotus tenent de nomine *diversus*, ac D. Thomas de nomine differens: ratio est; quia hæc prædicata distinctionem naturæ importarent. Nihilominus SS. PP. nec non Magister, & Alensis, aliique usurpant nomen *diversus*, & *differens* cum addito, dicendo: *Personas esse diversas, & differre quoad personalitates, vel relationes personales.*

7timo. Recte dico: *in Deo datur numerus ternarius, multitudo, pluralitas Personarum:* in Deo datur triplex Persona, sunt tres relationes constitutivæ Personarum, est duplex Persona procedens; per hæc enim indicatur distinctio Personarum, quæ revera datur.

8vo. Pariter recte affirmo: *Deus est trinus, est Trinitas: tum,* quia ita loquuntur PP. & Concilia. *tum* ob rationem jam dictam. Nec obstat Concilium Toletanum XI. dicens in Confessione Fidei: *nec recte dici potest, ut in Deo sit Trinitas;* loquitur enim Concilium de Trinitate essentiæ: hinc mox subdit prioribus verbis: *sed unus Deus Trinitas.*

9no. Non bene prædicatur: *Deus est ter unitas,* vel: *est ter unus:* quia sic tres unitates, & tres naturæ affirmarentur. Neque admittuntur hæ propositiones: *Deus est triplicitas, est triplex, est multiplex,* ut tenent omnes Scholastici; modus enim iste loquendi indicaret multiplicitatem in Deo secundum rationem Deitatis. Dum Spiritus Sapientiæ dicitur multiplex *Sap.* 7. intelligendum id est, quod dona, quæ per Spiritum Sapientiæ obtinentur, sint multa.

10. Nec procedit ista locutio: *Trinitas est trina,* vel: *Deitas est trina.* Ratio primi est: quia per illam propositionem indicaretur, tres esse Trinitates in Deo. Ratio secundi: quia Deitas non est numerabilis. Nihilominus bene affirmatur: *Deitas est trina in Personis.*

11. Tres Personæ dici debent in singulari Deitas, Sapientia, Bonitas &c. non autem in plurali Deitates, Bonitates &c. Imo nec in concreto possunt pluraliter dici *Dii, Creatores, æterni, immensi* &c. sumendo concreta substantive. Ratio est: ut concreta substantiva possint in plurali cum veritate enunciari, requiritur non solum multiplicatio suppositorum, sed & formæ per concretum importatæ: atqui forma horum concretorum non multiplicatur in Deo; nam in omnibus tribus Personis, tantum est una Deitas, una Sapientia, una im-

menſitas &c. Si tamen iſta concreta adjective ſumantur, tunc etiam in plurali poſſunt prædicari. Sic adjective recte dico: *Tres Perſonæ divinæ, immenſæ, tres creantes, duo ſpirantes.* Ratio eſt: quia concreta adjectiva pluraliter prolata ſignificant tantum eſſe plura ſuppoſita, quæ habent talem formam: deinde ad concretorum adjectivorum multiplicationem ſufficit ſola multiplicatio ſuppoſitorum, non autem requiritur multiplicatio formæ: ſic ſi una, eademque albedo poneretur in tribus muris, revera eſſent tres muri albi, id, quod ex Logica ſatis conſtat.

12. Eſſentialia prædicata etiam in abſtracto poſſunt de ſe invicem identice prædicari. v. g. *Sapientia eſt bonitas,* item: *intellectus eſt voluntas.* Ratio eſt: quia abſtracta etiam ex natura rei formaliter diſtincta inter ſe, poſſunt de ſe invicem identice prædicari, quando non penitus abſtrahunt ab omni eo, vi cujus inter ſe realiter identificantur: atqui eſſentialia etiam in abſtracto non penitus abſtrahunt ab eo, vi cujus inter ſe identificantur; retinent enim etiam in abſtracto ſuam propriam infinitatem, vi cujus ſibi identificant realiter omne ſecum identificabile. Hac de ratione poteſt etiam dici: *Eſſentia eſt Paternitas*, quia ſaltem unum ex duobus extremis eſt formaliter infinitum, & ſic cum altero exigit neceſſario identificari. Non autem poteſt dici: *Paternitas eſt ſpiratio activa*, vel: *Filiatio eſt ſpiratio activa.* quia neque Paternitas, neque filiatio, neque ſpiratio activa ſunt formaliter infinitæ: adeoque abſtrahunt ſic ab omni eo, vi cujus inter ſe realiter identificantur.

Finis Partis I. Tomi II.



PARS II.



PARS II. TOMI II.

THEOLOGIÆ DOGMATICO SCHOLASTICÆ

SEU

LIBRI I. SENTENTIARUM.

Morem & diſpoſitionem noſtræ Provinciæ ſecutus Sanctiſſimæ & ter adorandæ Perſonarum Triadi ſubnecto numerum ternarium virtutum Theologicarum, per quem veluti triplicem Religionis noſtræ funiculum Summo Bono, Deo Uni & trino arctiſſime colligamur.

Tractatus I.

DE

VIRTUTIBUS, PRÆSERTIM THEOLOGICIS IN GENERE.

Diſſertatio I.

DE

VIRTUTIS NOTIONE, ET PECULIARITER DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

Articulus I.

Quid sit Virtus in genere, & moralis in Specie.

§. I.

Prænoscenda.

546 Nota 1. Virtutem hic non sumi pro potentia activa, prout intellectus dicitur virtus discursiva; neque pro facto miraculoso, prout in S. Scriptura dicitur: *in nomine tuo multas virtutes fecimus;* neque pro actu aliquo bono: v. g. pro actu humilitatis, obedientiæ, talis enim actus est potius actuale exercitium virtutum, quam ipsa virtus.

Nota 2. Virtutem ad propositum esse *habitum, qui perficit naturam intellectualem, ad actum, seu operationem moraliter bonam.*

Nota 3. Virtutem sic definitam tripliciter dividi. 1. Ratione *subjecti*, in quo est virtus, dividitur in intellectualem, & moralem. *Intellectualis* est, quæ residet in intellectu, ut fides & prudentia; *moralis* vero dicitur hic illa, quæ residet in voluntate, ut charitas, justitia &c. 2. Ratione causæ efficientis dividitur in acquisitam, & infusam. *Acquisita est*, quam homo acquirit propria industria, & labore. *Infusa est*, quæ non per industriam hominis acquiritur, sed a Deo infunditur. De virtute infusa, & hac divisione plura inferius. 3. Ratione objecti; alia virtus est *theologica*, quæ directe & immediate respicit Deum tanquam suum objectum. Alia est *moralis*, quæ directe & immediate pro objecto suo non habet Deum, sed aliquid creatum. De hac divisione virtutum consule P. Reiffenstuel tract. 4. D. 1. n. 5. & seqq.

Porro ad evitandam omnem confusionem Nota 4. nomen virtutis moralis varie accipi; 1. enim accipitur simpliciter pro ea, quæ dirigit mores, & sic dirigendo hominem facit moraliter bonum. Atque in hoc sensu etiam virtutes theologicæ morales dici possunt, nam & istæ ad informandos mores serviunt. 2. Sumitur pro ea, quæ solum datur in voluntate: in hac acceptione fides non est virtus moralis, bene spes & charitas: nam hæ, non autem fides, in voluntate resident. 3. Virtus moralis sumitur pro ea, quæ opponitur theologicæ, & est illa, quæ immediate respicit objectum creatum. Sub ista au-

tem

tem ratione virtutes theologicæ inter morales numerari nequeunt. H. N.

℞. 1. Aristoteles 2. Ethic. 6. definit virtutem moralem, quod sit *habitus electivus consistens in mediocritate determinata & præfinita a recta ratione.* Per habitum *electivum* intelligitur habitus voluntatis, voluntas enim est potentia electiva. Quid sit mediocritas vel medium virtutis, mox dicetur. Recta autem ratio, quæ mediocritatem præscribere debet, est actus intellectus dictans quid faciendum sit, vel omittendum. 547

℞. 2. Virtus moralis etiam bene describitur, quod *sit habitus electivus inclinans ad honeste vivendum conformiter ad regulas morum.*

℞. 3. Virtus moralis sufficienter dividitur in quatuor Cardinales, vel capitales, ad quas reliquæ reducuntur: hæ autem sunt *Prudentia, fortitudo, Justitia,* & *temperantia.*

§. II.

Quomodo Virtutes morales in medio consistant?

℞. 1. *Virtus omnis consistit in medio.* Ita commune axioma theologicum. Ratio est, quia actus virtutis debet semper mediare inter defectum & excessum, ita ut non peccetur per defectum vel excessum. 548

℞. 2. Medium potest esse duplex, vel ex parte objecti, vel ex parte actus. Ex parte objecti illæ virtutes tenent medium, quando objectum talium virtutum ita requirit medium, ut quis neque certam mensuram excedere, neque ab ea deficere possit. Sic temperantia requirit, ut neque plus, neque minus concedatur, quam natura exigit. Medium objecti habent pleræque virtutes morales.

Alterum medium ex parte actus consistit in hoc, quando virtus non exigit certum modum aut mensuram ex parte objecti, sed ex parte actus, ita nempe, ut actus non alio modo exerceatur, quam oporteat. Sic virtutes Theologicæ non habent medium ex parte objecti: nam objectum earum est infinitum, nempe Deus, in quo medium non potest spectari: hinc Deo non potest nimium credi, neque nimium in eo sperari, neque nimium amari potest. Potest tamen violari medium ex parte actus, in quantum quis nimium multiplicaret actus amoris cum gravi destructione sanitatis, vel si aliquis vellet seipsum oc-

cidere ex amore Dei. videatur de hoc P. Reiffenstuel tr. 4. q. 2. n. 17.

§. III.

An Virtutes morales subjectentur in appetitu sensitivo?

549 Nota 1. Hic non esse quæstionem de Prudentia, quæ per se subjectatur in intellectu etiam juxta Thomistas.

Nota 2. Thomistas admittere, quod virtutes morales, quæ sunt ad alterum, subjectentur in voluntate, negare autem id de virtutibus, quæ sunt ad ipsum operantem.

Nota 3. Virtutes illas esse ad alterum, quæ perficiunt hominem in ordine ad alterum, seu quæ inclinant, ut quis alteri reddat debitum; sic justitia inclinat hominem, ut solvat alteri, quod huic debet, Pietas, ut reverentiam, obedientiamque exhibeat parentibus, gratitudo, ut se alteri pro beneficiis gratum exhibeat. Illæ autem virtutes sunt ad ipsum operantem, quæ hominem inclinant ad proprias passiones edomandas, & opera honesta peragenda sine respectu ad alterum: talis virtus est temperantia, fortitudo &c. H. N.

550 Assero 1. Prudentia subjectatur in intellectu. Ratio est, quia ibi debet subjectari immediate habitus virtutis, ubi debet operari, sed Prudentia debet operari in intellectu: ergo. M. est certa: ob hanc causam etiam habitus scientiæ & fidei immediate in intellectu subjectantur, non autem in anima.

Neque obest 1. quod intellectus ab anima non distinguatur realiter. Ex hoc enim solum sequitur, quod Prudentia, Scientia, & fides subjectentur in anima, prout hæc subit rationem intellectus, non autem prout subit rationem voluntatis, vel præcise animæ.

Neque dicas 2. Virtus moralis est electiva: ergo & prudentia est electiva, consequenter est in voluntate, cujus est eligere.

℟. 1. Virtutem moralem appetitivam esse electivam, non autem moralem intellectivam, qualis est Prudentia.

℟. 2. Etiam Prudentiam esse electivam directive, quatenus per sua dictamina dirigit electiones voluntatis, non autem esse electivam elicitive & formaliter. Formaliter enim & elicitive electiones causat sola voluntas.

Assero 2.

Affero 2. Virtutes morales appetitivæ subjectantur omnes in 551
voluntate, non in appetitu sensitivo. Scotus 3. d. 33. n. 4. & seqq. Suarez & Vasquez ac alii contra Thomistas.

P. 1. Juxta Aristotelem habitus virtutis moralis est electivus: atqui habitus appetitus sensitivi non potest esse electivus: ergo. M. constat ex definitione virtutis moralis, quam dedit Aristoteles: m. prob. electio est actus voluntatis liber: adeoque generat tantum habitum in voluntate.

P. 2. Actus virtutis moralis debent esse liberi, laudabiles & meritorii, ac debent versari circa bonum honestum: atqui actus appetitus sensitivi non sunt liberi, nec meritorii, nec laudabiles, nisi in quantum a voluntate imperantur, nec versantur circa bonum honestum & morale, sed circa delectabile, & illud, quod est utile ad delectabilitatem: ergo.

P. 3. Virtus non subjectatur in potentia, quæ est homini & bruto communis, sed in potentia specialiter homini propria: atqui appetitus sensitivus est homini & bruto communis: ergo.

Objic. 1. Voluntas sufficienter perficitur per spem & charita- 552
tem: ergo non indiget virtutibus moralibus. R. 1. retorq. arg. intellectus sufficienter perficitur per fidem: ergo non indiget prudentia.

R. 2. Voluntas perficitur per spem & charitatem in ordine ad Deum spiritualiter & directe attingibilem c. a. in ordine ad honestatem creatam naturaliter attingibilem n. a.

Objic. 2. Actus virtutum moralium exercentur in potentia sensitiva: ergo habitus morales in potentia sensitiva subjectantur. a. constat. in potentia enim sensitiva exercetur actus temperantiæ v. g. jejunii &c.

R. D. a. Actus virtutum moralium exercentur in potentia sensitiva ministerialiter & instrumentaliter ac materialiter & in entitate physica c. a. formaliter, principaliter, ac in ratione virtutis n. a. in entitate physica jejunium exercetur a potentia sensitiva, sicut cum bestiæ jejunant; exercitium autem virtutis formale est in voluntate eligente, & imperante.

Objic. 3. In potentia sensitiva est difficultas actuum virtutis: ergo etiam in potentia sensitiva est virtus moralis facilitans: nam habitus est ad tollendam difficultatem: ergo debet poni in ea potentia

in

in qua est difficultas. a. p. difficultas virtutum moralium provenit ex passionibus appetitus sensitivi.

℞. 1. Negando, quod difficultas virtutum moralium unice sit in appetitu sensitivo. 1. Enim difficultas in exercitio virtutum moralium oritur etiam in ipsis objectis, quæ voluntatem non necessitant ad eorum amorem, ac proinde in se habent aliquam arduitatem, quæ voluntatem retrahit ab amore, seclusso quocunque respectu ad appetitum sensitivum. 2. Dato, quod difficultas oriatur ex rebellione & resistentia appetitus sensitivi: hæc tamen ipsa resistentia in voluntate causat aliquam difficultatem tollendam per habitum virtutis. Hinc etsi forte voluntas secundum se non habeat aliquam difficultatem, habet illam tamen, prout ipsa hæc voluntas est conjuncta cum appetitu sensitivo rebelli.

Neque dicas: totam hanc difficultatem tolli per habitum, qui datur in appetitu sensitivo. Contra est: habitus ille, qui datur in appetitu sensitivo non potest omnes motus sensitivos ita cohibere, ut appetitus nullum motum contra rationem eliciat: adeoque est necesse, ut voluntas proprio habitu sit instructa, ut contra insurgentes rebelles motus appetitus sensitivi prævalere possit.

℞. 2. tr. a. n. c. nam 1. non semper in illa potentia est habitus, in qua datur difficultas, sed potius in illa potentia debet statui habitus, quæ debet per suum imperium tollere hanc difficultatem, & motus rebelles appetitus sensitivi tollere: hæc autem potentia est voluntas. 2. Habitus non solum datur ad tollendam difficultatem, sed etiam ad *delectabilius*, ac *intensius* operandum: ergo saltem propter hanc rationem in voluntate debet admitti habitus moralis, etsi propter tollendam difficultatem non debeat adstrui.

Objic. 4. Habitus se habet sicut frænum; sed frænum est in equo, non in equite: ergo etiam habitus moralis est in appetitu sensitivo, qui equo indomito comparatur, non autem in voluntate, quæ debet tanquam Eques domare hunc equum.

℞. D. M. Se habet sicut frænum morale n. M. sicut ars utendi fræno c. M. frænum morale est in equo tanquam in subjecto: ars autem & directio, qua refrænatur equus est per equitem.

Objic. 5. Voluntas ex se est inclinata ad bonum honestum: ergo non indiget habitu morali, quo inclinetur ad illum bonum. ℞. 1. retor. arg. intellectus ex se tanquam potentia necessaria est sufficienter

incli-

inclinatus ad verum, & cognitionem ejus: ergo non datur in intellectu aliquis habitus.

℞. 2. Etsi voluntas sit inclinata ad bonum honestum, tamen quia ab hoc retrahitur per bonum sensibile, ideo indiget habitu aliquo, quo facilitetur ad bonum morale facilius ac delectabilius prae sensibili eligendum & prosequendum.

Objic. 6. Voluntas non eget habitibus moralibus ad primos actus morales: ergo neque ad posteriores. ℞. 1. Neque appetitus sensitivus eget habitibus moralibus ad primos actus: ergo neque ad sequentes. ℞. 2. Ex hoc argumento solum sequi, quod habitus morales non sint simpliciter, sed solum secundum quid, & ad facilius ac delectabilius & intensius posse, necessarii.

Assero 3. In appetitu sensitivo generantur quidam habitus pro- 553
portionati, & correspondentes virtutibus moralibus. Scotus supra n. 13.

P. 1. Quoties voluntas elicit actum alicujus virtutis moralis, toties appetitus sensitivus elicit actum proportionatum; v. g. quoties voluntas continet passionem irae, toties id etiam facit appetitus sensitivus: ergo sicut voluntas per tales actus repetitos comparat sibi habitum, ita & appetitus sensitivus, & quidem a fortiori; voluntas enim cohibitionem irae & passionum illarum sensitivarum solum operatur imperative, appetitus sensitivus vero elicitive.

P. 2. Per frequens exercitium actuum potentiae, temperantiae, & aliarum virtutum moralium passiones & rebelliones ipsius appetitus sensitivi multum componuntur, & appetitus sensitivus assuefit, ut minus resistat rectae rationi ac voluntati; ergo etiam ex parte appetitus sensitivi datur aliqua facilitas & habitus.

P. 3. Appetitus sensitivus ex se non obedit per omnia voluntati, non enim despotice subjicitur voluntati: ergo ut facilius & expeditius & quidem in omnibus obediat, necesse est eum habituari per proprium habitum.

Quae possunt contra hanc conclusionem objici, jam sunt in Philosophia soluta, in qua docui, quod possit in potentia sensitiva interna dari habitus, non autem in potentia locomotiva aut sensibus externis.

Assero 4. Hi habitus in appetitu sensitivo existentes non sunt 554
in omni rigore virtutes. Ratio hujus patet ex assertione 2da n. 551. possunt tamen secundario dici virtutes, *tum*, quia subserviunt volun-

tati ad exercitium virtutum, *tum*, quia actus sensitivi temperantiæ, fortitudinis, patientiæ &c. ut substant imperio voluntatis actus virtuosi dicuntur; ubi tamen rationem formalem virtutis participant ex imperio voluntatis, quod est primarius actus virtutis. *Tum*, quia motus inordinati appetitus sensitivi solent quoque dici large peccata, & moraliter mala, prout & habituales inclinationes ex motibus inordinatis sensitivis progeniti vitia in sensu largo appellantur: ergo etiam facilitas his inclinationibus malis opposita & inclinans ad bonum, potest large & secundario dici virtus.

Articulus. II.

De Connexione virtutum moralium inter se, & cum Theologicis.

555 Nota 1. Quod secundum Stoicos ille, qui habet unam virtutem, necessario habeat & reliquas.

Nota 2. Virtutes posse tripliciter considerari; 1. in statu *imperfecto* & *remisso*, quomodo habitus virtutis moralis est multum debilis, & paucissimos gradus intensionis habet.

2. In statu *perfecto*, & talis est virtus intensa & firma, ac plurimum aucta per actus frequentatos circa objectum talis virtutis.

3. In *statu heroico* & superexcellenti, in quo sedatæ sunt omnes passiones virtuti contrariæ, & ita subjectæ rationi, ut voluntas sequatur dictamen rationis.

§. I.

An Virtutes morales appetitivæ quoad habitum & statum perfectum sint inter se ita necessario Connexæ, ut una virtus moralis non possit haberi sine alia?

556 Assero & Rℓ. negative. Scotus 3. d. 36. B. n. 9. consequenter qui unam virtutem moralem appetitivam habet, non debet omnes habere. Est contra Thomistas.

P. 1. Ex S. Auguſtino, qui epiſtola 29. ad S. Hieronymum ita ait: *Non enim iſta divina ſententia eſt, qua dicitur, qui unam virtutem habuerit, omnes habet, eique nulla ineſt, cui una defuerit. Sed hominibus hoc viſum eſt multum ingenioſis, ſtudioſis, ſed tandem hominibus* (qui nempe falli poſſunt) *unde pudicitia conjugalis cum procul dubio virtus ſit, non tamen ſecum habet virtutes alias*, ſcilicet neceſſario. Dein S. Auguſtinus laudat epiſtola cit. S. Hieronymum, quod hoc ipſum ex S. Scripturis diligenter probaverit. Adeoque & S. Hieronymus noſtræ ſententiæ eſt.

P. 2. Virtutes morales v. g. Caſtitas, humilitas, fortitudo ſunt habitus realiter diſtincti, nec una eſt pars alterius: ergo poteſt dari una ſine altera.

P. 3. Quia ſcientiæ ſunt habitus realiter diſtincti, poteſt una dari ſine altera: ergo.

P. 4. Multi ſe non exercent in materia v. g. liberalitatis, Virginitatis, fidei conjugalis, qui tamen ſe frequenter exercent in materia & honeſtate aliarum virtutum v. g. orationis, Religionis, item in abſtinentia a nimio cibo & potu, aut in materia Juſtitiæ: ergo hi per tale frequens exercitium poſſunt perfecte acquirere & ſervare virtutes morales Religionis, abſtinentiæ & juſtitiæ, quin aliarum virtutum moralium appetitivarum honeſtatem conſiderent, aut exerceant.

P. 5. Poteſt aliquis eſſe maxime & perfectiſſime juſtus, qui ta- ſſ7
men ſimul ſit deditus libidini, & intemperantiæ in cibo & potu: ergo poteſt habere unam virtutem, quin habeat alteram.

Objic. 1. SS. PP. dicentes: *Una virtus ſine alia, vel omnino nulla eſt, vel minima.*

℟. 1. Opponendo S. Auguſtinum & S. Hieronymum citatos pro concluſione.

℟. 2. SS. PP. ita loquentes tantum volunt, quod una virtus nihil ſit aut valeat ad meritum condignum, quamdiu deeſt aliqua alia virtus, quæ ſub mortali peccato requiritur. Non autem dicunt, quod virtus in ratione virtutis moralis nihil ſit, aut nihil valeat, ſi vel una deſit. hinc in forma d. a. una virtus ſine alia nulla eſt in ratione virtutis moralis n. a. in ratione meriti condigni ſubdiſt. tunc, quando altera virtus ſub peccato mortali requiritur c. a. ſi non requiritur ſub peccato mortali n. a.

Objic. 2. Homo non poteſt perfecte exercere actus unius virtutis, quin ſimul exerceat alias virtutes: ſic aliquis non poteſt exercere actum Caſtitatis, quando ſub minis mortis allicitur ad libidinem, niſi ſimul exerceat fortitudinem, contemnendo fortiter has minas: ergo neque poteſt aliquis unam virtutem moralem perfecte acquirere ſine altera; quia virtutes morales acquiruntur per exercitium.

℞. d. a. per ſe, neceſſario & ſemper n. a. per accidens, aliquoties, & contingenter c. a. tunc tantum una virtus ſine alia exerceri nequit, quando aliquis tentatur ſimul in materia duplicis virtutis, uti fit in propoſito, ubi aliquis non ſolum tentatur in materia caſtitatis, ſed etiam in materia fortitudinis per minas: adeoque propter duplicem tentationem hanc per accidens concurrentem, etiam per accidens requiritur exercitium duplicis virtutis, non autem id requiritur per ſe: quia ſæpe poteſt aliquis ſe exercere in caſtitate ſervanda, ubi nullæ minæ vel nullæ occaſiones fortitudinis exercendæ adſunt. hinc aliquis per frequentatos actus caſtitatis poteſt habitum caſtitatis acquirere, quin exerceat fortitudinem, aut fortitudinis habitum obtineat. Deinde poſſet aliquis in præfato exemplo contemnere minas & tormenta ſolum ex motivo & amore caſtitatis, non autem ex amore & motivo fortitudinis, in quo caſu aliquis non exerceret actum formalem fortitudinis, hic enim ex motivo ipſius fortitudinis exerceri petit.

558 Ad alias objectiones Nota 1. virtutem moralem *qua talem* nunquam inclinare ad vitium, etiamſi hæc virtus ſola & ſine aliis in aliquo homine exiſtat. 2. Unam virtutem perducere hominem ad perfectionem *proportionatam,* & *ſuo modo*, non autem totaliter & ſimpliciter. perfectio enim eſt congregatio omnium virtutum aliquem hominem talis conditionis vel ſtatus decentium. 3. Virtutes morales dici Sorores Concordes, quia omnes in unum finem ultimum tendunt, & ordinabiles ſunt, & ſeſe mutuo in occaſionibus juvant: ex quo tamen non ſequitur, quod ſingulæ ſeorſim non habeant ſuum officium, objectum, & actum proprium. 4. Virtutem moralem poſſe conſiderari ſecundum perfectionem intrinſecam & extrinſecam. Perfectionem *intrinſecam* habet ex propria ſua ratione formali, & ex proprio ſuo objecto: & ſecundum hanc intrinſecam perfectionem poteſt aliqua virtus v.g. Juſtitia eſſe perfectiſſima abſque conjunctione ad aliam virtutem; quia perfectionem eſſentialem & ſpecificam a ſuo proprio objecto & a ſua ratione formali habet, non autem a conjunctione aliarum

virtutum, quæ ſunt extrinſecæ virtuti Juſtitiæ. Perfectionem autem *extrinſecam* & accidentalem a conjunctione cum aliis virtutibus habet; quia una virtus alterius exercitium per accidens ſaltem facilitat, & ſæpe aliqua impedimenta removet, quæ exercitium tale impediunt, vel difficile reddunt.

§. II.

An Virtutes morales appetitivæ neceſſario connectantur cum Prudentia?

℞. 1. Virtutes morales appetitivæ neceſſario exigunt prudentiam proportionatam. Adeoque nulla virtus moralis appetitiva acquiritur, niſi ſimul acquiratur prudentia proportionata. Communis Scotiſt. & aliorum. 559

Nota 1. Cuilibet virtuti morali reſpondere proportionatam prudentiam, quæ dictat, quomodo, & qualiter, ac quando exercenda ſit talis virtus, item quomodo vitia eidem virtuti oppoſita ſint vitanda. Hinc

Nota 2. Prudentiam totalem eſſe aggregationem plurium habituum partialium, quorum quilibet ſpeciali virtuti morali inſervit, eam per ſua dictamina dirigendo. H. N.

P. Nullus habitus virtutis appetitivæ acquiritur ſine actu bono & honeſto, adeoque elicito juxta dictamen rectæ rationis ſeu prudentiæ: atqui ex hoc dictamine prudentiæ generatur etiam habitus proportionatæ prudentiæ, ſicut ex actu honeſto temperantiæ generatur habitus temperantiæ: ergo. M. quoad 1. memb. Conſtat: quia habitus virtutum moralium ſunt acquiſiti per exercitium, & per frequentationem actuum honeſtorum. Quoad 2. memb. item patet: quia honeſtas alicujus actus moralis deſumitur ex hoc, quod habeat conformitatem ad rectam rationem, ſeu prudentiam.

Dixi in Concluſione 1. *Prudentiam proportionatam.* nam virtus Caſtitatis e. g. indiget tantum illa partiali prudentia, quæ dirigit Caſtitatem, non autem requirit prudentias etiam reliquas, quæ dirigunt alias virtutes v. g. Juſtitiam, miſericordiam erga pauperes.

Dixi 2. *Nulla virtus moralis acquiritur* &c. abſolute enim poſſet habitus prudentiæ per erronea dictamina ſubſequentia deſtrui, quin

destruatur v. g. Castitas respondens illi partiali prudentiæ, si nempe voluntas non sequeretur errorem intellectus, sed ab agendo abstineret. Id tamen non solet contingere; & si contingeret, quod voluntas in posito casu non sequeretur intellectum errantem, tunc quidem adhuc maneret *physice* habitus virtutis Castitatis, non autem *moraliter*; quia in ratione morali hic dicit dependentiam a prudentia, a qua regulari petit.

560 ℟. 2. Vicissim potest prudentia acquiri & conservari absque virtute morali appetitiva respondente eidem prudentiæ. Hinc prudentia non necessario dependet a virtute morali. Ratio est, quia intellectus potest sæpissime prudenter dictare hoc esse agendum, hanc virtutem v. g. Justitiam esse exercendam, quin voluntas hoc dictamen sequatur, & in opere exerceat actum justitiæ: atqui in tali casu per frequentata dictamina prudentiæ generaretur habitus prudentiæ, quin simul generaretur habitus Justitiæ: ergo posset generari habitus prudentiæ, quin generaretur habitus alicujus virtutis moralis.

Ita etiam potest conservare prudentiam, & omittere virtutem moralem illi prudentiæ respondentem; sic prudentia potest frequenter dictare Castitatem esse sequendam, & libidinem vitandam, voluntas vero potest actus vitiosos & contrarios huic dictamini imperare, ac libidinem sequi, juxta illud:

Video meliora, proboque, deteriora sequor.

In quo casu habitus Castitatis amitteretur, prudentia vero Castitati proportionata servaretur.

Dum in oppositum dicitur: *quod omnis peccans sit ignorans:* id contingit regulariter & ordinarie, non autem absolute; nam ordinarie affectus ad peccatum & ad objectum malum avertit intellectum a Consideratione boni honesti, & eum pertrahit ad considerationem bonitatis delectabilis, utilis, & peccaminosæ. 2. Voluntatis libertas non radicatur in judicio intellectus: sed formaliter voluntas ex se est indifferens, ita ut ostenso majori bono posset minus bonum eligere, & ostenso per intellectum bono honesto, delectabili & utili, & simul cognito, quod honestum sit præferendum delectabili, possit ex libertate sua ferri in bonum delectabile relicto bono honesto. Consideratio enim & dictamen intellectus, & prudentiæ non necessitant voluntatem, utpote

pote liberam. 3. Prudentia non ſolum verſatur circa media dictanda, ſed & circa finem. Ratio eſt: quia ſæpe poteſt voluntas hæſitare, quisnam ex duobus finibus ſit eligendus; unde hoc debet deinde oſtendere prudentia. item poteſt ignorari, an hic finis in his circumſtantiis conveniat; quod & iterum prudentia dijudicat.

§. III.

An Virtutes Theologicæ ſint neceſſario connexæ cum Moralibus?

Nota: ſemper eſſe quæſtionem de habitibus virtutum.

℞. Negative. Conſequenter virtutes theologicæ poſſunt dari & 561
exiſtere ſine moralibus acquiſitis.

P. Quia parvulis infunduntur habitus theologici, non autem morales: ergo in iis exiſtunt virtutes theologicæ per ſe infuſæ ſine moralibus, quæ primum ab adultis per exercitium acquiri debent.

Ita etiam adultus poteſt virtutes theologicas deperditas recuperare v.g. per actum contritionis, qui tamen per actus contrarios vitia moralia ſaltem omnia nec deſtruxit, nec virtutes morales acquiſivit. Unde talis niſi potenti auxilio Dei conſervetur, facile in peccata contra virtutes morales relabitur.

§. IV.

An Virtutes morales connectantur cum Theologicis?

℞. Negative. poſſunt enim dari & exerceri virtutes morales ab 562
infideli carente omnibus virtutibus Theologicis. Quare omnes virtutes morales ſeorſim ſine charitate, ſunt veræ virtutes, quatenus hæc non eſt forma intrinſeca illarum. Dicitur tamen Charitas forma extrinſeca omnium virtutum reliquarum, etiam Theologicarum, quatenus hæ ſine charitate habituali non habent meritum de condigno apud Deum, nec ſanctificant habentem.

P. 2. Hæc propoſitio Baiana eſt damnata: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Ex quo ſequitur,

quitur, quod aliqua opera infidelium carentium virtutibus theologicis infusis fuerint honesta, & virtutes eorum morales fuerint veræ virtutes. Huc etiam facit alia propositio damnata Baji: *Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.*

S. Ob.

563 1. *Quod non est ex fide, peccatum est:* hic fides sumitur pro conscientia. Vel si *το fides* sumatur ab Augustino pro fide Catholica, tunc sensus est: quod non est *ex fide*, seu quod est contra *fidem*, & regulas fidei, peccatum est.

2. Virtutes morales sine virtutibus theologicis non sunt bonæ, vel etiam malæ. dist. non sunt bonæ &c. seu non sunt condigne meritoriæ, nec operantur vitam æternam c. a. non sunt bonæ in genere moris, nec sunt honestæ, etsi ad Deum tanquam ultimum finem possidendum non positive referantur n. a.

3. Virtutes morales sine theologicis juxta S. Aug. sunt inflatæ & superbæ occasionaliter, quatenus sæpe superbiendi occasionem inde sumpserunt Philosophi, vel actus temperantiæ, Castitatis &c. exercuerunt ex vana gloria, non autem ex motivo temperantiæ, & honestatis. Non autem sunt hæ virtutes superbæ formaliter. Eorum enim motivum est honestas, non autem malitia vani tumoris aut superbiæ.

564 Quæres: quomodo augeantur, & perdantur habitus virtutum moralium? ℞. Eas ita augeri, & deperdi sicut alii habitus naturales scientiarum. De quibus in Physica. Ex quo

Habes 1. Quod virtutes morales perseverent in Beatis. Ratio hujus est 1. quia congruum est, ut Deus hæc ornamenta virtutum moralium labore Sanctorum in hac vita comparata, & statui Beatitudinis non repugnantia conservet in iisdem Beatis, ac fortasse virtutes, quæ hic in terris defuerunt, per accidens infundat. 2. Hæ virtutes non destruuntur nisi per destructionem subjecti, vel per suspensionem concursus conservativi, vel per actus contrarios: ast subjectum harum virtutum, nempe Anima etiam Beatis manet, neque actus contrarios his virtutibus eliciunt: neque congruit ut Deus suspendat concursum conservativum, ut patet ex ratione prima.

Nec dicas: Hos habitus esse penitus otiosos in Beatis. ℞. negative: quia 1. sunt ornamento. 2. Quia etsi Beati non habeant multarum virtutum moralium v. g. temperantiæ materiam, possunt tamen complacentiam elicere circa materiam præteritam; item possunt optare ex motivo & amore harum virtutum, ut hæ ab aliis exerceantur. Ex hac ratione forte etiam Angeli habent habitus virtutum moralium per accidens infusos, tum ut sint ornamento, tum quia possunt desiderare & procurare has virtutes in aliis ex motivo & amore harum virtutum: tum quia licet habitus hi in Angelis non sint quoad munus moderandi passiones, erunt saltem in iis quoad actus complacendi in bonitate & honestate virtutum illarum.

Nec dicas 2. Ergo etiam manent fides & Spes in Beatis. ℞. n. ill. fides & spes repugnant statui Beatitudinis, quia hæ duæ virtutes sunt tantum via ad beatitudinem tanquam ad terminum: atqui ubi habetur & possidetur adæquate terminus, non datur amplius via. 2. Quia fides & spes agebant tantum vices luminis gloriæ, & possessionis Dei: ergo ubi datur in gloria ipsum lumen gloriæ, & possessio beatifica, omnis fides tam infusa, quam acquisita extingui debet. 3. Quia omnis Actus fidei & spei repugnat in Patria: econtra virtutes acquisitæ morales non repugnant statui beatitudinis, & earum actus aliqui possunt in Patria dari.

Habes 2. Quod habitus virtutum moralium etiam fuerint in primis parentibus in statu Innocentiæ. In eo enim statu servierunt hæ virtutes ad firmius inhærendum Deo & perfectius operandos actus virtutum moralium. Inde admittimus hos habitus etiam, ut per accidens infusos in Christo.

Habes 3. Quod etiam in Damnatis maneant, donec per actus contrarios damnatorum destruantur. Ratio est: quia congruit, ut naturales hæ virtutes maneant in damnatis, donec ipsi se iisdem privent per actus contrarios. Quod & credibilissime, si non statim in puncto damnationis, saltem successive facient.

Articulus III.

De Virtutibus Evangelicis, Beatitudinibus, Donis, fructibus, & Donis gratis datis.

565 Virtutes Evangelicæ ſunt, quarum actus in Evangelio conſuluntur: ſuntque Paupertas voluntaria, Obedientia Religioſa, & Caſtitas perpetua. Verum hæ ad virtutes morales ſpectant.

Beatitudines 8. enumerantur a Chriſto Matth. 5. quomodocunque autem hæ explicentur ſemper erunt aut actus, aut habitus virtutum ſeu theologicarum, ſeu moralium. Dicuntur a Chriſto beatitudines, quod beatos faciant homines, eo quod faciant homines rectiſſima via ad beatitudinem tendere.

Licet Donum Spiritus S. accipiatur pro quovis beneficio divinitus collato, ſtricte tamen illud eſt munus beneficum ſpirituale, quo afficiuntur Juſti ad actus Heroicos virtutum moralium & theologicarum exercendos, ad hoc, ut ſint conformes imagini Chriſti, quia talia dona habuit in gradu perfectiſſimo, juxta illud Iſaiæ 11. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilii & fortitudinis, Spiritus Sapientiæ & pietatis; & replebit eum Spiritus Timoris Domini.* Scotus in 3. d. 34. q. unica. n. 20. Nominales & alii paſſim contra D. Thomam judicant Dona Spiritus Sancti non diſtingui a virtutibus moralibus & theologicis.

Ratio hujus eſt 1. Quia habitus ſpirituales non debent multiplicari ſine neceſſitate. 2. Quia ſufficienter explicantur dona Spiritus Sancti per habitus virtutum theologicarum, & moralium, quatenus hi connotant quoſdam excellentiſſimos & perfectiſſimos actus una cum auxilio ſpeciali Spiritus S. elicitos. 3. Quomodocunque explicentur dona Spiritus S. non poterit aſſignari aliquod honeſtum eorum objectum, quod non pertineat ad aliquam ex præfatis virtutibus. Oſtenditur ulterius 1. Donum *Conſilii* eſt ipſa prudentia, hæc enim eſt conſiliativa. *Fortitudo* ſuo nomine exprimitur. *Timor* eſt ſpecies temperantiæ, & eſt humilitas. *Pietas* eſt ſpecies juſtitiæ, eſt enim ipſa miſericordia. *Sapientia* eſt charitas juxta phraſin Scripturæ, quæ per ſapientiam intelligit charitatem, quæ facit homini Deum ſapere. *Intellectus* eſt fides primorum Articulorum. *Scientia* eſt fides explicita omnium articulorum. Ita explicat Maſtrius.

Fructus

Fructus Spiritus Sancti ſunt duodecim, quos enumerat Apoſtolus ad Gal. 5. dicens: *Fructus autem Spiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Enumerantur duodecim, non quod tantum ſint duodecim, ſed quod illi duodecim ſint potiores. Hi autem fructus nil aliud ſunt, quam virtutes cæteræ tam theologicæ quam morales, ac earum actus, & delectationes ex harum virtutum exercitio exſurgentes, quales ſunt *gaudium* & *pax*, gaudium eſt delectatio in voluntate, pax vero eſt ſecuritas habendi objectum ſine impugnatione. Virtutes dicuntur autem fructus, quia per modum fructuum habent ſpecialem dulcedinem & refectionem annexam.

Gratiæ gratis datæ vocantur illa beneficia quæ ſpecialiter conferuntur a Deo in ſalutem & utilitatem aliorum. Has numero novem refert Apoſtolus 1. Cor. 12. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.

Conſiſtunt hæ gratiæ, gratis datæ vel in ſpeciali aſſiſtentia divina, aut illuſtratione ſpirituali, nec non in excitatione ſpecierum ſupernaturali, vel etiam in revelatione extraordinaria, aut in habitu per accidens infuſo, vel in fide infuſa juncta ſpeciali illuſtratione divina.

Quæres: in quo completa ratio virtutis moralis appetitivæ con- 566
ſiſtat? R̸. 1. Completa ratio virtutis moralis appetitivæ non conſiſtit in ſola qualitate phyſica habitus talis virtutis.

P. Completa ratio virtutis moralis non poteſt inclinare in malum: nam juxta S. Auguſt. l. 2. de lib. arbit. c. 18. & c. 19. item alibi: & juxta communem Thomiſtarum virtus moralis eſt bona qualitas, qua recte vivitur, & *qua nemo male utitur:* atqui habitus virtuoſus, quatenus eſt qualitas phyſica poteſt inclinare in malum: ergo. m. p. etſi qualitas phyſica habitus virtuoſi per ſe, & ordinarie inclinet in bonum, poteſt tamen per accidens & interdum inclinare in actum malum. In exemplo: qui aſſuevit orationi, meditationi, jejunio, ſilentio, aſſequitur in ſe magnam facilitatem ad has operationes, etiam tunc, quando mutato rerum ſtatu hæ operationes fiunt illicitæ, & malæ, ut dum ſunt a Superiore juſte prohibitæ. Hæc autem inclinatio provenit a priori habitu, prout is eſt phyſica qualitas.

567 ℞. 2. Completa ratio virtutis moralis appetitivæ consistit in habitu & qualitate physica, quatenus hæc connotat simul prudentiam dictantem solummodo id, quod est bonum: ita Scotus. Tali enim ratione inclinat talis habitus semper in id, quod est bonum & justum.

Habitus intellectuales non possunt inclinare in falsum, quia hi non dependent a consortio alicujus alterius, ex cujus Carentia possent a vero deficere. Econtra virtus appetitiva dependet a prudentia, ex cujus carentia male agere posset. Imo & habitus ei extrinsecus quodammodo per accidens potest concurrere ad falsum, nempe ob consortium alterius habitus erronei: ut dum ex una scientifica præmissa ex altera falsa infertur conclusio falsa.

Etiam actus virtutis infusæ, sæpe potest esse extrinsece malus: v. g. si actus fidei imperetur ex pravo fine. Prout etiam ex vana gloria potest aliquis velle Sacramentaliter confiteri, quod sine dolore supernaturali fieri non potest. Supernaturalitas itaque actuum, quod dentur ex gratia Dei, solum excludit malitiam ipsis convenientem ex objecto, & per se, seu malitiam oppositam illis virtutibus. In hoc tamen differunt virtutes infusæ a moralibus, quod morales independenter a prudentia ipsæ concurrant, & efficiant actus malos, & his ipsis virtutibus oppositos: secus est de infusis &c.

Dissertatio II.

DE NOTIONE ET NUMERO VIRTUTIS THEOLOGICÆ.

Articulus I.

Quid sit Virtus Theologica, & quotuplex?

§. I.

Describitur Virtus Theologica.

568 Assero: Virtus theologica recte describitur, quod sit habitus supernaturalis, & a Deo infusus, cujus principalis actus tendit in Deum tanquam objectum immediatum, materiale, & in aliquod attributum divinum

divinum tanquam immediatum objectum formale. Ita Doctores in re communiter. Dixi: *cujus principalis actus* &c. non enim est necessarium, ut omnis actus virtutis theologicæ immediate attingat Deum. Ita enim actus, quo credo canem Tobiæ movisse caudam suam Tob. 11. est quidem actus fidei theologicæ, non tamen per eum tendo immediate in Deum, sed in canem moventem caudam. Inde ad rationem virtutis theologicæ requiritur, & sufficit, quod actus ejus principalis feratur in Deum. Ita per fidem credimus Deum, per spem consequi eum desideramus, & per charitatem eum super omnia diligimus. prout sapienter advertit P. Reiffenstuel tr. 4. d. 1. n. 5. & seqq. Dixi ulterius: *& in aliquod prædicatum Divinum*, in hoc iterum differt virtus theologica a morali, quia nulla virtus moralis pro objecto formali motivo habet aliquod attributum divinum, sed semper aliquid creatum, scilicet honestatem, jus, aut debitum &c. prout inferius declarabitur.

Dices: Aliqua facultas vel virtus non specificatur præcise ab objecto principali, sed & simul a minus principali: ergo neque fides v. g. specificabitur ab objecto suo principali, nempe a Deo, neque propter solam tendentiam in Deum per principales actus Virtus theologica dicetur. a. p. Physica non specificatur a solo suo objecto nobiliori & principali, quod est corpus humanum, sed a corpore naturali in genere: ergo. 569

℞. D. a. non specificatur præcise a magis principali, quando illud magis principale non est simul unicum attributionis objectum respectu talis virtutis vel facultatis c. a. secus n. a. Deus respectu fidei non solum est objectum principale, sed & attributionis, ad cujus cognitionem omnia cætera credibilia referuntur: non sic omnia, quæ in Physica traduntur ad notitiam solius corporis humani diriguntur.

§. II.

Quot sint Virtutes Theologicæ.

Assero: tres tantum in via dantur Virtutes Theologicæ, videlicet fides, spes, & charitas, nec plures nec pauciores. Ita communis omnium Theologorum. 570

P. 1. His tribus omnibus & solis convenit definitio Virtutis Theologicæ: ergo non plures nec pauciores sunt virtutes Theologi-

cæ quam hæ tres. a. conftat: omnes enim & folæ hæ tres virtutes habent Deum pro objecto immediato & primario.

Confirmatur: Deus pro hac via eft a nobis tripliciter immediate attingibilis; fcilicet ut cognofcibilis attingitur per fidem, ut nobis bonus attingitur per fpem, & ut bonus in fe attingitur per charitatem: ergo hæ tres virtutes theologicæ dantur; & quidem hæ folæ: nullus enim actus, quo Deus immediate attingitur eft excogitabilis, qui non ad unum ex his virtutibus reducitur.

P. 2. Has tres virtutes tantum enumerat Apoftolus 1. Cor. 13. dicens: *Nunc autem manent fides, fpes, charitas, tria hæc.* Idem facit Conc. Trid. Seff. 6. c. 7. dum ait: *Unde in ipfa juftificatione cum remiffione peccatorum hæc omnia fimul infufa accipit homo per JEfum Chriftum, cui inferitur, fidem, fpem, charitatem:* ergo hæ tres tantum funt virtutes theologicæ.

Dixi in conclufione: *in via.* nam Lumen gloriæ etiam eft virtus theologica fuccedens fidei: verum non datur in via, feu in hac vita homini, fed primum dabitur in patria feu in Cœlo.

571 Ob. 1. Unum tantum eft objectum virtutum theologicarum, videlicet Deus: ergo & una tantum virtus theologica. R. d. a. Unum eft tantum objectum materiale c. a. formale n. a. A qualibet virtute theologica Deus fub alia & fpeciali ratione formali attingitur.

Ob. 2. Theologia refpicit Deum ut fuum objectum: ergo & Theologia eft virtus theologica R. n. c. in propofito tantum agimus de virtutibus theologicis per fe infufis & fupernaturalibus: atqui theologia non eft habitus per fe infufus, fed acquifitus: ergo.

Ob. 3. Etiam Religio immediate refpicit Deum, eum colendo: ergo & religio eft virtus theologica. R. D. a. refpicit Deum tanquam objectum terminativum n. a. tanquam objectum cui c. a. Virtutes theologicæ immediate per actus faltem principales refpiciunt Deum tanquam objectum quod, & terminativum; nam Deum ipfum immediate credimus, fperamus, amamus, & hinc virtutes theologicæ nos immediate conjungunt Deo; Virtus Religionis vero immediate refpicit cultum Deo exhibendum tanquam objectum quod & terminativum: ipfum Deum vero refpicit tanquam *objectum cui* & remotum, cui videlicet cultus exhibetur. Deinde virtutes theologicæ pro objecto motivo & formali habent aliquod attributum Divinum, non item Religio: quamvis enim cultus exhibeatur Deo propter Ejus infinitam excellen-

excellentiam, hæc tamen excellentia est motivum quasi mediatum & indirectum. Siquidem proximum motivum est honestas & debitum in Excellentia Divina fundatum, quo obstringimur ad Deum colendum: Deus autem & Excellentia ejus est objectum, *cui* debetur cultus. Idem dicendum est de gratitudine erga Deum, & aliis virtutibus Religioni affinibus; hæ enim omnes immediate respiciunt aliquid creatum, nempe actionem debitam & Deo exhibendam, aut honestatem talis actionis Deo exhibendæ, mediate vero & ut objectum cui attingunt Deum. Ex quo

Colligis, quod neque pia affectio credulitatis, de qua inferius, sit virtus theologica: nam & hæc respicit immediate credulitatem, tanquam actum aliquem creatum, non autem Deum.

Petes: An virtutes theologicæ realiter distinguantur, vel an sint tantum unus habitus, qui potest actus specie distinctos elicere? ℟. sunt tres distincti habitus. Nam S. Paulus 1. Cor. has virtutes, ut tres distinctas res exprimit dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Idem docent Concilia & DD. accedit, quod hæ tres virtutes mutuo sint separabiles, ut suo loco ostendetur: ergo.

Articulus II.

An Virtutes Theologicæ & quidem solæ sint habitus per se infusi?

Ex Articulo primo hujus quæstionis & ex Philosophia constat, aliud 574
esse habitum acquisitum, & aliud infusum. *Habitus acquisitus* est, qui nostra diligentia & per frequentatos actus, & per hominis exercitium acquiritur. Sic habitus theologiæ acquiritur per frequentatos actus & discursus theologicos. Idem est de habitibus acquisitis virtutum moralium; nam per frequentatos actus temperantiæ aliquis acquirit habitum temperantiæ. *Habitus infusus* est, qui non per frequentatos nostros actus acquiritur, sed a solo Deo producitur & infunditur.

Habitus autem infusus iterum subdividitur in per se & per accidens infusum. *Habitus per se infusus, seu ex ratione sua intrinseca*, est, qui nequit per nostros frequentatos actus acquiri, sed ex natura & ratio-

ratione ſua intrinſeca exigit infundi, & a Deo cauſari. *Habitus autem per accidens infuſus* eſt, qui ex natura ſua intrinſeca poteſt & petit acquiri per noſtros frequentatos actus; hic & nunc autem per accidens immediate a Deo in nobis cauſatur & infunditur. Quare habitus per accidens infuſus eſt ex ratione ſua intrinſeca acquiſitus; quia ex natura ſua petit acquiri per exercitium & per frequentatos actus. Tali modo habitus theologiæ eſſet per accidens infuſus, ſi eum Deus cauſaret in aliquo homine, qui nullum actum vel diſcurſum theologicum antea elicuiſſet. Nota ulterius: habitum *acquiſitum*, proinde etiam illum, qui eſt per accidens infuſus, dare homini facilitatem ad exercendos actus. Imo nullo alio ſigno cognoſcimus in homine dari tales habitus, niſi ex facilitate majori, quam is poſt frequentatos actus ſentit ad ſimiles actus eliciendos. Econtra habitus *per ſe infuſus* non dat majorem facilitatem, ſed tantum eſt ad ſimpliciter poſſe.

§. I.

An dentur Virtutes per ſe infuſæ, & an tales ſint Virtutes Theologicæ?

573 Aſſero. 1. Defacto dantur aliquæ virtutes per ſe infuſæ. Eſt communiſſima omnium Theologorum; imo contraria doctrina non ſolum cenſetur temeraria, ſed etiam erronea & hæretica, ut ait Herincx.

P. 1. Ex Clement. Unica de ſumma Trinitate, quæ ita habet: quia quantum ad effectum Baptiſmi in parvulis reperiuntur Doctores quidam theologi opiniones contrarias habuiſſe: quibusdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis econtra aſſerentibus, quod & culpa eisdem in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam, quæ dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem & dictis Sanctorum ac DD. modernorum theologiæ magis conſonam & concordem Sacro approbante Concilio duximus eligendam. Ita ſtatuit Clemens V. in Concilio Viennenſi: ergo juxta hanc Clementinam noſtra ſententia admittens virtutes per ſe infuſas eſt ſaltem probabilior.

Dices 1.

Dices 1. Concilium potest explicari de virtutibus actualibus, 574
non autem habitualibus: v. g. dicendo, quod homini in baptismo conferantur actus fidei, spei, & charitatis, non autem habitus harum virtutum.

Contra est 1. Concilium in cit. Clemen. approbat secundam sententiam DD. quæ asserit infantibus virtutes infundi quoad habitum, non autem quoad usum, sed quoad actuale exercitium, & quoad actus: ergo.

Contra est 2. Concilium cit. dicit infantibus infundi & conferri virtutes: ergo necessario loquitur de habitibus, non autem de actibus virtutum. Quis enim credat infantem unius diei dum baptizatur, habere actum fidei, spei, & charitatis?

Dices 2. Ex hoc textu solum probari, conferri baptizatis virtutes infusas, non autem ex eo haberi, quod hæ virtutes sint *per se infusæ.*

Contra est: in baptismo non conferuntur virtutes per accidens tantum infusæ, seu per se acquisitæ; ergo debent ibi conferri virtutes per se infusæ. p. a. virtutes per se acquisitæ ex natura sua faciliorem hominem reddunt ad exercitium suorum actuum; virtutes in baptismo collatæ non reddunt hominem faciliorem ad exercitium suorum actuum: ergo virtutes in baptismo collatæ non sunt per se acquisitæ. M. & m. patet ex notandis, & dicendis.

P. 2. Ex Trid. Sess. 6. de Justificatione c. 7. ita dicente: Unde 575
in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem: ergo fides, spes & charitas sunt virtutes per se infusæ.

Ut vis hujus argumenti penetretur, nota tridentinum loqui de virtutibus, quæ per baptismum communicantur etiam parvulis. Ex quo facile deduces, Concilium loqui de virtutibus habitualibus, & quidem per se infusis, ut ex prima probatione constat. Item Tridentinum eodem loco ait: fidem, spem, & charitatem Justis inhærere, quod non convenit actibus transeuntibus, sed habitibus permanentibus. Hæc res amplius confirmabitur ex conclusione sequenti.

Hæc conclusio ab aliis probatur variis rationibus, quarum nulla aliquid efficaciæ habet: nam hæc res ex sola libera voluntate & ordinatione divina pendet, quæ nobis unice per Authoritatem, sacram Doctrinam ac traditiones Ecclesiæ innotescit. Nihilominus Deus justi-

justissimas causas & rationes censetur habere, ob quas has virtutes in justificatione hominis infundat, ex quibus etiam hæc congruentia esse potest, ut nempe homines ordinati ad Beatitudinem supernaturalem, etiam per habitus per se infusos habeant principia intrinsece supernaturalia, tanquam media ad illam obtinendam.

576 Assero 2. Tres virtutes theologicæ sunt habitus per se infusi. Ita omnes Theologi.

P. Breviter: tum, quia de charitate id exprimit Apostolus ad Rom. 5. dicens: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Tum, quia id de omnibus virtutibus theologicis clare pronuntiat Tridentinum mox allegatum. Tum, quia id denuo videtur insinuare D. Paulus 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc:* dicit enim S. Paulus *manent*, qui terminus non competit actibus transeuntibus, sed habitibus permanentibus. Tum, quia id docet Concilium Moguntinum de justificatione c. 7. dicens: Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum una cum fide *simul charitatem in corde diffusam, ac Spem accipit: hisque Dei donis in ipso permanentibus vere existit justus.* Notetur terminus *permanentibus*, qui solis habitibus convenit.

§. II.

An præter Virtutes Theologicas, dentur etiam aliæ virtutes per se infusæ?

577 Assero, & Rr. negative. ita Scotus 3. d. 36. n. 28. Durandus, Nominales, & Scotistæ communiter contra D. Thomam, D. Bonaventuram, Richardum & RR. communiter existimantes, quod præter virtutes theologicas infusas, & præter morales acquisitas dentur etiam aliquæ virtutes morales per se infusæ in justificatione v. g. temperantia per se infusa.

P. Breviter: Non est adstruenda existentia virtutum per se infusarum, nisi ea efficaciter probetur ex ratione, experientia, aut Authoritate: atqui existentia virtutum moralium per se infusarum non probatur efficaciter ex ratione, experientia, aut Authoritate: ergo non est adstruenda. M. constat, quia entia non sunt multiplicanda sine necessitate, & ratione efficaci: imo nec virtutes theologicas per se

ſe infuſas admitteremus, niſi earum exiſtentia abundanter probaretur ex Authoritate. m. p. 1. non probatur exiſtentia virtutum moralium per ſe infuſarum ex ratione aut experientia, cum inde neque probari poſſit, quod virtutes theologicæ ſint per ſe infuſæ. Neque probatur efficaciter ex Authoritate, ut ſolutio objectionum oſtendet. Quare.

Ob. 1. S. Scriptura, Concilia, ac Patres virtutes morales vo- 573
cant dona Dei, easque ſpecialiter Deo adſcribunt: ergo virtutes morales a Deo cauſantur & infunduntur. a. probant Adverſarii variis textibus S. Scripturæ, qui tamen parum ſunt ad rem, ut optime advertit Herincx.

℟. Etſi virtutes morales non ſunt per ſe infuſæ, tamen earum actus (de quibus textus ab Adverſariis citandi præcipue loquuntur) poſſunt dici ſpecialiter dona Dei, & Deo ſpecialiter adſcribi. Tum, quia ad ſtabilem elicitionem horum actuum moralium, præſertim illorum, qui ſunt difficiliores, requiritur gratia divina actualis. Tum, quia actus virtutum moralium, ut ſint conducentes ad vitam æternam & meritorii fiant, ſemper exigunt concurſum gratiæ divinæ; quare poſſet in forma diſtingui a. virtutes morales ſunt dona Dei, quia ſunt a Deo per ſe infuſæ n. a. quia earum actus ſemper procedunt ex gratia actuali, imo ex ea procedere debent, ſi ſint meritorii c. a & n. c. Imo & ipſi habitus virtutum moralium mediate a gratia divina actuali dependent: ſiquidem habitus cauſantur per frequentatos actus; ad actus vero ſæpe concurrit gratia actualis, imo in difficilioribus neceſſario concurrere debet: ergo & mediate gratia divina actualis confert ad habitum harum virtutum: conſequenter & habitus poteſt dici eſſe donum Dei.

Dices: Actus virtutum moralium ſunt ſupernaturales in ſubſtantia: ergo etiam requirunt habitum ſupernaturalem in ſubſtantia. a. p. a pari de actibus virtutum theologicarum.

℟. n. a. & ejus probationem. Actus virtutum moralium ſatis poſſunt fieri fructuoſi in ordine ad vitam æternam, etſi ab habitu naturali procedant & entitative ſint naturales, quia ſufficienter poſſunt ad ordinem ſupernaturalem ſaltem extrinſece elevari, quatenus imperantur, & diriguntur per actus virtutum theologicarum in ſubſtantia ſupernaturales; aſt in actibus & habitibus theologicis requiritur ſupernaturalitas intrinſeca & propria; hi enim actus & virtutes ſunt in genere ſupernaturali primi, adeoque non poſſunt per alios actus

fupernaturales priores informari, imperari, & entitative fpiritualizari, fed debent per propriam intrinfecam naturam effe fupernaturales.

579 Objic. 2. In Clement. unica fupra n. 573. cit. dicitur: in baptismo infundi *gratiam & virtutes:* ergo & virtutes morales infunduntur.

℟. Cum P. Herincx Clementinam cit. non effe ad propofitum, ut plures etiam Adverfarii fatentur tefte eodem. Ratio hujus refponfionis eft: quia Pontifex ibi folum dicit, quod una cum gratia virtutes infundantur, non autem determinat, quæ & quot infundantur. Neque ibi erat controverfia, an virtutes morales infundantur in baptismo, fed tantum difputabatur, an gratia & aliquæ, quæcunque tandem virtutes a Deo baptizatis parvulis conferantur, prout ex Clement. cit. liquet.

Dices 1. Propofitio indefinita in re dogmatica æquivalet univerfali: ergo cum Clementina & Concilium dicant indefinite, quod virtutes infundantur, volunt afferere, quod omnes virtutes, confequenter etiam morales infundantur.

℟. 1. Indirecte. Ex hoc argumento fequitur nimium: fequitur enim virtutes morales acquifitas quoque infundi in baptismo; quod ipfi Adverfarii negant. Ratio hujus fequelæ eft, quia & virtutes acquifitæ *fub omnibus virtutibus* continentur.

℟. 2. D. c. quod infundantur omnes virtutes per fe infufæ. c. c. quod infundantur aliæ virtutes, de quibus non conftat, quod fint per fe infufæ. n. c. Concedo omnes virtutes per fe infufas in baptismo conferri; aft nego virtutes morales numerari inter per fe infufas. Hoc igitur prius probare debent Adverfarii.

Dices 2. Concilium in illa Clementina determinavit aliquid, quod erat in controverfia apud Theologos illius temporis: atqui non erat apud ipfos in controverfia, an infunderentur virtutes theologicæ, fed controverfia erat de virtutibus moralibus: ergo Concilium determinavit, quod in baptismo infundantur virtutes morales.

℟. N. m. erat enim difceptatio inter theologos illius temporis, an gratia fanctificans & ullæ virtutes five theologicæ, five aliæ infunderentur parvulis. Putabant enim aliqui, quod parvulis baptizatis per meram extrinfecam condonationem absque ulla infufione gratiæ fanctificantis, aut virtutum qualiumcunque remitteretur peccatum

tum originale. Quæ sententia ea ætate necdum erat damnata ab Ecclesia. Totum id liquet ex verbis Clementinæ supra allatis.

Dices 3. Ea ætate inter theologos erat etiam controversia, an in baptismo virtutes morales infundantur: ergo nulla responsio. a. p. hujus controversiæ, quæ inter theologos illius ætatis agitabatur, mentionem faciens Innocentius III. c. *Majores de baptismo.* ita loquitur: *Illud vero, quod opponentes inducunt NB. fidem, spem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus non infundi, a plerisque non conceditur absolute, cum propter hoc inter Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: non nullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam,* Ex hoc textu satis constat, etiam fuisse controversiam inter theologos illius temporis, an virtutes morales in baptismo infundantur: id enim indicant illa verba: *fidem, spem aut charitatem NB. aliasque virtutes:* ergo.

℞. 1. Transmisso, quod hæc controversia fuerit inter theologos tunc florentes; Concilium tamen circa hanc controversiam nihil declaravit, nisi illud, quod specificat; atqui tantum specificat, quod gratia & virtutes parvulis in baptismo infundantur, quæ determinatio etiam in nostra sententia verificatur, cum & juxta nos virtutes scilicet theologicæ infundantur baptizatis parvulis. Ita respondet Poncius. Proinde in forma posset d. a. fuit hæc controversia inter theologos &c. non tamen fuit determinate a Concilio Viennensi decisa quoad virtutes morales tr. a. fuit etiam decisa quoad virtutes morales. n. a.

℞. 2. Cum P. Herincx per opponentes illos, qui negabant fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes infundi parvulis non consentientibus non intelligi DD. & Theologos Catholicos, ut patet ex initio cap. *Majores.* & ex contextu; imo propter hanc objectionem hæreticorum S. Pontifex primum subjunxit doctrinam theologorum Catholicorum his verbis: *cum propter hoc inter theologos quæstio referatur* &c. ex quo ipso modo loquendi indicatur, verba præcedentia non esse asserta a theologis Catholicis, sed potius propter illa refutanda inter theologos quæstionem moveri aliam quam ibi recenset Innocentius, & in qua tantum dicitur, quod NB. virtutes infundantur, quod non est contra nos. Proinde juxta hanc responsionem in forma negatur a. & minor probationis, vel potius ejus suppositum, quod illa

verba *fidem aut charitatem*, referantur tanquam pertinentia ad controverſiam theologorum illius ætatis.

580 Objic. 3. Juxta Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 7. de juſtificatione, in juſtificatione hominis ei non ſola gratia, ſed & dona infunduntur; atqui per dona intelliguntur tam virtutes Theologicæ, quam morales: ergo.

℞. n. m. per dona in juſtificatione infuſa ſatis congrue intelliguntur virtutes theologicæ: id ſatis indicat ipſum Tridentinum loco cit. paulo inferius, dum ſignanter ſpecificat ea, quæ homini in juſtificatione infunduntur dicens: hæc omnia ſimul infuſa accipit homo fidem, ſpem & charitatem. Neque verbulo mentionem facit virtutum moralium. Huc etiam facit caput 10. ejuſdem ſeſſionis, ubi Tridentinum explanans, in quo conſiſtat augmentum juſtificationis, dixit, illud peti ab Eccleſia, dum orat: *da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum;* ſi igitur augmentum juſtificationis conſiſtit in augmento virtutum theologicarum, tunc & ipſa juſtificatio in infuſione earum conſiſtet, neque requiretur infuſio aliarum inſuper virtutum.

581 Ob. 4. Catechiſmus Romanus de baptismo §. ſed ut baptismi effectus, ait: *Huic* (ſcilicet gratiæ ſanctificanti in baptismo infuſæ) *additur nobiliſſimus omnium virtutum comitatus; quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur:* ergo non ſolæ virtutes theologicæ, ſed omnes virtutes, conſequenter & morales in baptismo infunduntur.

℞. 1. Et retorqueo argumentum: ergo & virtutes acquiſitæ infunduntur in baptismo; nam & hæ ſub omnibus virtutibus comprehenduntur. ℞. 2. D. c. omnes virtutes etiam morales infunduntur formaliter & ſecundum proprios habitus ac entitates n. c. eminenter c. c. charitas eminenter continet omnes virtutes reliquas; quarum omnium actus imperare & dignificare poteſt: hinc quia charitas in baptismo infunditur, cum ea eminenter cenſentur infundi omnes virtutes reliquæ. Ita explica etiam D. Auguſtinum, dum is dicit, quod parvuli poſt baptismum decedentes retineant in cœlo habitus virtutum moralium; retinent enim eas eminenter in habitu charitatis, non autem in propria entitate, aut formaliter. Et hæc explicatio eſt juxta mentem D. Aug. qui Sermone 1. Dom. 4. poſt Epiphaniam, dicit, quod charitas in ſe includat omnes virtutes Cardinales. Aſſentit & D. Paulus dicens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt &c.* tandem Scotus 3. d. 26. q. unica ait: quod virtutes morales parvulis poſſint

possint communicari in Patria primum in instanti beatitudinis, sicut & defacto ipsis communicantur multæ perfectiones in cœlo, quas non habuerunt in via. Vel possunt tales habitus in patria per proprios actus acquirere.

Ob. 5. Homo non solum debet perfici in ordine ad finem supernaturalem, sed etiam ad media supernaturalia: ergo homini non solum in ordine supernaturali debentur virtutes theologicæ, quibus dirigitur ad finem supernaturalem, sed etiam virtutes morales infusæ, quibus homo in ordine supernaturali perficitur in ordine ad media, quæ ad finem conducunt. a. patet, quia alioquin perfectio nostra non esset completa, si perficeremur solum in ordine ad finem supernaturalem, non autem ad media supernaturalia ac proportionata. 582

℟. D. a. Homo debet perfici ad media supernaturalia, seu talia, quæ conducunt & perducunt ad finem supernaturalem c. a. quæ sunt virtutes morales per se infusæ, vel actus virtutum moralium per se infusarum subd. nisi aliunde haberentur sufficientissima media ad finem supernaturalem obtinendum c. a. secus n. a. &c.

Virtutes theologicæ objective quidem attingunt Deum ceu finem nostrum supernaturalem, quo tamen non obstante hæ ipsæ virtutes, earumque actus sunt media maxima ad eundem finem assequendum. Pariter inter media nostræ salutis numerantur virtutes morales acquisitæ, tum quatenus vitæ æternæ impedimenta, scilicet peccata, removent, tum, quatenus earum actus meritorii esse possunt, si procedant ex motivo & imperio virtutis theologicæ, præsertim charitatis, quæ juxta plures gravissimos theologos sola facit actum meritorium, aut certe juxta omnes est maxima radix meriti.

Ob. 6. Virtutes morales per se infusæ sunt possibiles: ergo de facto dantur. ℟. tr. a. quod aliqui Scotistæ non improbabiliter negant. n. c. non omnis major perfectio possibilis debet homini concedi, nisi eam Authoritas, ratio, aut experientia comprobet; neque a potentia ad actum bona est argumentatio. 583

Dices: si virtutes theologicæ sunt possibiles, tunc dantur in Christo: ergo si sunt possibiles tunc dantur. ℟. D. c. si sunt possibiles tunc dantur in Christo tr. in puro homine n. c. hic non agimus de virtutibus Christi, sed purorum hominum.

Ob. 7. In eadem materia virtutum moralium datur duplex ratio motiva, & duplex objectum formale, nempe honestas naturalis or- 584

dinans

dinans hominem ad finem naturalem, & honeftas fupernaturalis, ordinans hominem ad finem fupernaturalem; fic in materia caftitatis datur duplex honeftas, una conveniens homini prout is confideratur fecundum ftatum puræ naturæ, & altera prout confideratur fecundum ordinem fupernaturalem: ergo & debet duplex dari virtus moralis, una naturalis & acquifita, quæ verfatur circa honeftatem naturalem, & altera fupernaturalis, ac per fe infufa, quæ verfatur circa honeftatem fupernaturalem.

℞. n. fuppofitum, quod virtutes acquifitæ & per fe infufæ, quæ fe occupant circa eandem materiam, habeant diverfa objecta formalia & motiva. Hinc transmiffo non conceffo, quod detur caftitas acquifita feu naturalis, & per fe infufa vi fupernaturali, tamen utraque hæc virtus idem haberet objectum materiale & formale, prout colligetur ex dicendis, & plures Adverfarii admittere debent.

Accedit, quod virtutes morales, earumque actus etfi intrinfece naturales tamen poffint conducere ad finem fupernaturalem & æternam vitam confequendam, quia iis mediantibus vitantur peccata, quæ impediunt a fine fupernaturali; tum quia ifti actus in fe naturales poffunt fieri fupernaturales quoad modum, & extrinfece, & fic effe meritorii vitæ æternæ, in quantum nempe a charitate imperantur, vel faltem ut opera, quæ funt facta a conftituto in gratia a Deo acceptantur ad meritum.

Articulus III.

Adducuntur tres Differentiæ inter Virtutes per fe infufas, & acquifitas.

Prima & principalis ac vere effentialis differentia erit, quod virtutes per fe infufæ fint fupernaturales in fubftantia, non autem acquifitæ. 2. Quod virtutes per fe infufæ dent fimpliciter poffe, acquifitæ vero facilitent potentiam. 3. Tandem, quod virtutes infufæ habeant actus fupernaturales in fubftantia, acquifitæ autem actibus mere naturalibus contentæ fint.

§. I.

§. I.

An Virtutes Theologicæ ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam?

Ens ſupernaturale ex propria Ethymologia dicitur illud, quod ſuperat vires naturales; poteſt autem aliquod ens creatum dici ſupernaturale dupliciter, nimirum vel ſecundum ſubſtantiam, & entitatem, vel ſecundum modum. Secundum *ſubſtantiam & intrinſece* ſupernaturalis dicitur illa entitas, quæ abſolute a nullo agente naturali, niſi hoc per aliud comprincipium altioris & ſupernaturalis ordinis elevetur, produci & effici poteſt. Vel ens ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam eſt, quod ſecundum intrinſecam rationem in productione ſui excedit vires naturæ ſeu principii naturalis. Sic viſio beatifica, qua Beati vident Deum in gloria, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quia eam intellectus ceu agens naturale ex ſe & ſolis propriis viribus elicere nequit, ſed debet elevari ad eam cauſandam per lumen gloriæ tanquam comprincipium altioris ac ſupernaturalis ordinis. Quare entia, quæ ſunt intrinſece & quoad ſubſtantiam ſeu entitatem ſupernaturalia, ex ſua natura & eſſentia exigunt produci ab aliquo principio ſupernaturali ſaltem *inadæquato*. Dixi *inadæquato*: quia formæ intrinſece ſupernaturales in ſua productione non excludunt omne principium naturale, ſed una cum principio ſupernaturali quandoque admittunt potentias effectivas naturales. Uti patet in viſione beatifica, ad quam ut cauſa partialis efficiens concurrit intellectus. 585

Supernaturale ſecundum modum & extrinſece tale eſt, quod abſolute poſſet a naturali agente produci, non tamen ſub- & in his circumſtantiis in quibus efficitur. Sic roſa abſolute poteſt a cauſa naturali & naturaliter agente produci, ſi tamen ea producatur tempore hyemali, ubi maximum frigus, & alia naturalia ad illam producendam deſunt, tunc dicitur hæc productio roſæ eſſe ſupernaturalis ſecundum modum.

Dividunt RR. plerumque ſupernaturalitatem hanc utramque in Theologicam & Philoſophicam. *Theologica* eſt, quæ unice & præcipue a Theologis conſideratur, & quæ dicit ordinem ad ultimum finem. Talem ſupernaturalitatem habent virtutes theologicæ, lumen gloriæ,

visio beatifica, gratia, opera meritoria &c. *Philosophica* est, quæ etiam a Philosophis considerari potest, ut replicatio corporum, ubicatio definitiva Corporis Christi in Eucharistia, actio conservativa accidentium sine subjecto. Ex his

186 Colligis 1. Supernaturalitatem explicari debere in ordine ad causam efficientem alicujus entis. Tunc enim aliquod ens est supra vires naturæ, quando a nulla causa efficiente pure naturaliter agente causari potest, nisi ea adjuvetur per altiorem gratiam.

Colligis 2. Hunc conceptum supernaturalitatis esse bonum, quia convenit omni & soli enti, quod de facto extra controversiam apud Catholicos dicitur supernaturale, ut discurrenti per singula patet. Accedit ratio mox in colligendo primo data.

Colligis 3. Productionem animarum rationalium licet a solo Deo fiat, esse naturalem, non supernaturalem: ratio est, quia Deus animas non producit ut Author & agens supernaturale, sed ut naturale. Hinc

Colligis 4. Quod Deus entitative & quoad substantiam sit quidem supernaturalis, qua agens tamen dicatur supernaturalis & naturalis. *Agens naturale* vocatur, quatenus est Author naturæ, seu rerum, quæ ad constitutionem naturalem ac physicam hujus universi spectant: has igitur dum administrat secundum illarum naturalem exigentiam & ordinem, dicitur naturaliter agere. Itaque quia Deus non creat animam rationalem, nisi tunc, dum hanc creationem connaturaliter exigunt dispositiones physicæ a causis naturalibus in utero materno factæ, ideo Deus creando animam agit naturaliter. *Agens supernaturale* dicitur: quatenus est Author gratiæ & gloriæ, & aliarum rerum quæ ad ordinem gratiæ & gloriæ spectant. Item dicitur Deus supernaturaliter agere, supernaturalitate scilicet Philosophica, quando aliquid præstat contra communem & ordinarium cursum, & exigentiam naturæ: sic supernaturaliter egit suspendendo actionem ignis in fornace Babylonica contra naturalem exigentiam ignis: sic supernaturaliter conservat accidentia panis & vini sine subjecto in Eucharistia; hæc enim naturaliter exigerent subjectum. Ex his

Colligis 5. Non statim omnem illam entitatem esse supernaturalem, ad cujus productionem Deus vel solus, vel una cum causis secundis concurrit: ratio est, quia alias omnes res creatæ essent supernaturales, cum ad omnium illorum productionem per concursum simulta-

multaneum concurrat. Bene autem tunc eſt entitas aliqua vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum modum ſupernaturalis, quando ad ejus productionem Deus influit vel ut Author ſupernaturalis, vel modo tali extraordinario, quem non exigit ordo naturalis creaturarum; quia ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam non poteſt aliam & altiorem cauſam productivam exigere, niſi quia habet aliam & diverſam eſſentiam intrinſecam, quam ens naturale: ergo.

Colligis 6. Ens ſupernaturale quoad modum eſſe intrinſece naturale, eoipſo, quia tantum dicitur ſupernaturale ratione alicujus accidentis & modi extrinſeci. Hæc longius deduxi, quia eorum notitia maxime eſt neceſſaria per univerſam theologiam. H. N.

Aſſero: Habitus Virtutum theologicarum ſunt ſupernaturales 587
quoad ſubſtantiam. Communis. P. Ex immediate dictis illa virtus intelligitur eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quæ a nullo agente naturali produci poteſt; atqui virtutes theologicæ a nullo agente naturali produci poſſunt: ergo. m. p. nam Virtutes theologicæ nec ab aliqua cauſa creata vel increata naturaliter agente effici poſſunt; non a cauſa creata, cum ſint hæ virtutes ideo per ſe infuſæ a Deo, quia ſunt ſupra vires omnis agentis creati. Nec a Deo ut agente naturali efficiuntur vel effici poſſunt, nam Deus tunc tantum agit naturaliter, quando agit juxta exigentiam naturalem rerum: atqui in homine, vel creatura nulla eſt exigentia naturalis, juxta quam Deus deberet producere virtutes theologicas & habitus per ſe infuſos: hi enim habitus & virtutes omnem exigentiam ac ordinem naturalem tranſcendunt, ac ad ſolum ordinem ſupernaturalem pertinent: ergo. Accedit, quod juxta communem Theologorum ſynonima ſint virtus per ſe infuſa, & virtus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo. Ex his

Fit 1. De natura virtutum theologicarum eſſe, quod non poſſint acquiri & cauſari *phyſice* per actus frequentatos; ſi enim ſic acquirerentur, non eſſent per ſe infuſæ nec ſupernaturales quoad ſubſtantiam, cum ab agente naturali ſcilicet ab actibus frequentatis produci poſſent. Per hoc tamen non negatur, quod hæ virtutes non poſſint acquiri per actus frequentatos meritorie; nam per actus aliquos poteſt quis mereri, vel ſaltem diſpoſitionem ſupernaturalem ponere, ad quam infunduntur iſti habitus a Deo. Verum tales actus non ponunt diſpoſitionem phyſicam, ac naturalem ſed ſupernaturalem,

adeoque hæc difpofitio non obeft intrinfecæ fupernaturalitati præfatarum virtutum.

Fit 2. Quod virtutes theologicæ ab acquifitis primario diftinguantur in hoc, quod theologicæ fint fupernaturales in fubftantia, & ab agente naturali effici nequeant, acquifitæ vero fint naturales & per caufas naturales nempe per frequentatos actus producantur.

§. II.

An Habitus per fe infufi dent facilitatem potentiæ ficut habitus acquifiti?

588 Affero 1. Habitus virtutum theologicarum per fe infufi non dant aliquam facilitatem majorem potentiæ in ordine ad eliciendos actus harum virtutum. Communis.

P. 1. Juxta communem fententiam habitus per fe infufi dantur ad fimpliciter poffe non autem ad faciliter poffe: ergo habitus per fe infufi non dant facilitatem, fed tantum potentiam agendi.

P. 2. Ab experientia, qua conftat, quod ille, qui habet virtutes theologicas infufas non fentiat majorem facilitatem ad actus fidei, fpei & charitatis eliciendos, quam ille, qui non habet: ergo. a. p. 1. Puer baptizatus licet habeat habitum fidei, fi ad adultam ætatem perveniat, non fentit majorem facilitatem eliciendi actum fidei, quam alius non baptizatus, & carens habitu fidei infufo. 2. Adultus hæreticus, qui ad fidem catholicam fe recipit, quamvis in fua juftificatione accipiat habitum fidei infufum, non tamen propterea experitur aliquam facilitatem ad credendum; imo talis majorem propenfionem habebit ad hærefin & non credendum, quam ad credendum & actus fidei noftræ. Etiamfi per fufceptionem Sacramentorum multum intendantur habitus virtutum theologicarum, non tamen inde ftatim fentimus majorem intenfioremque inclinationem ac facilitatem ad eliciendos actus harum virtutum: ergo. Ex his

Inferes 1. Per virtutes per fe infufas non tolli ullam difficultatem fenfibilem, quam habemus in operando. Hujus ratio eft 1. quia eatenus tollerent, quatenus tribuerent majorem facilitatem: atqui virtutes per fe infufæ non tribuunt majorem facilitatem: ergo. 2. quia

quia Parvulus baptizatus & his virtutibus inſtructus ſentit tantam difficultatem, quantam ille habet, qui caret his habitibus & non eſt baptizatus. 3. Quia ille etiam, qui habet has virtutes in intenſiore gradu, exinde non experietur minorem difficultatem in eliciendis earum actibus.

Inferes 2. Gratiam illam, quae ſecundum Concilia requiritur ad ſuperandas tentationes & difficultates non eſſe habitualem, nec eſſe habitus per ſe infuſos, ſed eſſe gratias actuales.

Nunc indagatur, an habitus per ſe infuſi ſint ad ſimpliciter poſſe. Tunc autem habitus eſt ad ſimpliciter poſſe, quando potentia vitalis cum ordinario & generali concurſu Dei non poteſt elicere ſuos actus, niſi habeat talem habitum, vel aliud auxilium extraordinarium habitui in activitate æquale. Ita fides habitualis per ſe infuſa eſt ad ſimpliciter poſſe; quia intellectus ſine ea non poteſt una cum concurſu ordinario Dei elicere ullum actum fidei in ſubſtantia ſupernaturalem. H. N.

Aſſero 2. Habitus per ſe infuſi ſunt ad ſimpliciter poſſe.

P. 1. Quia communiter dicitur, quod habitus per ſe infuſi ſint 589
& dentur ad ſimpliciter poſſe. 2. Habitus per ſe infuſi non ſunt ad facilius poſſe: ergo debent eſſe ad ſimpliciter poſſe, alias enim eſſent omnino fruſtranei. 3. Communiter docetur, quod actus fidei, ſpei, & charitatis ſint ſupernaturales in ſubſtantia: ergo ſimpliciter exigunt aliquod principium ſaltem partiale ſui productivum, quod eſt ſupernaturale, nempe habitum ſupernaturalem & per ſe infuſum. Ex quo

Colligis 1. Virtutes per ſe infuſas phyſice & effective influere in ſuos actus. Ratio eſt quia in tantum dant ſimpliciter poſſe, in quantum ſupplent defectum potentiæ effectivæ in ordine ad actus ſupernaturales, conſequenter in quantum partialiter coefficiunt illos actus. Hinc dato, quod virtutes & habitus acquiſiti effective non influant in ſuos actus, tamen in eos influere debent virtutes per ſe infuſæ; quia hæ dant ſimpliciter poſſe, non autem habitus acquiſiti.

Colliges 2. Cum habitu per ſe infuſo etiam potentiam vitalem v. g. cum fide intellectum quoque concurrere ad actus fidei ſupernaturales. Ratio eſt, quia hi actus virtutum ſunt vitales: ergo etiam requirunt comprincipium vitale, ſcilicet potentiam vitalem, qualis eſt intellectus reſpectu actuum fidei.

590 Affero 3. Non obftante conclufione fecunda per potentiam abfolutam Dei actus virtutum theologicarum fupernaturales in fubftantia poffunt obtineri fine habitibus per fe infufis. Ita communis SS. tefte Poncio, & longe communior inter R. R.

P. 1. Habitus per fe infufi in ordine ad actus fidei, fpei & charitatis eliciendos requiruntur tantum in ordine caufæ efficientis, fed Deus de potentia abfoluta poteft fupplere omnem concurfum caufæ efficientis qua talis: ergo poteft etiam fupplere concurfum effectivum habituum per fe infuforum, & ita per concurfum extraordinarium, vel aliud auxilium intrinfecum habitui æquivalens actus illos fupernaturales efficere, etfi non adfint habitus per fe infufi.

P. 2. De facto producuntur non raro actus virtutum theologicarum, quando necdum animæ funt infufi habitus illarum virtutum: fic infidelis, qui necdum habet habitum fidei infufum, poteft actum fidei fupernaturalem elicere, quo mediante difponitur ad juftificationem & habitum fidei recipiendum; item peccator gravis caret habitu charitatis infufo, & tamen is poteft actum amoris Dei fuper omnia, nec non contritionem ex illo amore procedentem elicere: ergo habitus virtutum per fe infufarum non ita requiruntur, ut eorum concurfus non poffit a Deo fpecialiter fuppleri.

Refpondent Thomiftæ: etiam ille actus contritionis & amoris Dei, qui elicitur a charitate, provenit ab habitu charitatis; nam ille actus eft prior & pofterior charitate habituali juxta ipfos. *Prior* eft, in quantum eft difpofitio ad habitum charitatis per fe infufum, mediante actu illo amoris acquirendum, & *pofterior* eft in quantum exigit ab habitu charitatis infufæ effici. Verum contra hanc refponfionem eft, quod ea admittat mutuam caufalitatem & mutuam naturæ prioritatem, quæ juxta principia noftræ Philofophiæ non datur.

591 Ob. Actus charitatis fupernaturalis poteft haberi fine habitu charitatis infufo: ergo habitus charitatis infufus non dat fimpliciter poffe. R. D. a. poteft haberi fine habitu charitatis, ita tamen, ut a Deo fpecialiter fuppleatur concurfus illius habitus per fe infufi c. a. ut non fuppleatur fpecialiter n. a. Dum abeft habitus per fe infufus, & tamen ejus actus caufatur a potentia, tunc vel debet Deus concedere homini auxilium *aliquod fpeciale* actuale æquivalens habitui in activitate, vel debet Ipfe Deus fpeciali concurfu extrinfeco immediate influere in actum illius virtutis.

Dixi 1. vel *auxilium* vel concurſum, nolo enim multum litigare, an habitus per ſe infuſus ſuppleatur determinate per auxilium intrinſecum, & gratiam actualem inditam animæ. Etenim ſive per tale auxilium intrinſecum ſeu animæ inhærens, ſive per concurſum Dei ſuppleatur influxus habitus per ſe infuſi, tunc jam ſequitur meum intentum.

Dixi 2. Auxilium *aliquod ſpeciale:* etenim non ſufficit ad hanc ſuppletionem auxilium ordinarium, & gratia actualis illa, quæ etiam hominem jam inſtructum habitibus per ſe infuſis debet illuminare & excitare ad actu credendum, ſperandum, ac diligendum. Hæc enim tantum datur, ut habitus præexiſtentes in anima & ei jam infuſos ad actum reducat, & quaſi ſopitos per illuſtrationem & motionem ſupernam excitet ad agendum. Hoc autem auxilium *ſpeciale*, de quo hic loquimur, non deberet habitus jam præexiſtentes excitare ad agendum, ſed omnino deberet eorundem habituum necdum in anima exiſtentium activitatem & concurſum ſupplere.

Dixi 3. *Vel concurſum ſpecialem extrinſecum:* non ſufficit proinde concurſus concomitans ordinarius, & generalis, quo etiam cum præſentibus habitibus Deus debet ſimultanee in eorum actus influere: verum omnino neceſſarius eſſet aliquis concurſus alius ſpecialis ac fortior; qui quoque influxum habitus per ſe infuſi tunc abſentis ſuppleret. Dicitur autem hic concurſus *extrinſecus*, quia is non inhæret animæ per modum alicujus qualitatis, ſicut tamen inhærent habitus infuſi & gratiæ actuales.

Petes: quare ergo homini infundantur habitus per ſe infuſi, 592
cum tamen auxilium ſpeciale tranſiens, item concurſus Dei ſpecialis extrinſecus ſufficerent ad actus ſupernaturales virtutum theologicarum eliciendos?

℟. Id fieri ex gratuita Dei voluntate & liberalitate, neque eſſe neceſſitatem abſolutam horum habituum. Ratio tamen congruentialis dari poteſt; quia Deus per hos habitus voluit hominem non tantum tranſeunter ſed etiam permanenter elevare ad ſtatum ſupernaturalem, & inde ei infundit has formas permanentes ſupernaturales. 2. Iſti habitus debent ſupplere defectum potentiarum, adeoque ſe habent per modum potentiæ: ergo congruit, ut hi habitus pariter ſint permanentes, ſicut potentiæ ſunt permanen-

manentes, quarum defectum supplent. 3. Anima in statu naturali considerata habet suas potentias naturales permanentes, nempe intellectum & voluntatem: ergo etiam congruit, ut in statu supernaturali spectata, habeat potentias & principia supernaturalia permanentia, scilicet hos tres habitus per se infusos. Ex quibus tandem secunda differentia patet inter virtutes acquisitas & per se infusas, consistens in eo, quod virtutes per se infusæ dent simpliciter posse, non item virtutes acquisitæ.

§. III.

An Habitus per se infusi Virtutum Theologicarum etiam causent actus supernaturales in substantia?

593 Assero: Actus fidei spei & charitatis sunt supernaturales quoad substantiam. Herincx d. 2. de gratia q. 4. Poncius autem ac Frassen hanc assertionem supponunt, licet eam ex professo ab iis tractatam reperire non potuerim.

P. 1. Actus fidei, spei & charitatis non possunt obtineri a principio pure naturali, sed requirunt aliquod comprincipium supernaturale, scilicet habitum per se infusum: ergo actus hi sunt supernaturales in substantia. c. patet ex conceptu supernaturalitatis explicato n. 585. a. iterum videtur certum: quia habitus hi per se infusi dant simpliciter posse, ita ut sine iis potentia naturalis in actum fidei, spei & charitatis salutarem exire nequeat.

Respondebis, quod illi habitus sint ad simpliciter posse quoad modum. *Contra est*, modus ille supernaturalis jam haberetur, si actus ille fidei produceretur a sola potentia naturali, ut excitata a gratia actuali: ergo ad supernaturalitatem quoad modum non esset necessarius habitus infusus. a. patet, quia actus temperantiæ juxta Adversarios sunt supernaturales quoad modum, si fiant a potentia & habitu mere naturali, dummodo potentia sit excitata per gratiam actualem: ergo &c.

Contra est 2. Tali modo possunt negari omnes actus supernaturales in substantia: sic posset dici, visionem beatificam, item Amorem Beatorum in Patria esse tantum supernaturalem quoad modum:

modum: quia nempe lumen gloriæ & habitus charitatis in Patria darent ſolum ſimpliciter poſſe quoad modum: hoc autem eſt abſurdiſſimum: ergo. Quare

P. 2. Idem habitus charitatis in patria producet fruitionem & amorem Dei in ſubſtantia ſupernaturalem: ergo & in via; non enim in via habitus ille habet aliam naturam & potentiam activam, quam in patria.

P. 3. Quia lumen gloriæ eſt comprincipium in ſubſtantia & activitate ſupernaturale, ideo una cum intellectu producit viſionem beatificam entitative & in ſubſtantia ſupernaturalem: ergo etiam quia habitus per ſe infuſi virtutum theologicarum ſunt comprincipia in ſubſtantia & activitate ſupernaturalia, ideo cum intellectu & voluntate producent actus entitative & in ſubſtantia ſupernaturales.

P. 4. Per habitus virtutum per ſe infuſarum elevamur ad ſtatum ſupernaturalem, cui debentur operationes ſupernaturales: ergo homo ſic elevatus per hos habitus debet poſſe elicere operationes ſupernaturales his habitibus reſpondentes, ſcilicet actus fidei, ſpei, & charitatis entitative ſupernaturales.

Probant alii Scotiſtæ concluſionem ulterius 1. Ideo actus fidei &c. eſſe ſupernaturales in ſubſtantia, quia ad eos eliciendos Deus movet in ratione objecti ſupernaturalis. 2. Quia actus harum virtutum ſunt ab intrinſeco & eſſentialiter meritorii. 3. Quia ſunt diſpoſitio ad gratiam juſtificantem entitative ſupernaturalem; conſequenter & ipſi actus debent eſſe ſic ſupernaturales, eo quod diſpoſitio proportionari debet formæ, ad quam diſponit.

Verum hæ probationes innituntur principiis Thomiſticis, quæ a Scotiſtis negantur. Et quidem Prima ex his probationibus refutabitur articulo ſequenti §. 1. ſecunda vero & tertia ſupponit gratiam ex natura rei ſanctificare, & diſpoſitiones ad illam factas, ex natura rei eam promereri. Quorum neutrum in noſtra ſchola ſuſtineri valet, ut tractatus de gratia docet.

Ob. 1. Poteſt homo ex puris viribus naturalibus credere, ſpe-
rare, & amare Deum, prout Scotiſtæ paſſim docent: ergo actus fi- 594
dei, ſpei &c. ſunt quoad ſubſtantiam naturales; quia quoad enti-
tatem ſuam intrinſecam poſſunt elici a puris viribus & cauſis na-
turalibus.

℟. D. a. Poteſt homo puris naturæ viribus credere ſalutariter, ſeu ut actus talis naturalis fidei ipſi profit ad ſalutem n. a. non ſalutariter c. a. actus fidei ſalutares debent eſſe neceſſario a principio ſupernaturali, vel ab habitu per ſe infuſo, aut alio ejus concurſum ſupplente, adeoque in entitate non poſſunt eſſe naturales.

595 Ob. 2. Actus fidei naturalis & ſupernaturalis ſunt ejusdem ſpeciei & eſſentiæ: ergo actus fidei ſupernaturalis ab actu fidei naturali tantum differt quoad modum. a. p. ſi ſpecie differrent, poſſemus nos diſcernere inter actum fidei naturalem & ſupernaturalem, & ſic poſſemus ſcire, quando tantum habemus actum fidei naturalem, & quando ſupernaturalem, atqui hoc nullus Catholicorum admittet: ergo.

℟. N. a. ad prob. retorq. arg. ſi actus fidei naturalis & ſupernaturalis differunt quoad modum, tunc nos poſſumus diſcernere, quando habemus actum fidei tantum naturalem carentem hoc modo ſupernaturalitatis, & quando habemus actum ſupernaturalem inſtructum ſcilicet modo ſupernaturalitatis. Vel ſi dicis hunc modum in hac via non eſſe cognoſcibilem a nobis, qui a ſenſibus dependemus, tunc dico, & prædicatum ſpecificum ſupernaturalitatis eſſe tale, quod ab homine in vita hac degente cognoſci nequeat.

℟. 2. N. M. probationis; in hac vita enim ſupernaturalitas entium a nobis non eſt cognoſcibilis, in quocunque conſiſtat ſive in modo, ſive in prædicato eſſentiali intrinſeco. Hinc cognoſcimus in actu fidei ſupernaturali ſolum ea, quæ habet communia cum actu fidei naturali, nimirum vitalitatem ejus ac tendentiam in Deum, vel Myſterium quod creditur propter Authoritatem revelantis &c. Adeoque mirum non eſt, quod actus fidei naturalis, & ſupernaturalis in hac vita a nobis diſcerni nequeant.

596 Ob. 3. Concilium Trid. ſolum dicit, quod homo ex puris viribus naturalibus non poſſit *credere*, *ſperare*, & *diligere ſicut oportet*: ergo ſatis indicat, quod homo poſſit credere, ſperare &c. quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, quem per τὸ *ſicut oportet*, indicat.

℟. D. a. Et illud *oportet* indicat tantum aliquam circumſtantiam extrinſecam & accidentalem n. a. indicat aliquid intrinſecum & eſſentiale actui, nempe prout eſſe debet & exigit ſecundum eſſe ſpecificum c. a.

Porro Canon ille Tridentini citatus non eſt ad propoſitum; loquitur enim de neceſſitate gratiæ actualis ad actus fidei; nos autem non

non dicimus hos actus eſſe ſupernaturales ideo, quia ad eos requiritur gratia, ſed quia revera habitus per ſe infuſi, qui dant ſimpliciter poſſe, ad eos exiguntur. Quod autem propter præciſum concurſum gratiæ actualis tales actus non ſint ſupernaturales in ſubſtantia, ratio eſt 1. quia ſatis incertum, an gratiæ actuales phyſice influant in actus illos, ad quos illuſtrant, & movent. Item, quia gratia actualis divina requiritur ad difficiliores actus virtutum moralium, etſi hi non ſint ſupernaturales in ſubſtantia. Tandem Concilium laudatum unice vult, quod ſine illuſtratione non poſſit elici actus fidei, ſpei, & charitatis *ſicut oportet*, id eſt, ſicut requiritur ad juſtificationem. Verba ejus ſeſſ. 6. can. 3. ſunt: *ſi quis dixerit, ſine Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Ob. 4. Actus fidei ſupernaturalis, & naturalis poſſunt habere 597
idem motivum & objectum tam materiale quam formale: ergo non diſtinguuntur ſpecie. ℞. 1. Retorq. arg. Actus Amoris Dei in Patria & in via habent idem objectum motivum & materiale: ergo non diſtinguuntur ſpecie.

℞. 2. D. a. Habent tamen neceſſario diverſas cauſas productivas c. a. non habent n. a. eoipſo, quod diverſas exigant cauſas productivas, ſpecie diſtincta prædicata debent habere. Item habent diverſum modum tendendi in Deum, nempe actus naturalis modo naturali, ſupernaturalis vero ſupernaturali in Deum tendit.

Ob. 5. Contra noſtras probationes. Viſio beatifica habet ſpe- 598
cialem modum tendendi in Deum, ſcilicet intuitivum, qui excedit vires naturæ, talis modus tendendi ſpecialis non poteſt oſtendi in actu fidei ſupernaturali præ naturali: ergo actus fidei non debet eſſe neceſſario ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſicut viſio beatifica eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

℞. n. 2. m. Antecedentis: nam & actus fidei habet modum tendendi ſpecialem, ſcilicet ſupernaturalem, qui proinde vires naturæ excedit. Deinde dato, quod non ſit ſupernaturalis propter tendentiam in objectum, tamen deberet eſſe ſupernaturalis, quia actus fidei ſupernaturalis productio ſimpliciter excedit vires naturæ, ſicut productio viſionis beatificæ.

Ob. 6. Si actus fidei eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, tunc 599
viſio beatifica non eſſet altioris ordinis, quam actus fidei; hoc non

 poſſet

posset dici: ergo: M. constat, quia actus fidei æque esset supernaturalis ac visio beatifica.

℟. D. M. Non esset altioris ordinis, esset tamen in eodem ordine supernaturali nobilioris speciei & essentiæ c. M. secus n. M. sic & in ordine naturali unum ens excedit alterum perfectione & nobilitate.

600 Ob. 7. Actus virtutum aliarum non sunt supernaturales quoad substantiam: ergo neque virtutum theologicarum. ℟. D. a. & hoc ideo quia non procedunt ab habitu per se infuso. c. a. secus n. a. & c. Actus pœnitentiæ reconciliativæ & justificativæ sunt quoque supernaturales quoad substantiam, quia debent a charitate procedere.

601 Ob. 8. Ad actus fidei concurrit cum habitu potentia simul naturalis, scilicet intellectus: ergo & actus fidei debent esse naturales; quia effectus sequitur debiliorem partem suæ causæ.

℟. N. c. Ejus probatio in causis physicis non habet locum. Visio enim vitalis est perfectior specie visibili, licet species illa visibilis sit debilior causa respectu visionis. Fallit igitur hoc axioma, quando duæ causæ partiales concurrentes ita integrant unam causam, ut una augeat virtutem alterius, adeoque constituant virtutem totalem agendi perfectiorem. Hinc axiomatis illius sensus esse potest: quod effectus sit perfectior, dum ab utraque causa æqualiter perfecta procedit, quam si ab una magis & altera minus perfecta producitur. Quare utique perfectior esset actus fidei, si non solus habitus, sed & intellectus foret supernaturalis. Vel dic: hoc solum locum habere in arte syllogistica. In forma sic distingui potest: effectus sequitur debiliorem partem causæ, id est, non est ita perfectus, ac si utraque causa esset æqualiter perfecta & supernaturalis c. secus n. Quod autem talis actus adhuc sit supernaturalis patet, quia adhuc superat simpliciter vires pure naturaliter agentis. Retorsio potest fieri in visionem beatificam, & in amorem, quo Beati amant Deum.

602 Quæres, quid in hac materia & controversia Scotus sentiat? ad hoc quæsitum ℟. verbis disertis nostri Patris Herincx Scotistæ eximii, qui cit. loco ita dicit: solet autem a multis in contrarium citari Scotus, quasi docuerit omnes actus dilectionis Dei esse ejusdem rationis, adeoque naturales, imo non dari formas intrinsece, & suapte supernaturales; quos merito reprehendit Cavellus in Scholio q. 1. Prologi n. 20. ostendens ex variis Scoti locis, quod statuerit habitus &

& actus supernaturales; etsi (ut notat Cavellus in Scholio quodlib. 17. n. 6.) videatur fuisse irresolutus, an actus fidei infusae & acquisitae, charitatis infusae & acquisitae specie essentiali distinguantur. quod sane ratione naturali ostendi nequit, etsi ex principiis fidei videatur satis solide deduci, ut ex praemissis constat. Ita P. Herincx: ex quibus colligitur, Scotum si non nostram sententiam ex professo tradat, saltem eam non absolute negare, vel potius Scotum in hac materia esse Problematicum.

Verba Cavelli sunt in Scholio ad quaestionem 1. prologi n. 2. adduco alia ejus loca ad hoc improbandum. 1. d. 17. q. 2. §. *contra istam solutionem* a n. 34. & §. *ad solutionem.* n. 38. ponit habitum infusum charitatis. & 3. d. 23. §. *aliter potest*, fidem ponit *infusam*; & 3. d. 26. §. *ad quaestionem.* spem infusam. Simile habet 4. d. 49. q. 11. quibus locis docet habitus infusos concurrere effective ad actus, ex quo colligitur actus esse ejusdem ordinis cum ipsis. In hac distinctione & ejus quaestione unica §. *contra quia* ℣. *praeterea.* admittit posse concedi, quod actus fidei acquisitae & infusae sint alterius rationis, ex eo quia habent alia principia productiva. In eadem quaestione §. *ad quaestionem* ℣. *contra hoc ultimum*, distinguit actus fidei infusae & acquisitae, quod prior sit NB. *infallibilis*, & *indeceptibilis*, alter vero deceptibilis & fallibilis. Et ℣. *Dico tunc*, ait: quod fides infusa est propter perfectionem gradus actus secundi, seu actus fidei, quo in actu secundo creditur, quem gradum non posset habere intellectus cum fide acquisita solum: ergo agnoscit Scotus aliquam perfectionem intrinsecam in actu fidei supernaturalis, quam non agnoscit in actu fidei acquisitae. Idem tenet quodlibet. 14. §. *de primo* ℣. *alia differentia.* ubi expresse distinguit actum fidei infusae, ab actu fidei acquisitae, quia prior nequit esse falsus, bene alter. Praeterea 3. d. 23. quodlibet. 14. docet actum charitatis essentialiter differre: ergo sentit hos actus esse supernaturales, & quando ait habitum esse proprie supernaturalem non actum. 1. d. 17. q. 2. ad 3tium pro opinione Magistri n. 53. idem hoc dicit, quia (inquit) forma illius charitas, licet sit supernaturalis, posita in esse, naturaliter agit, & quia causa secunda concurrit ad actum, & non ad habitum, quia creatur. Et ibidem docet actum esse supernaturalem ratione formae concurrentis ad ipsum. Constat ergo secundum Scotum manifeste habitus & actus intrinsece dari supernaturales. Ita Cavellus.

Ex hoc igitur articulo habes triplicem differentiam, qua virtutes per se infusæ ab acquisitis distinguuntur. Prima & essentialis est, quod habitus per se infusi sint supernaturales in substantia, consequenter non possint effici a principio & causa pure naturali. Secunda est, quod habitus per se infusi dent simpliciter posse. Tertia demum quod actus virtutum per se infusarum sint pariter supernaturales in substantia; cum tamen contra habitus acquisiti sint supernaturales in substantia dent solum facile; non autem simpliciter posse, & causent actus naturales.

Jam ulterius quæritur, an non detur alia insuper differentia inter virtutes per se infusas & acquisitas, & quidem 1. an non differant ex parte objecti seu materialis, seu formalis & motivi. 2. An non & habitus per se infusi creentur, & sic præcellant habitus acquisitos, utpote qui non creantur, sed educuntur. Pro utraque hac difficultate expedienda sit

Articulus IV.

An Virtutes per se infusæ, earumque actus a virtute naturali & acquisita hujusque actibus differant ratione Objecti.

Ut difficultas hujus articuli rite resolvatur, est ante omnia inquirendum, an etiam dentur vel dari possint virtutes theologicæ naturales, & acquisitæ, seu an præter habitus fidei, spei & charitatis supernaturales & per se infusos dentur aut dari possint habitus naturales & acquisiti fidei, spei, & charitatis. Pro quo sit

§. I.

An etiam dentur, & unde generentur habitus naturales & acquisiti, fidei, Spei, & charitatis?

603 Assero 1. Dantur habitus fidei, spei, & charitatis acquisiti distincti ab habitibus per se infusis. Scotistæ communiter.

P. Ex frequentatis actibus fidei, spei & charitatis nascitur in homine facilitas quædam permanens ad similes actus eliciendos: atqui

qui hæc facilitas nata ex frequentatis actibus non est habitus per se infusus, sed acquisitus: ergo dantur etiam habitus fidei, spei, charitatis acquisiti. M. constat ab experientia, qua is longe facilius hos actus elicit, qui eos frequenter exercet, quam ille, qui raro illos elicere solet. m. vero p. quoad singula membra. 1. Enim hæc facilitas est habitus, quia quævis facilitas ex frequentatis virtutum actibus relicta ac permanens & ad similes actus inclinans dicitur habitus. 2. Non est habitus per se infusus; habitus enim per se infusus non dat facilitatem aliquam, sed tantum simpliciter posse: ergo præfata facilitas est habitus acquisitus.

Confirmatur. Demus hominem aliquem, qui propter frequens exercitium actuum fidei maximam facilitatem acquisivit assentiendi omnibus articulis fidei. Jam fingamus eundem incidere in hæresin formalem circa unum solum articulum, v. g. negat hæretice realem præsentiam Christi in Evcharistia. Hoc dato sic argumentor: hic homo etiam postquam in hæresin formalem incidit, habet adhuc antiquam facilitatem assentiendi & credendi reliquis articulis fidei, excepto uno illo quem hæretice negat: ergo adhuc habet habitum facilitantem & inclinantem ad credendum reliquis articulis; a. & c. videntur constare. *Subsumo igitur:* atqui hic habitus inclinans & facilitans ad credendum aliquibus articulis non est habitus fidei per se infusus: ergo est acquisitus & comparatus per frequens exercitium actuum fidei. m. subs. prob. habitus fidei infusus totus destruitur & cessat in homine, dum is circa unum articulum fit hæreticus, ut inferius dicetur: ergo.

Dices cum Suario L. 4. de gratia c. 14. relato, cit. apud Viva, facilitatem illam, quam post frequentatos actus virtutum supernaturalium experimur, esse refundendam non in virtutes & habitus acquisitos, sed in specialem Dei providentiam conferentem ad id auxilia uberiora. Contra est: commode potest assignari causa secunda productiva hujus facilitatis in homine: ergo frustra & absque necessitate recurritur ad causam primam, nempe ad Deum.

Assero 2. Habitus hi acquisiti fidei, spei & charitatis causantur per actus supernaturales virtutum per se infusarum. Scotistæ omnes. videtur autem hæc conclusio esse contra TTas. 604

P. Breviter: habitus acquisitus causatur per illos actus, per quorum frequentationem & elicitionem comparatur & acquiritur: atqui habitus acquisiti fidei, spei & charitatis facilitantes ad similes actus

acquiruntur per frequentationem & elicitionem actuum supernaturalium fidei, spei &c. ergo etiam per actus illos supernaturales illi habitus causantur. M. claret ab inductione omnium habituum acquisitorum tam virtutum moralium, quam intellectualium. m. constat ab experientia. Nam Catholicus sese frequenter exercens in actibus supernaturalibus fidei infusæ tandem contrahit facilitatem non modicam hos actus expedite, & intrinsece ac deliberate eliciendi.

Dices cum Ripalda apud Viva: cum actu fidei supernaturali semper adesse in nobis aliquem alium actum fidei naturalem, adeoque facilitatem præfatam & habitum acquisitum fidei non ex actibus supernaturalibus, sed ex mere naturalibus nasci.

Contra est: gratis & sine fundamento asserit, tunc, dum elicimus actum fidei supernaturalem in nobis dari duos actus, quorum unus esset supernaturalis, alter naturalis. Id enim dicitur contra omnem experientiam, sine ratione, ac Authoritate sufficiente, & præcise ideo, ut evitetur vis nostræ probationis.

605 Assero 3. Habitus fidei per frequens exercitium actuum supernaturalium acquisiti & causati sunt naturales in substantia. Ita ex professo noster Blasius a Beniumea citans alios.

P. 1. Illa entitas non est supernaturalis in substantia, quæ potest ab agente pure naturali produci; atqui illa facilitas ad credendum, sperandum &c. posset produci ab agente pure naturali, scilicet a pure naturalibus actibus fidei spei & charitatis: ergo facilitas illa non est supernaturalis in substantia. Consequenter illi habitus fidei, spei &c. acquisiti, qui sunt illa ipsa facilitas mere erunt naturales. M. patet. m. p. si enim aliquis carens habitu infuso fidei, & destitutus extraordinario auxilio Dei se exerceret in actibus fidei mere naturalibus, per eos assentiendo articulis nostræ Religionis propter Deum revelantem: talis certe æqualem facilitatem credendi in se tunc causaret per actus naturales fidei, qualem nunc aliquis comparat per actus supernaturales: ergo facilitas illa potest causari per puros actus naturales.

Confirm. Habitus acquisitus potest causari per tales actus, ad quales eliciendos illum inclinat, & facilitat; atqui habitus hi acquisiti fidei, spei &c. inclinant ad actus mere naturales fidei, spei &c. ergo etiam possunt haberi per actus fidei spei &c. mere naturales. M. est certa ex Philosophia. Habitus enim tantum inclinat ad actus in specie & essentia similes iis, a quibus est causatus, vel causari potest.

test. m. constat in hæretico, de quo in conclusione prima, in quo habitus acquisitus fidei inclinat & facilitat ad actus mere naturales.

Confirm. 2. Habitus potest causari per illos actus, per quos intenditur, sed habitus acquisitus fidei potest intendi per actus mere naturales fidei: ergo etiam per eos causari potest. M. constat; quia gradus intensionis omnes sunt ejusdem rationis, seu sunt homogenei: ergo per quos actus causari potest secundus, vel tertius gradus alicujus habitus, potest etiam primus causari. m. p. Iterum in illo hæretico, qui si pergat fide naturali credere, & sæpius elicere actus fidei circa articulos illos, quibus non dissentit, tunc priorem credendi facilitatem multum augebit & intendet.

P. 2. Etsi Deus in entitate & substantia sit supernaturalis, non 606
tamen quando agit semper effectum in substantia supernaturalem causat: ergo etiamsi actus fidei sint supernaturales in substantia, non tamen propterea habitum fidei acquisitum in substantia supernaturalem efficiunt. a. constat: quia Deus creando Angelos, animas rationales, mundum hunc totum non egit supernaturaliter, sed naturaliter. vide n. 586.

Confirm. Etsi actus fidei sint supernaturales in substantia, non sunt tamen supernaturales in ratione principii effectivi, neque in habitum acquisitum fidei sub ratione principii supernaturalis influunt: ergo non causant habitum supernaturalem in substantia. c. liquet, quia etiam Deus tunc, dum non agit qua Author supernaturalis, non producit effectum supernaturalem in substantia, sed naturalem. a. p. tum quia actus supernaturalis fidei generat habitum acquisitum, quatenus involvit rationem communem cum actu naturali: id est, actus fidei generat habitum, non qua supernaturalis, sed quatenus vitaliter tendit in objectum & quatenus in hac vitali tendentia generice assimilatur actui fidei naturali. Tum, quia principium supernaturale, & supernaturaliter influens debet ad talem effectum ordinari, qui a nullo agente pure naturali potest secundum entitatem suam produci; atqui habitus ille acquisitus fidei posset ab agente pure naturali produci, ut immediate dictum est: ergo.

Ob. Habitus infusus & supernaturalis fidei producit actum supernaturalem fidei: ergo vicissim actus supernaturalis fidei etiam producet habitum acquisitum supernaturalem.

R. N. c. & paritat. Habitus enim infusus fidei non solum est supernaturalis in entitate & substantia, sed etiam in ratione principii & influxus; quia talem influxum exercet in actum fidei, qui a nullo agente pure naturali potest poni, vel suppleri. Aliud est de influxu actus fidei supernaturalis, quem exercet respectu habitus acquisiti.

§. II.

An Virtutes Supernaturales a naturalibus & acquisitis distinguantur per ordinem ad objecta?

Status quæstionis aliter poni potest, an nempe virtus supernaturalis habeat tale objectum sive formale & motivum, sive naturale & terminativum, in quod virtus naturalis & acquisita non potest tendere. Si igitur virtutes supernaturales habent tale sibi proprium objectum, quod neutiquam virtutes naturales habere possunt, tunc virtus naturalis a supernaturali differt per ordinem ad objectum: quia una habet objectum, quod alteri repugnat. Potest quæstio moveri tam de actibus, quam habitibus virtutum supernaturalium ac acquisitarum. H. N.

607 Assero. Actus virtutum supernaturalium & naturalium possunt habere omnino idem objectum. Adeoque Virtutes naturales a supernaturalibus, seu infusis non differunt necessario per ordinem ad objecta diversa. Ita Scotistæ communiter, quos sequuntur Arriaga, Viva, &plures RR. contra Suarez & alios.

P. Fides acquisita potest tendere in illud objectum, in quod tendit fides infusa, & propter idipsum motivum formale: ergo virtus infusa, & naturalis non differunt per ordinem ad diversa objecta. a. p. potest quis credere assensu naturali Deum unum & Trinum ex motivo veracitatis Divinæ: ergo fides acquisita & naturalis potest tendere in illud objectum, in quod tendit fides infusa & supernaturalis, & propter illud ipsum motivum. c. constat. fides enim infusa quoque pro objecto respicit Deum Unum & Trinum, & in eum credit propter veracitatem divinam tanquam propter objectum formale motivum. a. p. demus duos parvulos, quorum unus baptizatus, alter non est baptizatus; fingamus insuper, quod uterque eodem modo inter catholi-

tholicos educetur, & instruatur in Mysteriis fidei, & specialiter in hoc articulo: *Deus est Unus & Trinus*, item in motivo propter quod hunc articulum credere deberent. Hoc posito uterque parvulus crederet Deum Unum & Trinum propter idem motivum; verum baptizatus crederet fide supernaturali, non baptizatus fide naturali ob defectum habitus per se infusi: ergo potest aliquis fide naturali credere Deum Unum & Trinum, ex illo ipso motivo, ex quo alius hunc articulum credit fide supernaturali.

P. 2. Si Deus eodem modo revelaret nobis Mysteria fidei, quo nunc revelat, & tamen nobis non infunderet habitum fidei supernaturalis, tunc adhuc possemus credere omnia, quæ de facto credimus, & quidem ex eodem motivo, ex quo nunc supernaturaliter credimus; atqui in tali casu haberemus meros actus fidei naturales: ergo actus fidei naturales & supernaturales possunt habere idem objectum materiale, & formale.

Respondebis: Actus naturalis respicit objectum sub ratione naturalitatis, & actus supernaturalis sub ratione supernaturalitatis: adeoque actus naturalis & supernaturalis sub diversa ratione & motivo suum attingunt objectum.

Contra est: Objectum formale fidei non movet nisi quatenus est cognitum; atqui dum elicimus actum fidei seu naturalem, seu supernaturalem, nunquam cogitamus de naturalitate, vel supernaturalitate veracitatis divinæ, sed de veracitate secundum se, & præcise propter Deum veracem credimus: ergo veracitas Dei in se spectata & præscindendo a supernaturalitate & naturalitate est objectum motivum fidei tam naturalis quam supernaturalis. M. patet: sic nos non movet veracitas alicujus ad ei credendum, nisi eum cognoscamus.

P. 3. Actus finitus & limitatus nostri intellectus & voluntatis potest tendere in objectum infinitum, nempe in Deum, eum cognoscendo, & amando modo finito: ergo etiam actus naturalis potest tendere in objectum supernaturale illud cognoscendo vel diligendo modo naturali: adeoque actus naturalis non debet necessario respicere suum objectum qua naturale, seu sub ratione naturalitatis. Ex his

Deduces 1. Quod hæreticus formalis non credens e. g. præsentiam Christi in Evcharistia possit assensu naturali credere Deum Unum, & Trinum, & quidem ex motivo veracitatis Dei ita revelantis.

Deduces 2. Quod Deus qua Author naturæ, & qua Author gratiæ, & donorum supernaturalium, consequenter quatenus est ens supernaturale possit cognosci cognitione naturali, & amari amore naturali: hujus enim nulla impotentia, præsertim in hæretico formali, qui habitibus infusis est destitutus, & cognitionem ac amorem Dei supernaturalem habere nequit, quamdiu in hæresi perseverat.

608 Ob. 1. Actus fidei naturalis & supernaturalis distinguuntur specie; ergo etiam habent specie distincta objecta. c. patet; quia actus specificantur ab objecto: ergo.

℟. n. c. ad prob. d. a. specificantur ab objecto solum n. a. ab objecto & simul a principio productivo talium actuum, nec non a modo tendendi in objectum c. a. quia actus supernaturalis aliud comprincipium productivum exigit, quam naturalis, hinc sufficiens causa distinctionis specificæ reperitur inter istos duos actus.

Ob. 2. Concilium Arausicanum can. 5. damnat eos, qui volunt fidem, qua in Deum credimus, esse naturalem: ergo non possumus fide naturali attingere Deum tanquam objectum.

℟. Concilium ibi damnare eos, qui volunt fidem conducentem ad salutem esse naturalem; per hoc autem non negat naturalem esse illam fidem in Deum, quæ non disponit ad justificationem aut salutem hominis.

Ob. 3. Si possunt dari actus fidei, spei & charitatis naturaliter attingentes Deum, tunc superfluunt virtutes per se infusæ & supernaturales; sequela est absurda: ergo. ℟. D. M. tunc superfluunt supernaturales, quando actus naturales conferrent vel disponerent ad salutem & ad ultimum finem c. M. si non conferunt, nec disponunt ad salutem n. M. ad salutem nostram consequendam ex ordinatione Dei requiruntur actus & virtutes in substantia supernaturales.



Tractatus II.

DE FIDE.

Diſſertatio I.

DE DEFINITIONE, ET OBJECTO FIDEI.

Articulus I.

Quid ſit fides, & quale objectum habeat?

§. I.

De Natura, & diviſione Fidei.

Nota 1. Fidem varie accipi apud Theologos & alios. 1. Accipitur pro *conſcientia.* ut ad Rom. 14. *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Id eſt, omne illud eſt peccatum, quod non eſt ex conſcientia dictante hoc eſſe licitum. 2. Pro *fiducia*, ſeu pro firma ſpe conſequendi illud, quod petimus. ut Jacobi 1. *poſtulet in fide nihil hæſitans.* 3. *Pro fidelitate* in adimplendis promiſſis. ut 1. Machab. 10. *perſeverate adhuc, conſervate fidem.* 4. Pro *objecto* materiali, vel pro articulis fidei, ut in Symbolo D. Athanaſii: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quisque* &c. id eſt, hi ſunt articuli, vel hæc ſunt objecta fidei Catholicæ. 609

Tandem ad propoſitum noſtrum ſumitur fides pro credulitate, ſeu pro actu, vel pro habitu, quo quis aſſentitur dictis alterius propter dicentis Authoritatem. Si igitur quis aſſentiatur dictis hominis propter hujus Authoritatem, erit fides humana; ſi vero aſſenſum præbeat Deo

dicenti & revelanti, tunc erit fides divina. De hac fide divina, non autem humana nobis erit tractandum.

Nota 2. Fidem divinam ab Apostolo ad Heb. 11. ita describi: *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur 1. *Sperandarum substantia rerum,* id est, fides est basis & fundamentum nostræ spei. Proponit enim nobis illas res, quas sperare debemus. Per hoc tamen non intelligitur, quod illa sola sub fidem cadant, quæ sperare debemus. Multa enim credimus, ut dari infernum &c. quæ tamen sperare nec possumus, nec debemus. Indicat ergo Apostolus solum, quod Deus, qui sperari debet, sit primarium fidei nostræ objectum.

Dicitur 2. *Argumentum non apparentium.* id est, quæ fide Divina creduntur, non debent ad oculum patere, sed obscura esse. H. N.

610 Assero: fides divina recte definitur, quod sit virtus theologica, qua assentimur firmiter veritatibus obscuris propter Authoritatem Dei revelantis. in re communis. Dicitur 1. *Virtus theologica,* loco generis; Dicitur 2. *Qua assentimur,* ut signetur fidem spectare ad intellectum, cujus est assentiri. Dicitur 3. *Firmiter,* videlicet firmitate adhæsionis quæ excludit omne dubium & suspicionem de opposito. Dicitur 4. *Veritatibus obscuris:* quia fides est de rebus inevidentibus. hinc fides a S. Aug. tr. 40. in Joan. dicitur: *credere quod non vides.* ultimo dicitur: *propter Authoritatem Dei revelantis,* hæc enim est motivum & objectum formale fidei.

611 Fides dividitur 1. in actualem & habitualem; *fides actualis* est ipse actus credendi. *Fides habitualis* est illa qualitas & ille habitus per se infusus, quo anima elevatur, & potens redditur, ut credere possit, si velit.

2. Dividitur in formatam & informem. *Formata* est, quando est conjuncta cum charitate habituali. Charitas enim est forma fidei, non quod eam quasi intrinsece constituat, sed quia facit, ut fides meritorie operetur, prout dicit Apostolus ad Gal. 5. fides, quæ per charitatem operatur. *Informis* est, quæ est in gravi peccatore, consequenter sine charitate & gratia habituali.

Dividitur 3. in vivam, & mortuam. *Viva* est, quæ est conjuncta cum operibus, seu quæ non solum credit ea, quæ sunt credenda, sed simul etiam facit. *Mortua* est, quæ quidem credit facienda, ea tamen

tamen non facit, de qua Jac. 2. dicitur: *Fides ſine operibus mortua eſt.*

Tandem dividitur in explicitam, & implicitam. *Explicita* eſt, qua aſſentimur alicui determinato articulo, v. g. huic; *Deus eſt unus, Chriſtus eſt præſens in Euchariſtia* &c. *Implicita* eſt, qua in genere & in confuſo aſſentimur omnibus a Deo revelatis, & per Eccleſiam ad credendum propoſitis absque reflexione ad aliquem ſpecialem articulum.

§. II.

De Objecto materiali Fidei.

Nota 1. Objectum dividi in materiale, & formale. Objectum *materiale* fidei eſt id, quod creditur. *Formale* vero eſt motivum, ſeu ratio illa formalis, propter quam credimus. 612

Nota 2. Objectum materiale ulterius dividi in complexum & incomplexum. *Complexum* eſt, tota aliqua propoſitio objectiva divinitus revelata, quam credimus. *Incomplexum* eſt ſubjectum vel prædicatum talis propoſitionis divinitus revelatæ. Sic hæc propoſitio: *Deus eſt trinus* eſt objectum complexum. Termini vero *Deus* & *trinus* ſunt duo objecta incomplexa partialia.

Nota 3. Objectum formale etiam eſſe duplex, unum *ut quod,* & alterum *ut quo.* Objectum formale *ut quod* eſt ipſum complexum ex objecto materiali & ratione motiva formali. Objectum formale *ut quo* eſt ipſa ratio motiva, ob quam credimus, ſolitarie & in abſtracto ſumpta. In exemplo; *Deus ut verax* eſt objectum formale *ut quod* fidei. *Veracitas vero Dei* in abſtracto eſt objectum *formale quo.* H. N.

Aſſero: Objectum materiale fidei eſt omne id, quod Deus per ſe 613
vel per alios nobis revelavit. 2. Objectum autem attributionis eſt ſolus Deus. Ita docet Herincx & alii.

P. 1ma pars. Objectum materiale fidei divinæ eſt omne illud, in quod tendit fides divina, ſeu quod per fidem divinam creditur; atqui omne illud quod Deus per ſe, vel per alios revelavit, fide divina creditur: ergo objectum materiale fidei eſt omne illud, quod Deus per ſe vel per alios revelavit.

P. 2da pars 1. ex D. noſtro qui 3. d. 23. q. unica l. 9. ibi: *oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, ut reſpiciat Deum, pro objecto primo.*

2. prob,

2. prob. ex S. Aug. Qui 4. de civit. Dei c. 20. habet: *fidei primum & maximum officium eſt, ut in unum credatur Deum.*

3. Ex Symbolo Apoſtolico, quod pro primo articulo, ad quem cæteri referantur, ponit: *Credo in Deum.*

4. Illud eſt objectum attributionis alicujus habitus cognoſcitivi, ad cujus pleniorem cognitionem referuntur omnia, quæ per talem habitum cognoſcuntur; atqui quidquid per fidem infuſam cognoſcitur, ad Deum cognoſcendum ordinatur: ergo. m. p. quidquid enim per fidem divinam credimus, ordinatur eo, ut cognoſcamus Deum Omnipotentem, miſericordem, Juſtum, veracem, ſapientem &c. ergo.

§. III.

De Objecto formali fidei.

614 Nota 1. in Deo dari triplicem veritatem. *Prima eſt tranſcendentalis & in eſſendo*, & hæc nihil aliud eſt, quam illud eſſe, & illa ratio in Deo, vi cujus eſt verus Deus a parte rei diſtinctus a falſis, chymæricis, ac confictis diis. Verbo, veritas Dei in eſſendo eſt ipſa Deitas. 2. Eſt *veritas in cognoſcendo*, quæ eſt virtus intellectus divini, faciens, ut Deus omnia objecta ſine ullo errore & deceptione cognoſcat. Seu eſt omniſcientia divina, quæ in cognitione quorumcunque objectorum nequit falli, aut decipi. 3. Eſt veritas in dicendo, vi cujus Deus conformat dicta ſua cum mente & cognitione ſua. Hæc igitur veritas ſe tenet ex parte voluntatis & excludit a Deo omne mendacium, ſeu omnem locutionem contrariam menti & cognitioni quam in mente habet.

Nota 2. Veritatem in cognoſcendo, quæ etiam *infallibilitas* dici ſolet, & veritatem in dicendo, ſeu *veracitatem*, eſſe perfectiones diverſas. Patet id etiam in hominibus, qui ſæpe rem aliquam perfectiſſime cognitam habent, & tamen per mendacium rem illam aliter, ac ſibi cognita eſt, eloquuntur. Unde tunc quidem datur veritas in cognoſcendo, non autem in dicendo. H. N.

615 Aſſero: Objectum formale fidei divinæ eſt Authoritas Dei loquentis & teſtificantis ratione cujus Deus non poteſt falli, nec fallere. 2. Quæ authoritas eſt complexum ex utraque veritate in cognoſcendo & loquendo. Herincx & alii præſertim RR. contra alios, qui vel ſo-

lam veritatem in dicendo, vel aliquid aliud pro objecto fidei statuunt.

P. 1. Scriptura & PP. credibilitatem proximam Mysteriorum fidei reducunt ad Authoritatem Dei loquentis & testificantis, tanquam ad rationem formalem credendi. Sic Joan. 5. dicitur: *Qui misit me Pater, Ipse testimonium perhibuit de me.* Item 1. Jo. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Matth. 6. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.*

Confirm. De ratione formali fidei in communi est, inniti Authoritati dicentis tanquam motivo credendi: ergo de ratione fidei divinæ est inniti Authoritati Dei dicentis.

P. 2. pars; Authoritas, & testimonium divinum, quod est motivum formale fidei debet esse omnino infallibile; atqui testimonium divinum non est infallibile, nisi importet complexum ex veritate in cognoscendo & dicendo: ergo. M. est certa. cum enim fides sit omnino infallibilis, debet etiam niti motivo penitus infallibili. m. p. ut testimonium Dei sit infallibile non sufficit veritas in cognoscendo, sed requiritur etiam in dicendo. si enim quis rem optime cognoscit & tamen aliter loqui potest, ac in mente cognovit, tunc ejus testimonium est fallibile, quia talis loquendo potest mentiri & fallere: ergo ad testimonium & Authoritatem infallibilem requiritur 1. veritas in dicendo excludens omne mendacium, & potentiam mentiendi. prout amplius dicetur inferius. Neque sufficit sola veracitas in dicendo, sine veritate in cognoscendo. Ille enim qui potest falli cognoscendo, etsi cæteroquin sit verax in dicendo, & nil soleat loqui contra propriam mentem, tamen potest alios fallere non quidem mentiendo & loquendo contra mentem, sed falsum dicendo ex ignorantia: ergo ad hoc ut testimonium alicujus sit infallibile, requiritur utraque veritas in cognoscendo & dicendo.

Confirm. 1. Idcirco movemur ad firmissime credendum Deo revelanti, quia Is nec falli, nec fallere potest; atqui quod non possit falli passive, habet a sua summa scientia, & veritate in cognoscendo, quod non possit active alios fallere habet a sua veritate in dicendo: ergo a complexo ex utraque hac veritate movemur ad credendum Deo revelanti.

Confirm. 2. In ordine quoque ad fidem humanam, eo magis credimus alicui, quo magis illum sapientem & veracem in dicendo ju-

dicamus. Quare neque Doctis mendacibus facile credimus, quia nos fallere poſſunt; neque indoctis etiam veracibus, quia ipſi falluntur, conſequenter etiam nos per ipſos facile falli poſſumus. Si vero, qui aſſerunt aliquid, ſunt docti ſimul & veraces, conſequenter complexum ex utraque hac veritate poſſident, tunc iis facillime fidem adhibemus, talesque in dubiis noſtris conſulimus, & ſequimur. Ergo idem cum proportione in ordine ad fidem divinam eſt dicendum Ex his

Deduces: Cur fides humana non ſit adeo firma, rationem eſſe; quia illa innititur teſtimonio hominis dicentis, qui falli & fallere poteſt; econtra fidem divinam eſſe firmiſſimam & infallibilem, quia nititur Authoritate Dei loquentis, qui nec fallere poteſt nec falli.

616 Ob. I. Illud eſt objectum formale fidei, in quod fides ultimato reſolvitur: atqui fides ultimato reſolvitur in veritatem eſſendi, ſeu in Deitatem: ergo veritas eſſendi & Deitas eſt objectum formale fidei. m. p. quærenti cur credam reſurrectionem mortuorum, recte reſpondeo, quia Deus infinite infallibilis in cognoſcendo, & verax in dicendo, ita revelavit. Si autem ulterius exigatur, cur Deus ſit infallibilis in cognoſcendo, & verax in revelando, reſpondere cogor, quia Deus eſt, ſeu quia eſt ens infinite perfectum: ergo tali ratione fides ultimato reſolvitur in Deitatem tanquam ſuum motivum.

℞. D. M. Illud eſt objectum formale fidei, in quod ultimato reſolvitur fides tanquam in motivum & rationem formalem credendi c. M. tanquam in rationem eſſendi n. M. Non inquirimus in propoſito rationem ultimam eſſendi, ſed credendi. Ratio quidem ultima & radix ob quam in Deo eſt veritas in cognoſcendo, & revelando, eſt ipſa Deitas, utpote quæ eſt fons omnium perfectionum divinarum. non autem ratio ultima & formalis aſſentiendi Myſteriis a Deo revelatis eſt illa Deitas; ſi enim Deitas per impoſſibile daretur in Deo, tamen non foret veritas in cognoſcendo & revelando ſeu dicendo, nunquam Deus me movere poſſet ad Ipſi aſſentiendum. Si autem e contrario in aliquo eſſet infallibilitas in cognoſcendo, & veracitas in dicendo, ſi deinde non eſſet ſimul Deus, tamen huic loquenti aſſentire deberem; cum talis non poſſet falli, nec fallere. Adeoque ratio ultimata formalis motiva ad credendum non eſt Deitas, ſed veritas illa duplex a Deitate profluens.

Dices: Scriptura & PP. revocant ſæpius fidem noſtram ad Deum tanquam rationem credendi: ergo Deus ſub ratione Deitatis eſt motivum

vum fidei: ℞. 1. Retorq. S. Scriptura & PP. revocant fidem nostram ad Deum qua Dominum tanquam rationem credendi, sæpissime enim clamant: *Hæc dicit Dominus* &c.: ergo Deus sub ratione Dominii quod in nos habet, est objectum fidei: quod pauci ex Adversariis concedent.

R. 2. Revocant ad Deum in sensu reali acceptam, quatenus Deus identificatur cum veritate in cognoscendo & dicendo c. a. in sensu formali, quatenus dicit solam Deitatem, & præscinditur ab utraque illa veritate n. a. ad has enim subtilitates scholasticas Scripturæ & PP. non attendunt, sed sumunt Deum prout simul dicit suas perfectiones, consequenter & veritatem prædictam utramque.

Ob. 2. Debemus examinare credenda: atqui si credenda niterentur Authoritate loquentis, ea examinare non deberemus; ergo. M. patet ex 2. Jo. 4. *probate Spiritus, si ex Deo sint.* 617

℞. D. M. Debemus examinare, quando constat Deum fuisse locutum n. M. quando dubitatur, vel ignoratur, an Deus hoc vel illud fuerit locutus, & revelaverit c. M.

Ob. 3. Ex nostra sententia sequeretur, multos præcipue simplices & Pueros non habere fidem divinam: atqui hoc non videtur admittendum: ergo. M. p. multi simplices credunt tantum, quia ita a Parocho vel Parentibus audierunt, non autem ob Authoritatem Dei revelantis: ergo. 618

℞. Et hac de causa simplicibus & parvulis non simpliciter sunt proponendi Articuli fidei, sed & bene sunt instruendi in motivo formali credendi. Quoad praxin vero tales homines ordinarie habent fidem divinam, & ex motivo formali fidei divinæ credunt; quia credunt, quod nulli alii articuli a Parochis & Parentibus proponantur, quam illi, qui sunt a Deo revelati.

Ob. 4. Veritas Dei in cognoscendo & dicendo est objectum materiale fidei; nam & Deum infinite sapientem & in dictis suis veracem credimus: ergo veritas hæc Dei non est objectum formale. ℞. N. c. potest enim sub diverso respectu esse objectum materiale & formale simul. Objectum *materiale* est, in quantum est id, quod creditur, *formale*, in quantum est ratio & motivum credendi. 619

Dices: Propter quod motivum ergo creditur hæc utraque veritas? ℞. Veritas in cognoscendo & dicendo est sibi ipsi motivum formale cur credatur; quia rationes formales sunt per se tales. Hinc unio ne-

ctens duo extrema eſt ſibi ipſi ratio formalis, & ſeipſam formaliter nectit illis extremis.

620 Ob. 5. Fides nititur Authoritate loquentis; atqui Authoritas loquentis non importat ſolam ſapientiam & veracitatem, verum & dignitatem loquentis: ergo. m. p. Etſi homo de plebe doctus ſit & verax, non tamen dicimur ei credere ob ſuam Authoritatem: econtra viro magnæ dignitatis ob Authoritatem ſuam fidem adhibemus.

℞. D. M. Authoritate vulgari n. M. Authoritate teſtificativa c. M. eſt aliqua Authoritas vulgaris, ſeu in ſenſu vulgari accepta, quæ importat dignitatem perſonæ; alia autem Authoritas eſt teſtificativa, quæ neceſſario dicit complexum ex veracitate & ſcientia. Hinc ſi homo quantæcunque eſſet dignitatis, ſi tamen ille foret indoctus & mendax, ei parum crederemus. Quare fides in hanc Authoritatem vulgarem, & dignitatem perſonæ ſe non reſolvit, ſed in teſtificativam.

621 Ob. 6. Sola veracitas in dicendo ſufficit pro motivo formali fidei: ergo non requiritur veracitas in cognoſcendo. a. p. ſi Deus per impoſſibile non foret verax in cognoſcendo, eſſet tamen verax in dicendo, tunc adhuc plene moveret ad fidem ſuis dictis adhibendam: ergo. ℞. N. a. utrumque. nam ſola veracitas in dicendo non eſt forma denominans teſtimonium infallibile: ergo illa ſola non poteſt conſtituere motivum formale fidei. Videantur probationes.

Dices: Saltem veracitas in dicendo importatur principaliter, & in recto, veracitas in cognoſcendo tantum ſe tenet in obliquo & connotanter: ergo. ℞. N. a. nam ſi ſola veracitas in dicendo importaretur in recto, tunc illa ſola eſſet forma formaliter infallibilizans fidem; atqui ſola veritas in dicendo non eſt forma formaliter infallibilizans fidem, ſed ad hanc infallibilitatem formaliter & immediate etiam exigitur veracitas in cognoſcendo: ergo.

622 Ob. 7. In Sapientiam Dei & in veracitatem ejus non reſolvitur ultimo fides: ergo hæc bina veritas non eſt objectum formale fidei: fides enim ultimo in ſuum objectum formale reſolvi debet. a. p. Actus fidei ultimo reſolvitur in Authoritatem & propoſitionem Eccleſiæ: ergo. a. p. nam ſi quæro, cur credat Deum eſſe trinum, reſpondet fidelis, quia Deus revelavit, Si ulterius inſto, cur credat Deum hoc revelaſſe, reponit ille, quia ita proponit & dicit Eccleſia: ergo fides ultimo reſolvitur in Authoritatem & propoſitionem Eccleſiæ.

 ℞. D. 2. a.

℟. D. 2. a. Fides ultimo resolvitur in Authoritatem Ecclesiæ tanquam motivum formale credendi n. a. tanquam in conditionem quæ applicat objectum fidei c. a. Antequam igitur credamus, debet Mysterium nobis ab Ecclesia proponi tanquam articulus a Deo revelatus; hac propositione per Ecclesiam facta postmodum credimus, non quia Ecclesia proposuit, sed quia Deus verax revelavit.

Ob. 8. Prophetia tendit in Deum, ut in primam veritatem in- 623
fallibilem in cognoscendo & dicendo: ergo fides sub hac ratione in Deum tendere nequit. c. p. fides est diversa a Prophetia, adeoque sub hac ipsa ratione, sub qua Prophetia Deum attingit, fides in eum tendere nequit.

℟. D. a. Prophetia tendit in Deum &c. eo modo, quo fides n. a. diverso modo c. a. Prophetia enim ita tendit in Deum ut primam veritatem, ut non exigat obscuritatem ex parte objecti seu materialis, seu formalis; siquidem Prophetia objectum suum clare & evidenter potest attingere. Econtra fides saltem obscuritatem ex parte objecti materialis necessario exigit, & hac de causa Christus potuit habere prophetiam non autem fidem.

Ob. 9. Objectum formale quo debet esse quid unum: ergo non 624
potest duplex veritas adstrui pro objecto motivo fidei. ℟. D. a. debet esse quid unum quoad formalitatem & entitatem n. a. quoad rationem motivi c. a. duo fines partiales in ratione motivi possunt esse quid unum, licet in entitate sint plures. Item duæ præmissæ possunt unum adæquatum motivum conclusionis constituere: ergo a pari. Ex his

Inferes 1. Objectum formale fidei non esse dominium Dei obli- 625
gantis nos ad credendum. Ratio hujus est; quia dominium & præceptum Dei movet solam voluntatem, ut illa imperet actum fidei eliciendum ab intellectu, non autem movet immediate & formaliter intellectum ad credendum. 2. Dominium & potestas præceptiva Dei respicitur ab obedientia, non autem a fide.

Inferes 2. Neque illustrationem supernaturalem, aut habitum fidei esse objectum formale fidei. Ratio est 1. quia hæc illustratio, & habitus fidei se tenet ex parte principii efficientis actum, non ex parte objecti motivi allicientis ad credendum. Ita & potentia intellectiva & volitiva sunt principia effectiva suorum actuum, non autem objecta formalia motiva eorum. 2. Objectum motivum debet esse cognitum ad hoc, ut possit movere, sic & bonitas Dei non cognita non movet ad

amorem, item veracitas alicujus me non movet ad credendum ei, si eum prius non cognovi; atqui habitus fupernaturalis fidei non cadit fub noftram cognitionem, & illuftratio fupernaturalis, quamvis illuminet noftrum intellectum, non tamen ita, ut etiam illam ipfam illuftrationem rite cognofcere & difcernere valeamus, an ea fit fupernaturalis vel naturalis, a Deo immiffa, vel non: ergo habitus fidei, & illuftratio fupernaturalis non funt motiva, fed tantum caufæ efficientes fidei, vel ejus ratio effendi. 3. Illud eft motivum fidei, quod reponimus interroganti *cur credis?* atqui interroganti, cur credam, non repono: quia habeo habitum fidei, vel illuftrationem fupernaturalem, fed quia Deus verax eft &c. ergo.

Articulus II.

De Divina Authoritate quatenus conftituit Objectum formale fidei.

626 Poftquam dixi, quod Authoritas divina, qua nititur affenfus fidei, fit complexum ex duplici veritate Dei, examinandum nunc reftat, quanta fit hæc veritas, præfertim in dicendo; & quomodo Deus non poffit fallere alios.

§. I.

An Deus poffit per fe, vel per alium mentiri?

Affero 1. Deus nequit mentiri de potentia ordinaria. Eft de fide & contra Prifcillianiftas, qui tefte S. Aug. hærefi 70. & L. 2. contra mendacium, dixerunt, Deum non folum poffe mentiri, verum & actu effe mentitum per Prophetas.

P. 1. Ex S. Scriptura. Numerorum 23. dicitur: *Non eft Deus, quafi homo, qui mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Ad Rom. 3. *Eft autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* 1. Jo. 2. *Omne mendacium ex veritate non eft.* Luc. 21. *Cœlum & terra tranfibunt, verba autem mea non tranfibunt:* ergo. Pro hac conclufione fervient etiam illæ probationes, quæ pro affertione fecunda adducuntur.

627 Ob. 1. Etiam hæ Scripturæ, quæ pro conclufione adductæ funt, poffunt effe mendaces: ergo ex iis non probatur, quod Deus non poffit mentiri.

mentiri. ℞. n. a. nam & infallibilis S. Scripturæ Authoritas a Priscillianistis admittitur, & aliunde probatur per notas credibilitatis nostræ fidei.

Ob. 2. Deus in S. Scriptura plura prædixit, quæ non evenerunt: nimirum mortem Ezechiæ. Isa. 38. & Ninivitarum eversionem Joan. 3. ergo Deus est mentitus.

℞. D. a. prædixit conditionate c. a. absolute, n. a. sic prædictio Jonæ fuit sub conditione, nisi pœnitentia Ninivitarum sequatur; & prædictio mortis Ezechiæ pariter fuit conditionata, scilicet eum esse moriturum secundum cursum causarum secundarum naturalium, nisi mortem impediat Deus, permovendus ad hoc per preces, aut alias causas. Quare cum conditiones hæ non sint adimpletæ, mirum non est, quod prædictionibus illis conditionatis eventus non responderit.

Ob. 3. Deus aliquos decepit tum per se, tum per alios: sic Ezechiæ 14. dicitur: *Propheta cum erraverit, ego Dominus decepi eum.* & 2. Reg. 22. dicitur Deus misisse Spiritum mendacii, ut deciperet. & Jeremias c. 20. v. 7. ita incusat Deum: *Seduxisti me Domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & invaluisti:* ergo.

℞. Deum decepisse permissive, eo modo, quo induravit cor Pharaonis. Et hic est modus S. Scripturæ, quæ interdum per hebraismum dicit Deum aliquid facere, aut præcipere ut fiat, quod tamen Deus solum permisit. In hoc sensu Christus Dominus ad Judam ait Joan. 13. *quod facis, fac citius*, non præcipiendo, aut suadendo proditionem, sed illam permittendo, quasi diceret: *non impedio, quin illud, quod facis, citius facias.* Ita primi duo textus in objectione allegati intelligendi sunt. Quantum ad locum Jeremiæ sensus est juxta Lyranum in cit. textum, *ut sit verbum Jeremiæ exprimentis illud quod de ipso dicebant Sacerdotes, & falsi Prophetæ, qui reputabant eum falsum Prophetam, & sic est sensus: si sum seductus, ut dicunt Sacerdotes, & Pseudo-Prophetæ, sum seductus a te, quod tamen est impossibile.* Habet & aliam ibi expositionem idem Lyranus.

Ob. 4. Plures ex instinctu divino sunt mentiti, ut Jacob Gen. 27. dicens ad Isaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau:* ergo.

℞. 1. Conformiter Scoto 3. d. 38. q. un. n. 13. Si qui etiam SS. veteris testamenti mentiti fuerint, id eos non fecisse divino instinctu. Neque oportet tam anxie excusare SS. veteris testamenti a levissimis mendaciis, cum tamen aliqui eorum etiam gravissime peccarint,

carint, & apud ipſos gratia adeo abundans non fuerit data, ſicut in noſtra lege. Verum cum S. Auguſtinus & alii paſſim Jacob excuſent a mendacio; hinc

℞. 2. Verba illa Jacob eſſe dicta in ſenſu tropologico, in quo erant vera. Per aſſumptionem enim & benedictionem Jacob præfigurabatur electio gentium, & per repudiationem Eſau rejectio Judæorum. Inſuper Jacob erat primogenitus præ Eſau non ordine Nativitatis, ſed Dei ordinatione, quæ erat revelata Rebeccæ juxta illud: *major ſerviet minori.* Item in jus primogenituræ ſucceſſit Jacob titulo emptionis, atque propterea etiam perſonam primogeniti repræſentabat. videantur de hoc expoſitores S. Scripturæ.

628 Aſſero 2. Deus nequit mentiri etiam de potentia abſoluta. Concluſio hæc ſi non eſt de fide, eſt ſaltem fidei proxima, eamque tenent communiſſime omnes theologi contra paucos antiquos.

P. 1. Tum ex Scriptura, quæ locis jam citatis videtur noſtram concluſionem aſſerere. tum ex SS. Patribus. ita S. Dionyſius de D. Nom. c. 8. *A veritate cadere, eſt a Deitate cadere.* Id eſt, ſi Deus non eſſet verax, aut mentiretur, tunc non amplius eſſet Deus. Similia habet quoque D. Anſelmus L. 1. cur Deus homo. c. 21. & S. Aug. L. 22. de Civit. c. 25. *ſi volunt invenire quod omnipotens non poteſt, habent prorſus; ego dicam; mentiri non poteſt:* ergo Deus nulla ratione mentiri poteſt.

P. 2. Si Deus poſſet mentiri etiam de potentia abſoluta, tunc non amplius foret firma & infallibilis noſtra fides: atqui ſequela a Doctoribus Catholicis non poteſt admitti: ergo. M. p. Si enim Deus poſſet mentiri etiam de potentia abſoluta, tunc non eſſemus certi, an revelando Deus hunc vel illum articulum non eſſet uſus ſua potentia abſoluta, & mentitus eſſet, & ſic poſſemus dubitare de veritate dictorum Dei; atqui tali modo non eſſet amplius firma noſtra fides, quæ tamen firmiſſima debet eſſe: ergo.

P. 3. Cætera attributa ſic Deo competunt, ut actiones iis contrarias etiam de abſoluta potentia nequeat exercere: ergo etiam veracitas ita competit Deo, ut actum mendacii veracitati contrarium etiam de abſoluta potentia nequeat exercere. c. tenet a pari. a. p. quia Deus eſt immutabilis, nequit de potentia abſoluta etiam mutari, & quia eſt ſumme Sanctus nequit eſſe Author peccati, & quia eſt infinite miſericors & juſtus, nequit crudeliter vel injuſte agere: ergo.

Con-

Confirm. Veritas sine potentia mentiendi est magna & pura perfectio: ergo Deo competit.

Dices: Etsi Deus non possit mentiri, potest tamen falsum dicere: falsum dicere non est semper formaliter mentiri. 629

Contra est: tunc falsum dicere non est formaliter mentiri, quando falsum dicens non loquitur contra mentem & propriam cognitionem: atqui Deus nequit falsum dicere, nisi loquatur contra mentem & propriam cognitionem: ergo Deus nequit falsum dicere nisi etiam formaliter mentiatur. m. p. Deus enim in mente sua habet perfectissime cognitas omnes res, prout eæ sunt in se, si ergo falso diceret rem aliter quam illa est in se, tunc necessario contra mentem loqui deberet. Aliud est in homine, qui ob imbecillitatem intellectus sui rem sæpius non cognoscit, prout est in se, hinc talis potest falsum dicere, & rem aliter asserere ac illa est, quin loquatur contra propriam mentem, & cognitionem suam de illa re habitam.

Contra est 2. Si Deus posset etiam materialiter falsum dicere, tunc jam non amplius foret firma nostra fides; quia de quolibet fidei articulo timere possem, an non in illius revelatione Deus usus sit sua potentia & falsum dixerit.

Assero 3. Neque Deus potest mentiri per alium, ut suum Ministrum, & ut nomine Dei loquentem. Est iterum communis. 630

P. 1. Idem in æstimatione morali est per alium nomine suo loquentem mentiri, ac per seipsum mentiri: ergo si Deus non potest per seipsum mentiri, neque id poterit præstare per alium nomine Dei loquentem. a. constat. quia ille, qui per Ministrum suo nomine agentem occidit, eleemosynam dat &c. dicitur ipse occidisse, eleemosynam dedisse: ergo a pari.

P. 2. Fere omnia Mysteria fidei Deus loquitur nobis per alios v. g. Angelos, Apostolos, Concilia, Ecclesiam &c. ergo si Deus posset per alios mentiri, semper esset dubia nostra fides; semper enim dubitare possemus, an non Deus per illos, per quos nobis proponit articulos fidei, sit mentitus.

Ob. contra 2. & 3. Conclusionem 1. Regi non fit injuria, si dicatur, quod is possit mentiri: ergo neque Deo fit injuria, si dicatur, quod possit mentiri. ℞. 1. Retorq. arg. Regi non fit injuria si dicatur, quod is possit aliqua ignorare, decipi, vulnerari, mori, peccare: ergo etiam Deo non fit injuria, si dicas, quod Deus possit has imperfectiones habere. ℞. 2. N. c. Magna disparitas inter Regem 631

hominem & Deum. Ille seu Rex humanus suos patitur manes & defectus, tanquam homo defectibilis, non autem Deus infinite perfectus.

Ob. 2. Deus dicitur mortuus & passus, quantumvis sit essentialiter vita: ergo & Deus potest mentiri, quantumvis essentialiter sit veritas: R. D. a. dicitur passus & mortuus intrinsece & formaliter n. a. dicitur passus & mortuus per communicationem idiomatum; quia nempe omnia illa prædicata & determinationes, quæ formaliter conveniunt Naturæ humanæ Christi, extrinsece tribuuntur Verbo. c. a. sic, si & natura humana Christi per possibile & impossibile peccasset, tunc & Deus diceretur peccasse per communicationem idiomatum, quod tamen nullam imperfectionem in Deo importaret. Nunquam autem potest dici, quod Deus ipse formaliter peccarit per se, vel per alium nomine Dei agentem, neque quod tali modo sit mentitus.

Ob. 3. Saltem mendacium juxta probabilem Nominalium & aliquorum Scotistarum sententiam potest ex dispensatione divina in aliquo casu possibili fieri licitum, & non esse amplius peccatum: ergo & in tali casu illud a Deo committi posset per se, vel per alium suo nomine agentem. R. tr. interea a. de quo in tractatu de legibus. n. c. & paritatem. Dato enim, quod in tali casu particulari mendacium non foret amplius peccatum & malum morale, hoc non obstante illud foret imperfectio maxima physica repugnans infinitæ veracitati Dei, quæ est perfectio simpliciter simplex. Ita etiam error & ignorantia, comedere, bibere &c. etsi non sint mala moralia & peccata: tamen repugnant Deo, error & ignorantia quidem, quia opponuntur infinitæ sapientiæ, & comedere & bibere tanquam actiones materiales, quia repugnant Spiritualitati Dei.

Dices: Si mendacium ex dispositione divina potest fieri licitum, tunc & illud a Deo potest præcipi: atqui si illud potest præcipi a Deo, tunc & Deus potest illud committere per se vel per alium: ergo. R. 1. indirecte, etiam Deus potest præcipere comestionem homini, & tamen ipse Deus nequit comedere. R. 2. D. M. posset id præcipi ut nomine Dei fiat n. M. ut nomine hominis fieret tr. M. multa possunt homini præcipi a Deo, quæ tamen Deo ipsi nequeunt convenire ob repugnantiam, quam habent cum aliqua perfectione divina. Ex his

Colli-

Colligis, quod Deus etiam nequeat fallere non ſervando ſua promiſſa. Ratio hujus eſt: quia veritas in promiſſis ſervandis vel deficeret ex hoc quia Deus non habuiſſet voluntatem & animum adimplendi ea, quæ promiſit, & ſic foret mendax, vel quia voluntatem ſuam deinceps mutaſſet, & hoc repugnaret ejus immutabilitati: ergo.

§. II.

An Deus in ſuis locutionibus poſſit uti reſtrictione mentali, & verbis æquivocis ac obſcuris?

Nota 1. Reſtrictionem mentalem eſſe conceptum internum, 632
quo verba exterius prolata ad aliam ſignificationem quam habent ab ipſo loquente reſtringuntur: ut ſi mutuum petenti quis reſpondeat exterius, *non habeo pecuniam*, interius autem cogitet: *pro Te.*

Nota 2. Reſtrictionem eſſe duplicem. Una eſt *pure ſtricte mentalis* & datur tunc, quando verba exterius prolata pure ad ſenſum mente retentum reſtringuntur, ita, ut talis ſenſus mente retentus nullatenus verbis, ſignis ſenſibilibus, aut aliis circumſtantiis conſignificantibus exterius manifeſtetur. Talem reſtrictionem pure mentalem faceret ille, qui interrogatus a Superiore an fuerit in choro? reſponderet, *fui ibi*, ſubintelligendo *cogitatione, non autem corpore.* Hæc enim reſtrictio nullo ſigno externo aut circumſtantia manifeſtaretur.

Altera eſt reſtrictio non pure ſeu late mentalis, & habetur tunc, quando ſenſus mente retentus & ſubintellectus, vel ex modo loquendi, vel ex conſuetudine, aut aliis circumſtantiis externis conſignificantibus ab audiente obſervari poteſt.

Nota 3. Reſtrictionem non pure ſeu late talem contingere, ſi loquens intendit illum ſenſum, quem verba non in ſe ſtatim obvie præſeferunt, ſed quem habent attentis omnibus circumſtantiis, in quibus proferuntur. Ut ſi quis petat mutuo centum aureos, ab habente ſolum alienos, vel etiam proprios, ita tamen, ut non poſſit ſine magno incommodo eos mutuo dare; & hinc reſpondeat: *non habeo.* Tunc hæc verba duplicem ſenſum habent: unus & ſtatim obvius eſt, quod talis homo ſimpliciter non habeat pecunias, & hic ſenſus eſt

 falſus,

falſus, quia revera habet pecunias. Alter ſenſus eſt, quod non habeat, prout alter rationabiliter petit, videlicet, quos mutuo dare poteſt tanquam proprios, aut ſine magno incommodo proprio. Et hic ſecundus ſenſus eſt verus, & ex ſignis, ac circumſtantiis externis conſignificantibus intelligi poteſt. Hinc

Nota ulterius 4. Quod ſigna externa, & circumſtantiæ ſenſibiles etiam ſint aliqua conſtitutiva partialia locutionis humanæ, eamque ſæpius modificent, & ad alium ſenſum, quam nuda verba obvie habent, determinent: prout patet in locutionibus Ironicis & Hyperbolicis, quæ nunquam a mendacio excuſari poſſent, niſi per circumſtantias, modum proferendi, aut alia ſigna externa & ſenſibilia ad verum ſenſum determinarentur.

Nota 5. Æquivocationem, & Amphibologiam differre a reſtrictione non pure mentali; Amphibologia enim contingit, quando verba ex ſe habent duplicem ſenſum. Reſtrictio autem non pure mentalis fit, quando verba non ex ſe, ſed ſolum ratione circumſtantiarum externarum conſignificantium duplicem ſenſum faciunt. H. N.

633 Aſſero 1. Reſtrictio pure mentalis, quæ videlicet per nullum indicium exterius ullatenus cognoſci poteſt, neque Deo eſt poſſibilis, neque hominibus licita. ita communiter DD.

P. 1. Locutio facta cum reſtrictione pure mentali eſt purum mendacium; atqui mendacium nec Deo eſt poſſibile, nec homini eſt licitum: ergo. M. p. 1. ex propoſitione 26. confixa ab Innoc. XI. in qua damnatur ſententia dicens; quod jurans cum reſtrictione pure mentali non mentiatur, nec ſit perjurus. 2. Talis revera loquitur contra mentem, dum aliud interius ſentit, & aliud externe profert, ita quidem, ut mens ejus nec ex verbis, nec ex circumſtantiis ullis externis deprehendi valeat: ergo revera mentitur.

Confirm. 1. Loquens cum reſtrictione pure mentali expreſſe intendit, ut audiens decipiatur, ſeu ut ex verbis aliud concipiat, quam ipſe loquens mente retinet, & intelligit: ergo intendit talis mentiri.

Dices: Etſi in tali reſtrictione verba externa ſecundum ſe ſumpta habeant falſum ſenſum, ſunt tamen vera, & verum ſenſum efficiunt, dum ſumuntur una cum illis, quæ interne in mente ſubintelliguntur.

Contra eſt. Quæ omnino occulte ſubintelliguntur in reſtrictione pure mentali, non poſſunt innoteſcere audienti, nec poſſunt quidquam

quam ſignificare externe, & conſequenter non poſſunt mutare vel modificare ſenſum verborum externe prolatorum: ergo verba illa externa manent falſa, & ſunt mendacium, non obſtante, quod aliqua interne ſubintelligantur.

Confirm. Quæ mere interne ſubintelliguntur non conſtituunt cum verbis externis unam orationem externam: ergo neque orationem externam falſam & mendacem ita mutare poſſunt, ut ea vera fiat. Inſuper reſtrictio pure mentalis ſeu interior corrigit quidem conceptum internum loquentis, non autem corrigit externum, nec ſignificationem ejus mutat: ergo etſi talis habens reſtrictionem pure internam, non mentiatur ſibi interne, mentitur tamen externe audienti.

P. 2. Si Deus poſſet loqui cum reſtrictione pure mentali poſſemus de ſingulis Scripturæ locis dubitare, an forte Deus ibi non utatur tali reſtrictione; atqui tali modo nihil certi colligere poſſemus ex tota Scriptura, quod non eſt dicendum: ergo.

Ob. 1. Qui utitur illa reſtrictione pure mentali non intendit mentiri, imo vult excludere mendacium: ergo talis non mentitur. ℞. D. a. vult inefficaciter c. a. efficaciter n. a. profert enim verba aliud ſignificantia, quam habet in mente: ergo vult falſum ſignificare, conſequenter mentiri. Et licet interius dicat, ſe non intendere mentiri, hæc tamen intentio eſt ſolum inefficax velleitas, quæ voluntatem efficacem mentiendi non impedit. 634

Ob. 2. Verba externa juncta conceptui interno verum ſignificant: ergo verba cum tali reſtrictione pure mentali non ſunt mendacia.

℞. D. a. Verum ſignificant loquenti c. a. audienti, cui conceptus internus & reſtrictio mentalis per ſigna externa non manifeſtatur. n. a. Mentitur autem quis alteri, ſcilicet audienti, non autem ſibi.

Ob. 3. Qui tacet partem conceptus, tantum occultat verum: ergo talis non mentitur. ℞. D. c. ergo non mentitur, tunc, quando pars illa conceptus occultata non eſt neceſſario aperienda ad veritatem dicendam c. c. ſi eſt neceſſario aperienda ad veritatem dicendam, ut fit in propoſito, ubi ſermo externus non eſt verus, niſi aperiatur illud, quod mente occultatur n. c.

Ob. 4. S. Scriptura ſæpius uſa eſt reſtrictione pure & ſtricte mentali: ergo ea eſt licita & Deo poſſibilis.

 ℞. N. a.

Rş. N. a. Nam in illis textibus, quos Adversarii adducunt pro probatione antecedentis, aut omnino nulla est restrictio mentalis, aut ea facta est a quibusdam Sanctis, & hominibus, qui potuerunt mentiri, aut si Deus adhibuit, vel Sancti eandem ex instinctu Dei, tunc ea non est stricte nec pure mentalis, prout Expositores S. Scripturæ & Theologi ostendunt.

635 Assero 2. Et Deus potest, & homini licet ex justa causa uti restrictione non pure mentali, dum nempe verba substant exterioribus circumstantiis ita consignificantibus, ut prudens Auditor restrictionem interius retentam percipere possit, aut de ea suspicari & certior reddi. Herincx, Henno, Viva & alii.

P. In tali restrictione non pure mentali occultatur tantum prudenter veritas, & non dicitur mendacium: ergo talis restrictio accedente legitima causa est Deo possibilis, & homini licita. a. p. nam, qui utitur tali restrictione a parte rei dicit verum, cum ejus verba sumpta una cum circumstantiis consignificantibus exprimant conceptum & mentem internam licet obscurius. Talis etiam agit prudenter, quia hæc restrictio in sensu conclusionis tantum supponitur adhiberi, quando adest justa & sufficiens causa eam usurpandi.

Confirm. Si nunquam esset licita hæc restrictio non pure mentalis, tunc ideo, quia ea obesset commercio humano; atqui huic non obest, sed potius prodest: cum ea mediante Confessarius sigillum, Legatus, Secretarius & alii suum secretum occultare possint importune & injuste interrogantibus; quæ occultatio sine recursu ad restrictionem late mentalem sufficienter non posset haberi: ergo.

636 Dixi in conclusione 1. Ex *justa causa;* unde petes, quænam causæ sint, cur Deus usus sit restrictionibus non pure mentalibus, vel saltem amphibologiis in S. Scriptura? Rş. 1. Has esse 1. ne S. Scriptura facile a plebeis intellecta, apud eos vilescat. 2. Ut homines magis venerarentur Ecclesiæ Doctores & Prælatos; ad quos pro intelligentia Scripturæ deberent recurrere. 3. Ut infidelibus, ad quorum manus sæpe veniunt Libri S. Scripturæ abscondantur Mysteria nostræ fidei, quæ facile ab iis irrideri possent. 4. Ut in volvendis Sacris Scripturis simus magis seduli, sæpiusque Deum invocemus pro lumine & gratia eas intelligendi.

Dixi in Conclusione 2. *Ut prudens Auditor restrictionem interius retentam percipere possit &c.* si enim sensus est ita occultus, ut is ex circumstantiis externis vix a Sapientibus & prudentibus deprehendi possit,

poſſit, neque detur ullum prudens motivum ſuſpicandi, quod verba proferantur in ſenſu illo occulto, tunc nec Deus poteſt, nec homini licet his reſtrictionibus uti. Ratio eſt; quia locutiones cum talibus reſtrictionibus moraliter loquendo non ſignificarent externe ſenſum verum, moraliter per ſigna exteriora aſſignabilem: adeoque tales locutiones & reſtrictiones in ſenſu morali æquivalerent mendacio.

Ad hoc igitur, ut Deus poſſit, & homini liceat uti reſtrictione non ſtricte mentali, debet ſenſus mente retentus non eſſe quidem cuilibet prima fronte obvius, poteſt enim eſſe obſcurior & occultior, dummodo per ſigna & circumſtantias ſenſibiles conſignificantes a prudentioribus per moralem diligentiam cognoſci poſſit. Ratio eſt: quia ſimilis locutio cum reſtrictione non pure mentali ſimpliciter dicit verum, & ſæpe dantur juſtæ cauſæ loquendi obſcurius, & de facto non raro Deus in Scripturis ita locutus eſt. Hoc tamen nota; quo major eſt cauſa occultandi veritatem, eo major obſcuritas locutionis, & amphibologiæ uſurpari poteſt.

Petes: quænam conditiones requirantur, ut aliquis homo poſ- 637
ſit uti reſtrictione non ſtricte mentali? ℞. Sequentes; 1. eſt, ut revera adſint aliquæ circumſtantiæ externæ, ex quibus audiens colligere poteſt quod loquens aliquid aliud ſignificare velit & intendat, quam nuda verba præſeferunt. Ratio hujus eſt, quia alias eſſet reſtrictio pure mentalis.

Circumſtantiæ autem externæ, quæ conſignificant cum locutione, ejusque ſenſum immutant ex uſu apud prudentes recepto ſunt iſtæ: 1. Status Confeſſarii, Secretarii, Legati, Conſiliarii, Advocati &c. in ordine ad ſecretum ad quod graviter obligantur, ſervandum.

2. Obligatio occultandi aliquam rem, ita, ut ejus detectionem interrogans non poſſit prudenter aut honeſte deſiderare. 3. Jus, quod habet interrogatus ad magnum bonum acquirendum, aut magnum damnum evitandum per occultationem rei. Si quis in præfatis, vel aliis ſimilibus circumſtantiis negat ſe ſcire aliquid de aliqua re, quam tamen ſcit, tunc apud prudentes ex recepto uſu ſemper eſt ſenſus, nihil ſciri, ita, ut prudenter & honeſte aperiri poſſit, aut debeat. Sic uxor adulterii occulti rea, de hoc rogata a viro recte reſpondet: ego non commiſi adulterium; hæc enim reſponſio una cum circumſtantiis conſignificantibus ſenſum facit: ego non commiſi adulterium

tale,

tale, de quo tu me interrogandi jus habes, aut ego tibi respondere debeo &c.

2. Conditio ad licitam restrictionem est, ut causa, propter quam ea adhibetur sit notabilis, ut evitatio mortis, carceris perpetui, infamiae, aut gravis bonorum jacturae, revelationis secreti in grave sui, aut aliorum detrimentum. Quare a mendacio non sunt excusandi, qui in rebus levissimis adhibent istas restrictiones, ut evadant aliquam correptionem Superioris, aut poenam aliquam levem, paucos aureos conservent, ne dent pecuniam mutuo, quam tamen absque suo gravi damno dare possent, ne displiceant amico, aut Principi, aut Superiori, ne appareant fuisse mentiti, vel ut evitent importunas alterius interrogationes, aut ne secretum frivolum aperire debeant.

3tia. Conditio est, ut cum causa gravi etiam adsit necessitas utendi illis restrictionibus, ita quidem, ut restrictio sit unicum medium evadendi grave damnum vel in se vel in aliis. Ratio utriusque mox dictae conditionis est: quia dum non adest gravis causa, vel dum alia adsunt media obvia, quibus malum impediri potest, non praesumit, nec praesumere debet interrogans, vel alius audiens respondentem uti restrictione, & tali medio, quod propter solam necessitatem homini suggessit natura. Deinde si passim ex levi causa, & sine necessitate liceret uti restrictione mentali, tunc multum praejudicaretur commercio humano, & fidei humanae. Ex hoc

Inferes 1. Non posse reum illegitime interrogatum uti restrictione mentali, si absque gravissimo incommodo possit aliter evadere, vel non respondendo, vel ad Judicem Superiorem appellando.

Inferes 2. Aequivocationem in tali necessitate esse praeferendam restrictioni pure mentali: ratio est, quia aequivocationis sensus est magis obvius, commercioque humano magis accommodatus, quam sensus & usus restrictionis etiam late mentalis.

Inferes 3. A fortiori Deum posse in revelatione uti aequivocatione, ac verbis obscuris. Ratio est: Deus potest uti restrictione non pure mentali, cujus sensus minus est obvius, quam aequivocationis: ergo a fortiori potest uti aequivocatione.

Conditio 4ta est, ut utens restrictione late mentali sciat locutionem suam in circumstantiis occurrentibus & consignificantibus habere sensum verum. Ratio hujus est; alias enim talis vellet significare falsum & consequenter mentiri. Denique, quae contra restrictionem late mentalem objici solent, tantum impugnant restrictionem stricte

&

& pure mentalem, quam & nos eſſe licitam hominibus, & poſſibilem Deo merito negamus. Inſuper, dum quis ex juſta cauſa & neceſſitate utitur reſtrictione non pure mentali, aut Amphibologia, tunc talis non intendit poſitive deceptionem audientis, ſed eam ex juſta cauſa tantum permittit, ac non impedit. Loquens enim cum ſimili reſtrictione intendit ſenſum verum, quamvis aliquo modo obſcurum. Dum autem hunc ſenſum audiens non advertit, id ſuæ inertiæ adſcribat, non loquenti.

§. III.

An poſſit nobis Deus ſe ſolo infundere habitum vel actum erroris, aut aſſenſus falſi?

Nota 1. alium eſſe errorem vel aſſenſum falſum ſpeculativum, 638
qui non fit circa materiam & directionem morum, vel circa aliquem articulum fidei; tales errores ſpeculativi eſſent, ſi quis falſo crederet cœlum eſſe lapideum. Et alium eſſe errorem practicum, qui fit circa materiam morum, vel circa articulum fidei; ut ſi quis ſibi falſo perſuaderet, mendacium eſſe licitum, item fidem Catholicam non eſſe neceſſariam ad ſalutem.

Nota 2. Hanc quæſtionem procedere ex ſuppoſito, quod Deus poſſit ſe ſolo aliquem actum vitalem intra, vel extra potentiam vitalem producere. H. N.

Aſſero. Deus ſe ſolo poteſt homini infundere aſſenſum falſum & 639
actum erroris ſpeculativum. ita Herincx, & Poncius in comment. Scoti ad 3. d. 38. n. 29. & ſeqq. Arriaga, Viva, & plures RR. eſt tamen contra Smiſing.

P. 1. Deus ſe ſolo poteſt in homine cauſare morbos, febres, mortem ac alia mala phyſica: ergo & talem aſſenſum ſpeculativum erroneum; nam & hic eſt merum malum phyſicum, non autem morale. Nulla enim eſt in tali errore malitia moralis, ne quidem objectiva, qualis eſt in mendacio, cum ſic errans ſpeculative ne quidem materialiter agat contra mentem, ſeu contra propriam cognitionem, in qua locutione contra mentem etiam malitia moralis & objectiva mendacii conſiſtit.

P. 2. Etſi Deus ſit immortalis, & impaſſibilis, poteſt tamen in nobis ſe ſolo cauſare mortem, & morbos; ergo etſi Deus ſit infinite

nite ſapiens & falli nequeat, poteſt tamen in nobis ſe ſolo cauſare aſſenſum erroneum & falſum.

P. 3. Poteſt Deus objicere noſtris ſenſibus lignum imbutum talibus accidentibus & ſpeciebus, ut intellectus noſter neceſſario determinetur ad judicandum, quod ens illud ſit homo, cum tamen a parte rei ſit lignum: ergo etiam poſſet Deus immediate in nobis ſe ſolo producere talem aſſenſum, quo ens illud, quod eſt lignum, judicaremus eſſe hominem.

Dixi in Concluſione: *Errorem ſpeculativum:* Deus enim non poteſt nobis infundere errorem practicum v. g. hunc, quod Secta Calviniſtica ſit vera fides: talis enim error induceret in peccatum, & æternam perditionem, adeoque habet ſpecialem repugnantiam, quæ non datur in errore mere ſpeculativo.

640 Ob. 1. Summæ Sanctitati & bonitati divinæ repugnat cauſare peccatum ſive in ſe, ſive in alio: ergo etiam ſummæ veracitati divinæ repugnat cauſare aſſenſum falſum ſive in ſe, ſive in alio.

℞. 1. Retorq. arg. ergo etiam ſummæ impaſſibilitati & immortalitati divinæ repugnat cauſare paſſionem aut mortem in alio. Si autem hoc non repugnat immortalitati & impaſſibilitati divinæ, tunc neque ſummæ veracitati divinæ repugnabit cauſare errorem, aut aſſenſum falſum in alio.

℞. 2. N. c. & paritatem. Nam ſi Deus poſitive cauſaret peccatum in alio, tunc hoc peccatum redundaret in Deum, & ipſe Deus peccaret. Aſt, ſi Deus ignorantiam, errorem, mortem &c. cauſat in alio, tunc hæc mala phyſica non redundant in Deum, nec Deus inde eſt ignorans, errans, nec moritur: ergo bene poteſt Deus cauſare errorem, mortem & alia mala phyſica in alio, non autem peccatum. A. quoad 2. memb. patet. quoad 1. prob. ſi Deus cauſaret peccatum in alio, tunc illud vellet in alio, atqui qui vult & amat peccatum ſive in ſe, ſive in alio, jam formaliter peccat, ac agit contra rectam rationem: non autem, qui amat errorem ſpeculativum & phyſicum, aut ignorantiam, vel mortem in alio ſtatim errat ſpeculative, nec ignorat, neque moritur.

641 Ob. 2. Deus nequit falſum dicere; atqui falſum diceret, ſi actum erroris animæ infunderet; ergo. m. p. dicere Dei nihil aliud eſt, quam notitiam alteri imprimere; ergo ſi Deus notitiam falſam imprimit animæ, infundendo ei errorem, tunc falſum dicit. a. conſtat. nam

nam Deus non aliter loquitur animabus separatis & Angelis, quam imprimendo aliquam notitiam.

℟. N. m. & prob. a. Deus enim casu quæstionis nil loqueretur, aut diceret, consequenter nec falsum nec mendacium diceret. Ratio est, quia ad hoc, ut Deus loquatur, requiritur, ut signo aliquo seu interno seu externo manifestet hanc esse suam mentem, & se ita sentire ac judicare: quod non facit producendo in altero errorem. Causando enim in Petro hanc erroneam cognitionem: *Cœlum est lapideum* Deus non simul significaret, se idem in mente sua judicare aut sentire. Aliud foret de errore isto, qui ita tenderet: *Cœlum est lapideum*, & ita judicat, ac cognoscit Deus. Istum errorem nequit Deus infundere homini, quia sic esset locutio Dei, & quidem falsa; atqui Deus nequit loqui falsum: ergo.

Ob. 3. Deus nequit decipere vel fallere; atqui si in homine produceret errorem, tunc falleret & deciperet talem hominem: ergo. 642

℟. D. M. Deus nequit decipere vel fallere verbis aut aliis signis, quæ censentur esse locutio Dei c. M. alio modo, qui non censeretur locutio Dei n. M.

Dices: Ergo Deus in tali casu esset deceptor & seductor. ℟. d. illatum, esset deceptor, seu deceptionem speculativam sine mendacio causans in homine c. ill. esset deceptor & seductor, prout deceptor & seductor idem sonat, ac mendax, vel ut inducens in peccatum n. ill. Hinc dum Judæi JEsum vocarunt seductorem, Eum mendacii voluerunt arguere, quia nempe dicebat se esse filium Dei &c. neque tali modo Deus decipiendo speculative esset *Impostor* dicendus. Impostoris enim nomen illi convenit, qui decipit cum mendacio, & qui non habet jus decipiendi; atqui Deus sine mendacio, & ex plenitudine potestatis suæ supremæ deciperet.

Ob. 4. Homini non licet decipere: ergo neque Deus potest decipere. ℟. 1. Ret. arg. homini non licet sine causa occidere Innocentem: ergo neque hoc Deo est licitum aut possibile. 643

℟. 2. tr. a. n. c. Est notabile discrimen inter Deum & nos. Deus enim quemadmodum potest causare mortem Innocentis ex sola plenitudine potestatis & Dominii, quod habet in vitam & mortem, ita & potest causare errorem in intellectu hominis, & quodcunque aliud malum physicum ex plenitudine ejusdem Dominii; nos autem sicut non

poſſumus occidere Innocentem, ita nec mirum eſſe debet, ſi neque licite poſſimus alium in errorem inducere.

℟. 3. D. a. Homini non licet decipere errore practico, vel per mendacium c. a. non licet decipere errore ſpeculativo, & ſine mendacio, tunc, cum adeſt ſufficiens cauſa n. a. Si enim Sculptor noviſſet ita artificioſe efformare ſtatuam alicujus animalis, ut omnes crederent eam non eſſe ſtatuam ſed vivum animal, nemo talem Sculptorem peccati argueret, etſi is per ſuum artefactum deciperet. Item Confeſſarius ſimulans externe abſolutionem & tamen eam ex ſufficienti cauſa non pronuntians decipit adſtantes, nec per hoc illicite agit. Ille eſt Impoſtor, qui eſt mendax, & qui utitur ſignis per ſe inſtitutis ad manifeſtandam mentem, ut per ea ſuadeat falſum; non vero qui utitur aliis ſignis non inſtitutis ad manifeſtandam mentem.

644 Ob. 5. Si Deus poſſet fallere, tunc fides noſtra non eſſet infallibilis; atqui fides noſtra debet eſſe infallibilis: ergo. ℟. D. M. Si Deus poſſet fallere mentiendo, vel loquendo & revelando c. M. ſi tantum poteſt fallere alio modo n. M. noſtra fides eſt infallibilis, quia ſola illa credimus, quæ conſtat eſſe a Deo revelata & dicta ad nos, in quibus Deus nequit fallere, prout dictum eſt. Ex quibus

645 Colligis, a fortiori Deum poſſe homini infundere non ſolum habitum erroris, ſed etiam habitum vitioſum inclinantem non ſolum ad errorem ſpeculativum, verum etiam moralem, imo ad peccatum. Ratio primi eſt, non potius imo minus repugnat cauſare in intellectu habitum tantum inclinantem ad errorem actualem, quam ipſum actualem errorem. Ratio utriusque eſt; Deus enim de facto dat homini appetitum ſenſitivum & tentationes, quibus ad peccatum inclinatur; ergo etiam poſſet ipſi dare talem habitum inclinantem ad peccatum, vel ad errorem etiam practicum. Siquidem Deus non dat iſta ex animo, ut homo actu peccet, ſed ut mala inclinatio vincatur, & quo major eſt pugna cum noſtris inclinationibus, eo amplior ſit victoria inde reportata.

1. Deus creat voluntatem, quæ eſt principalis cauſa peccati: ergo & habitum peccaminoſum creare poteſt, qui eſſet cauſa ſecundaria. 2. Deus ſe ſolo conſervat habitum vitioſum in voluntate: quia non conſervatur a voluntate, quæ non efficit eundem habitum, neque ab aliquo alio præter Deum. 3. Imo juxta Suarez, qui eſt contrarius huic noſtræ aſſertioni, poteſt Deus in nobis producere ſe ſolo intenſiſſimam & vivaciſſimam cognitionem delectabilitatis Objecti vetiti, quæ

utique magis inclinat ad peccandum, quam habitus vitiosus. 4. Habitus hic subjaceret arbitrio voluntatis, & non necessitaret ad peccatum; item Deus per talem habitum daret occasionem peccandi per accidens. 5. Deus peccatum non intenderet, neque hoc est necessario connexum habitui vitioso, sed subordinate ad liberum arbitrium. Deus intendit pugnam & victoriam spiritualem, ob quam causam & fomitem relinquit, & habitum vitiosum conservat, & delectationem objecti vetiti producere potest.

Dices 1. Deus nequit suadere malum: ergo neque producere habitum vitiosum. ℟. n. c. qui suadet, vel optat peccatum, vel mentitur: suadendo enim ostendit se velle & approbare peccatum: ergo vel tunc approbat, & sic ipse peccat: vel non approbat, & tunc mentitur. Utrumque Deo repugnat. 646

Dices 2. Habitus vitiosus ex natura sua tantum habet actum malum. ℟. D. a. non tamen necessario c. a. necessario n. a. item non obstante, quod inclinet ad malum potest voluntati esse utilis ad majus bonum c. secus n.

Dices 3. Deus non potest creare voluntatem quæ tantum inclinat ad malum: ergo. ℟. n. c. voluntas enim si tantum inclinaret ad malum cum non habeat aliam potentiam sibi imperantem, & se dirigentem ad bonum, deberet necessario male agere, non autem habitus vitiosus, qui per voluntatem a malo impeditur & ad bonum servire debet, sicut fomes peccati, & aliæ tentationes. & sic talis voluntas foret ens malum Manichæorum, quod implicat.

Colligis 2. In moderna providentia non posse fieri verum miraculum in testimonium doctrinæ falsæ, seu alicujus erroris sive speculativi sive practici. Ratio hujus est; quia miracula in præsenti providentia sunt ex institutione divina assumpta ad contestandam divinam mentem, adeoque sunt quasi locutiones divinæ, quibus Deus mentem & cognitionem suam, quam habet de aliqua re, demonstrat, & confirmat: ergo sicut Deus per locutionem suam nequit confirmare aliquam doctrinam falsam, vel errorem, ita neque in testimonium talis doctrinæ falsæ & erroris verum miraculum patrare potest. A. constat varie ex S. Scriptura, ut Jo. 5. *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Item ad Heb. 4. doctrina Evangelica dicitur confirmata fuisse, *Contestante Deo signis & portentis.* Et Marc. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Liquet etiam exinde; quia nunquam legimus 647

ab aliquo eſſe factum miraculum in comprobationem alicujus doctrinæ falſæ. Accedit etiam ſenſus univerſæ Eccleſiæ.

Dixi *in moderna providentia* &c. ſi enim in alia providentia miraculum non eſſet teſtimonium mentis divinæ & doctrinæ veræ a Deo revelatæ vel approbatæ, tunc poſſet miraculum fieri in confirmationem erroris ſpeculativi. Quia tunc Deus non cenſeretur per tale miraculum loqui nec mentem ſuam aperire.

Articulus III.

De Revelatione Divina.

§. I.

An Revelatio ſit totale vel partiale Objectum formale fidei?

648 Nota 1. Ex Scriptura & communi ſenſu certum eſſe, quod teſtimonium ſeu revelatio Dei ex parte objecti concurrat ad actum fidei: credimus enim v. g. Deum eſſe trinum, quia ita Deus tanquam prima veritas revelavit.

Nota 2. Revelationem ac Locutionem divinam nil aliud eſſe, quam aliquod ſignum per quod Deus conceptum ſuum ignotum de aliqua re nobis manifeſtat. Hæc revelatio varie fieri poteſt, ſcilicet immediate per Ipſum Deum, dum is interne per inſpirationes, aut externe per ſigna mentem ſuam aperit. Vel mediate per Angelos, Eccleſiam S. Scripturam, manifeſtando nobis aliquam veritatem.

Nota 3. Aliam eſſe revelationem *publicam*, quæ fit alicui communitati præſertim toti Eccleſiæ, vel quæ fit de re aliqua concernente totam Eccleſiam, aut aliquam communitatem. Aliam vero *privatam*, quæ fit vel alicui perſonæ in particulari, vel fit de re aliqua, quæ tantum ſpectat ad perſonam particularem.

Nota 4. Revelationem divinam quamvis dividi in activam & paſſivam. *Activa* eſt ipſe actus revelationis divinæ. *Paſſiva* eſt perceptio & auditio revelationis activæ. Activa nectit primam veritatem materiæ credibili. Paſſiva vero applicat intellectui credentis mate-

materiam credibilem ut substantem primae veritati, ideoque etiam applicat intellectui nostro ipsam primam veritatem & revelationem activam H. N.

Assero: Revelatio non ingreditur objectum formale fidei, sed 649
est mera conditio applicans objectum credibile. Ita communior inter SS.

P. 1. Illud non ingreditur objectum formale fidei, quod ratione sui non movet ad credendum: atqui revelatio & locutio Dei ratione sui non movet ad credendum: ergo neque revelatio & locutio Dei ingreditur motivum fidei. M. patet ex natura motivi & objecti formalis. m. prob. Revelatio tantum movet ratione veracitatis divinæ: veritas enim in cognoscendo & dicendo dat solummodo revelatis credibilitatem infallibilem: ergo.

Confirm. 1. Si Deus per impossibile non esset verax in dicendo aut cognoscendo, tunc ejus revelatio foret fallibilis, & nullam fidem mereretur: ergo revelatio infallibilitatem & vim movendi ad credendum non habet ratione sui, sed ratione veracitatis divinæ.

Confirm. 2. Non credimus homini quia loquitur, sed quia loquendo verax est: ergo neque credimus Deo, quia loquitur, seu quia revelat, sed quia loquendo & revelando verax est.

P. 2. Revelatio se tantum habet per modum conditionis applicantis objectum formale fidei: ergo ipsa revelatio non est objectum formale fidei: c. videtur certa, quia conditiones ad objectum formale applicandum requisitæ non sunt ipsum objectum formale. p. a. Revelatio enim si est activa, applicat veracitatem divinam objecto credibili, vel si est passiva, applicat objectum tam materiale quam formale fidei intellectui audientis: atqui hoc utroque modo se habet tantum per modum conditionis applicantis objectum: ergo.

Confirm. 1. Approximatio & applicatio caloris ad subjectum calefactibile non ingreditur, nec partialiter aut adæquate constituit vim calefactivam: ergo etiam revelatio tanquam applicatio motivi formalis fidei, illud nec ingreditur, nec partialiter aut adæquate constituit.

Confirm. 2. Etsi cognitio prævia debeat voluntati ostendere objectum amabile, tamen ista cognitio non movet formaliter ad amandum, sed sola ipsius objecti bonitas: ergo etsi per revelationem ostendatur nobis objectum credibile, tamen revelatio non movet ad credendum, sed sola veracitas divina. Adeoque sicut cognitio præcedens

dens actum amoris est tantum conditio, non autem objectum formale amoris, ita & revelatio est tantum conditio, non autem objectum formale fidei.

650 Ob. 1. Ideo credimus objectis credibilibus, quia Deus ea revelavit: ergo revelatio est motivum formale fidei.

℞. 1. Retorq. arg. Ignis comburit stupam, quia est stupæ approximatus: ergo approximatio est ratio formalis, ac virtus combustiva stupæ.

℞. 2. D. a. Credimus ideo *ultimato & formaliter*, quia Deus revelavit n. a. ideo materialiter, tanquam propter conditionem applicantem nobis objectum formale fidei c. a.

Dices: Seclusa revelatione veracitas Dei non movet ad credendum: ergo revelatio non solum conditio, sed & objectum motivum est fidei.

℞. 1. retorq. ut prius. ℞. 2. Iterum retorquendo. Seclusa cognitione objecti amabilis hoc non movet ad amorem: ergo cognitio objecti amabilis non solum est conditio, sed & motivum formale amoris. ℞. 3. n. c.

Instabis: Sine revelatione neque per absolutam Dei potentiam potest haberi actus fidei: ergo revelatio non est mera conditio: conditiones enim saltem per absolutam Dei potentiam possunt suppleri.

℞. n. c. ejus rationem d. conditiones requisitæ ad effectum in genere causæ efficientis possunt suppleri c. requisitæ ad effectum in genere causæ formalis n. a. Sic unio inter animam & corpus non potest suppleri divinitus, ut sine ea dari possit homo, neque potest divinitus suppleri unio inter albedinem & subjectum, ita, ut sine hac unione possit dari album: similiter quia & revelatio se habet per modum unionis, nectentis materiam credibilem veracitati Divinæ, ita & sine ea non potest dari actus fidei.

651 Ob. 2. In S. Scriptura Revelatio assignatur pro motivo credendi: ergo. a. p. Sic Matth. 16. dicitur: *Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est &c.*

℞. D. a. Revelatio assignatur pro motivo fidei secundum id, quod dicit in recto n. a. secundum veracitatem divinam, quam importat in obliquo c. a. quod fides nostra non assentiatur Deo, præcise ut revelanti, sed potius propter veracitatem Ejus sacer textus ipse docet, dum Joan. 3. ait: *Qui accepit ejus testimonium signavit, quia Deus verax est:*

quasi

quaſi diceret: qui aſſentitur teſtimonio & locutioni ejus, non aſſentitur ei ut dictioni & teſtimonio qualicunque, ſed ut procedenti a Deo veraci.

Ob. 3. Si ex aliquo quæram, cur credat, Deum eſſe trinum, reſpondet; quia id Deus revelavit: ergo revelationem adſtruit pro motivo ſuæ fidei.

℞. N. c. revelationem enim talis reſpondens adſtruit pro conditione applicante motivum fidei. Hinc ſi ulterius quærerem, cur credis Deo revelanti? talis homo reponeret; quia Deus revelans eſt verax.

Ob. 4. Si Revelatio divina non eſt objectum formale fidei, tunc ſe habet, ſicut locutio Parochi, proponentis alicui articulum fidei; atqui ſequela non poteſt admitti: ergo.

℞. N. M. propoſitio enim & locutio Dei, ex eo, quia in obliquo importat infallibilitatem & veracitatem divinam, eſt infallibilis, non autem infallibilis eſt locutio Parochi ob defectum veracitatis infinitæ.

Ob. 5. Locutio & revelatio Dei eſt neceſſario vera & infallibilis: ergo movet ad credendum. ℞: D. a. eſt vera ratione ſui n. a. eſt vera & infallibilis ratione veracitatis divinæ, quam importat in obliquo c. a. ergo etiam movet ratione ſui n. c. ratione veracitatis divinæ c. c.

Ob. 6. Objectum motivum formale ſcientiæ non eſt ſola evidentia præmiſſarum, ſed & evidentia & bonitas conſequentiæ connexa cum evidentia præmiſſarum: ergo & motivum fidei non eſt ſola veracitas Dei, ſed & revelatio, connexa cum veracitate Dei.

℞. N. a. nam ut notat Maſtrius, motivum formale ſcientiæ non eſt bonitas conſequentiæ & illationis formalis, eo quod optima forma illationis ac perfecta bonitas conſequentiæ formalis ſtare poſſit cum falſitate conſequentis. Hinc formale motivum ſcientiæ eſt connexio objectiva, quæ datur inter objectum præmiſſarum & concluſionis; forma autem ſyllogiſtica & bonitas conſequentiæ formalis eſt tantum conditio applicans connexionem illarum objectivam, ut ab intellectu facilius penetrari valeat.

Quæres, an revelatio privata ſit ſufficiens ad hoc, ut aliquid cre- 652
datur fide divina?

℟. Revelatio privata fufficienter propofita, & de qua conftat, eft fufficiens illi, cui fit, ut credat fide divina rem fic privatim revelatam. Ita Herincx, du Pafquier & communis aliorum contra Sotum & Canum.

P. Sive publice, five privatim loquatur Deus femper eft verax: ergo eadem fide divina credere poteft homo Deo privatim loquenti, qua credit eidem publice revelanti.

Dices: Fides infufa eft catholica: ergo fe extendit folum ad ea, quæ publice funt revelata, & totam Ecclefiam concernunt.

℟. D. c. fe tantum ordinarie extendit ad ea, quæ publice funt revelata c. c. extraordinarie n. c. quid enim vetat, quod per eandem fidem, qua creduntur ea, quæ totam Ecclefiam concernunt, etiam credantur aliqua ad aliquam perfonam in particulari fpectantia, & quidem in illo cafu extraordinario, quo ille ipfe veraciffimus Deus, qui toti Ecclefiæ loquitur, etiam tali Perfonæ in particulari aliqua revelare dignatur? Hinc & ille, qui revelationi particulari & privatæ fufficienter propofitæ difcrederet, in hærefin quoque incideret, ac habitum fidei perderet, ficut ille, qui non credit articulo fidei propofito ab univerfali Ecclefiæ.

Dices 2. S. Aug. ait: *Evangelio non crederem nifi me Ecclefiæ Catholicæ commoveret Authoritas:* ergo juxta S. Aug. Revelatio ut fit fide divina credenda, debet femper effe per Ecclefiam propofita, & fic effe publica. ℟. Hoc tantum intelligendum effe, quod ordinarie & regulariter nihil fit credendum, nifi quod ab Ecclefia eft propofitum.

Dices 3. Si ad aliquid credendum fide divina fufficit revelatio privata, tunc hæretici non poffunt amplius convinci, quando dicunt fe privato fpiritu duci ad credenda Myfteria fidei. ℟. n. c. fequel. nam etiam revelatio privata non poteft credi, nifi facta fuerit evidenter credibilis per fignum aliquod divinum; dicant autem hæretici quo figno divino commonftrent fuum fpiritum privatum, & fua fomnia ex hoc fpiritu progenita. Deinde hæretici fpiritum fuum privatum affignant pro regula univerfali refpectu totius Ecclefiæ, non fic nos affignamus revelationem privatam. Ex his

653 Colliges 1. Talem Perfonam, cui aliquid vere a Deo privatim eft revelatum, non folum poffe, fed debere credere illud effe verum; alias enim divinæ veritati, qua nititur talis revelatio, fummam inferret

ret injuriam. Nihilominus ut aliquis teneatur fidem adhibere simili revelationi, debet ea esse sufficienter proposita, & de ea constare. Nam si non satis constaret, quod ea esset vera revelatio, tunc ei credens imprudenter ageret. Ex quo

Colliges 2. Revelationes muliercularum etiam speciem maximæ pietatis habentium, plerumque esse tales, quæ fidem nec humanam, minus divinam merentur; Ratio est, quia fœminæ facilius & frequentius patiuntur illusiones dæmonum & Phantasiæ, ut ex propria experientia se didicisse testatur Herincx, Vir ille, & pietate & doctrina & Episcopali dignitate plane insignis. Et addit Deum nos ordinarie dirigere, & velle dirigi per ordinarias & communes fidei & morum regulas, eamque viam, nempe communem, esse tutissimam, ac a periculis deceptionis immunem. Atque hac in re confessarius sedulo attendat, ne de ipso verificetur: *Qui cito credit, levis est corde.*

Colliges 3. Alios, quibus persona privata suam revelationem patefaceret, non fore obligatos ad credendum. Ratio est, quia persona privata non est regula sufficiens ad proponendum articulum fidei, ab aliis necessario credendum. Hoc tamen intelligendum est, nisi signis supernaturalibus, vel alia ratione sufficienter constaret, quod hæc revelatio sit a Deo facta, & nulla ei deceptio subsit.

Colliges 4. Quod etiam non simus obligati ad fidem adhibendam revelationibus S. Birgittæ, vel V. Mariæ de Agreda &c. non obstante, quod legitimi Libri ab Ecclesia & Pontificibus sint approbati. Ratio est, quia Ecclesia similes libros & revelationes non solet aliter approbare, quam quod illa, quæ in iis continentur, possint pie, & absque errore credi, non autem, quod credi debeant ut articuli fidei infallibiles.

§. II.

An Revelatio Divina necessario debeat esse obscura?

Nota, certum esse, quod actus fidei debeat esse obscurus, & debeat tendere in objectum obscurum id est, non evidenter nec clare propositum. Fides enim teste Apostolo *est argumentum non apparentium.* Modo autem inquiritur, an huic obscuritati fidei non obstet evidentia revelationis, quæ etiam dicitur evidentia in attestante, & tunc datur,

quando aliquis evidenter & clare ſcit, quod Deus hunc vel illum articulum revelarit, aut teſtatus ſit &c. H. N.

654 Aſſero: fides poteſt ſtare cum evidentia in atteſtante. ita Sc. 3. d. 24. q. un. §. *ſed ſi loquamur* n. 17. ubi admittit Prophetas de facto habuiſſe evidentem cognitionem revelationis ſibi factæ ſine præjudicio fidei.

P. 1. Evidentia in atteſtante reddit tantum claram & evidentem revelationem ac atteſtationem, non facit autem in ſe & intrinſece evidentem, ac claram rem illam, quæ revelatur: ergo res per evidentem revelationem & atteſtationem revelata, in ſe manet obſcura, adeoque eſt etiam fide divina credibilis. a. conſtat, ſi enim evidenter perciperem ab aliquo narrante, & teſtante, quod Roma ſit tantæ magnitudinis &c. exinde magnitudo Romæ mihi in ſe non foret evidens, ſed maneret obſcura, quamvis in tali caſu foret evidens atteſtatio & narratio facta de eadem magnitudine & amplitudine urbis Romanæ.

Confirm. 1. Tamdiu objectum in ſe manet obſcurum, & inevidens, quamdiu illud neque in ſe immediate, neque in principiis ſuis intrinſecis, aut in ſuis cauſis, neque in effectu aliquo ſuo ſecum naturaliter connexo, neque in aliqua ſpecie, ac ſimilitudine ejus, clare & evidenter tale objectum repræſentante, ſed duntaxat in teſtimonio extrinſeco rem & objectum tale teſtante cognoſcitur; atqui quando datur ſola evidentia in atteſtante, tunc neque objectum in ſe immediate, ſed duntaxat in teſtimonio extrinſeco rem illam teſtante cognoſcitur; ergo etiam quando datur ſola evidentia in atteſtante, objectum manet obſcurum, adeoque ſufficiens pro actu vel aſſenſu fidei.

Confirm. 2. Evidentia illa in atteſtante non eſt motivum fidei, ſed tantum eſt nobilior applicatio motivi: atqui nobilior applicatio motivi non impedit actum fidei, ſed potius eum facilitat, & promovet: ergo. M. quoad 1. part. liquet; quia veritas divina, non autem evidentia in atteſtante eſt motivum & objectum formale fidei. 2. Pars etiam eſt certa: quia exiſtentia revelationis divinæ, clare & quidem ſupernaturaliter cognita magis applicat objectum fidei, quam eadem tantum obſcure per fidem credita.

Confirm. 3. Stante evidentia in atteſtante aliquis aſſenſum præſtaret articulo revelato propter veracitatem & Authoritatem revelantis: ergo ſtante adhuc evidentia haberet adhuc actum fidei, non autem

 tem

tem scientiæ. Scientia enim non assentit objecto propter Authoritatem dicentis, sed propter evidentiam intrinsecam objecti.

Ob. 1. Evidentia revelationis facit ipsum objectum materiale fidei evidens: ergo cum evidentia revelationis seu in attestante non potest stare actus fidei. c. patet, quia objectum materiale fidei necessario debet esse obscurum. a. p. si esset mihi evidens, quod Deus revelarit se esse trinum, tunc & Trinitatis Mysterium mihi necessario foret evidenter cognitum: ergo. 655

℞. D. a. Evidentia extrinseca & in attestante c. a. intrinseca n. a. talis responsio ad probationem quoque datur.

Quare bene attendatur, si proponantur similes syllogismi: *quidquid Deus revelat est verum: sed Deus revelat se esse trinum: ergo Deum esse trinum est verum.* Ubi dicunt AArii quod conclusio & hæc propositio Deum esse trinum, sit intrinsece evidens, eoquod deducatur ex præmissis evidentibus, major enim per se est lumine naturæ nota, minor juxta conclusionem nostram supponitur evidens, quia supponitur evidenter esse revelatum talem articulum v. g. SS. Trinitatem. Ad similes, inquam Syllogismos bene attendatur; ii enim intentum Adversariorum non evincunt. M. Enim distingui debet: *quidquid Deus revelat est verum*, obscure c. M. evidenter subd. evidentia extrinseca & in attestante c. M. evidentia intrinseca n. M. & simili modo distingui petit Conclusio. Adeoque ex tali syllogismo ad summum sequitur, tale Mysterium cujus revelatio clare constat, esse tantum evidenter verum evidentia extrinseca. Observes etiam, quod aliud sit esse verum, & aliud esse evidens, vel evidenter verum. Omnes enim actus fidei sunt veri & certi, non tamen sunt evidentes, vel evidenter veri.

Ob. 2. Actus elicitus ex medio evidenti est evidens: sed assensus elicitus ex revelatione evidenter cognita, est ex medio evidenti: ergo & ipse talis assensus est evidens: adeoque non potest esse actus fidei. 656

℞. D. M. Actus elicitus ex medio evidenti est evidens eadem evidentia, qua medium est evidens c. M. alia evidentia, qua medium non est evidens n. M. Evidentia medii seu revelationis est extrinseca respectu rei & objecti revelati, facitque tantum evidentiam in attestante, non autem in re, quæ est attestata. Quare & ipse assensus propter talem revelationem evidentem elicitus est tantum evidens

in atteſtante, non autem eſt clarus & evidens quoad ojectum materiale, quod eſt revelatum, & quod credit.

Dices: etiam per medium extrinſecum poteſt aliqua res in ſe intrinſece & evidenter cognoſci: ergo nulla reſponſio. p. a. dum per effectum demonſtratur cauſa, tunc ea cognoſcitur per medium extrinſecum, & tamen tunc cauſa in ſe intrinſece, evidenter, ac ſcientifice eſt cognita: ergo. a. quoad 2. memb. per ſe patet. quoad 1. facile probatur: effectus eſt realiter diſtinctus a cauſa: ergo eſt medium extrinſecum reſpectu cauſæ demonſtrandæ & cognoſcendæ.

℞. N. a. ad prob. n. ſupp. a. Non enim dicimus medium extrinſecum eſſe præciſe id, quod non eſt realiter identificatum cum re demonſtranda aut cognoſcenda. Hinc juxta nos medium extrinſecum eſt illud, quod cum re cognoſcenda in ſe & intrinſece ſpectata non habet neceſſariam & evidentem connexionem. Sic, etſi effectus cum cauſa, vel cum conditionibus ad ſui productionem neceſſario requiſitis non habeat identitatem, habet tamen exiſtentia talis effectus in ſe ſpectata intrinſecam aliquam connexionem & dependentiam ad cauſam, & ad conditiones ad cauſandum requiſitas. Aliud eſt de revelatione & Myſterio revelato v. g. de reſurrectione mortuorum. Reſurrectio enim mortuorum in ſe entitative ſpectata, nec cum revelatione, nec cum reſurrectione mortuorum ratione ſui & ex natura ſua intrinſeca habet connexionem.

Inſtabis: quando revelatur reſurrectio mortuorum v. g. ut exiſtens, vel ut futura, tunc debet neceſſario eſſe futura, vel exiſtens: ergo reſurrectio mortuorum habet in ſe & ex natura ſua cum revelatione aliquam neceſſariam connexionem.

℞. D. a. Debet neceſſario eſſe futura ratione & ex natura revelationis in ſe ſpectatæ n. a. propter veracitatem divinam c. a. Non ratione ſui, ſed ratione veracitatis divinæ revelatio divina eſt neceſſario vera & conformis objecto revelato: ſi enim Deus per impoſſibile non eſſet infallibilis in cognoſcendo & dicendo, tunc poſſet falli & fallere, & poſſet objectum revelatum ſe aliter habere, quam Deus revelando dixit. Adeoque revelatio divina ratione ſui non neceſſario connectitur cum objecto revelato, neque objectum revelatum cum revelatione.

Urgebis: Ergo ſaltem veracitas divina connectitur neceſſario cum objecto revelato: adeoque ſaltem tunc, dum & revelatio & veraci-

racitas divina ſunt evidenter cognitæ, etiam objectum revelatum deberet in ſe eſſe evidenter cognitum.

℞. D. illat. veracitas divina connectitur neceſſario cum objecto revelato qua revelato c. ill. cum objecto entitative, intrinſece, & in ſe ſpectato n. ill. quod veracitas divina non connectatur intrinſece cum entitate & exiſtentia objectorum creatorum revelatorum, exinde patet, quia Deus maneret, & eſſet verax, etſi nullum tale objectum exiſteret: ſic maneret verax, etſi mundus non exiſteret, etſi Adam non comediſſet de fructu vetito; etſi Petrus non negaſſet Chriſtum, etſi Judas non prodidiſſet Chriſtum nec ſuſpenſus crepuiſſet medius, quæ tamen objecta omnia ſunt revelata. Deinde exiſtentia objectorum revelatorum in ſe entitative ſpectata non connectitur intrinſece cum veracitate divina: nam veracitas divina nec eſt pars intrinſeca, nec proprietas, nec conditio, nec cauſa ad productionem talium objectorum requiſita; minus veracitas divina eſt effectus cauſatus ab objectis his creatis & revelatis: ergo ſecundum rationem intrinſecam, ſecundum quam objecta revelata intrinſece ſe aliter habere non poſſunt, nullo modo cum iis connectitur veracitas.

Nihilominus veracitas divina connectitur cum objectis qua revelatis; quare tali modo poſſent fieri ſimilia objecta evidentia ſecundum eſſe extrinſecum revelationis, non autem ſecundum eſſe entitativum, proprium & intrinſecum. Ex quibus

Colligis 1. Tunc aliquam rem evidenter cognoſci in ſe & intrinſece, quando quis habet intuitivam cognitionem, qua rem immediate in ſe ipſa intuetur. 2. Quando res aliqua immediate ex terminis cognoſcitur: ut ſi quis habet ſpecies acquiſitas, vel infuſas evidenter & clare repræſentativas terminorum talis rei. 3. Quando per medium intrinſecum de quo ſupra, aliqua res evidenter, & ſcientifice demonſtratur. Ratio eſt, quia in his caſibus omnibus res talis evidenter in ſe cognoſcitur ſecundum illam rationem intrinſecam, ſecundum quam ſe aliter ex ſua natura habere non poteſt.

Jam dum habetur evidentia in atteſtante, tunc nullum ex his modis objectum revelatum in ſe evidenter cognoſcitur. Non 3tio, ut ex mox dictis conſtat. non *imo* & *2do:* quia teſtimonium ac atteſtatio eſt objectum diſtinctum ab illa re, de qua fit teſtimonium; ergo bene poteſt teſtimonium immediate in ſe cognoſci vel per ſpeciem claram repræſentari, & tamen per eandem ſpeciem non poteſt re-

præ-

præfentari clare ipfum objectum, de quo fertur teftimonium, vel quod revelatur.

Replicabis: Revelatio eft effectus Dei unius: ergo fi cognofco Deum ex revelatione evidenter cognita, tunc cognofco ipfum demonftrative a pofteriori, adeoque non obfcure, fed fcientifice.

℞. c. a. d. c. fi cognofco Deum unum ex revelatione divina, quatenus hæc eft effectus Dei unius, tunc fub hac formalitate cognofco eum fcientifice & non obfcure c. c. fi cognofco Deum ex revelatione, ut ea præcife eft aliquod teftimonium, tunc cognofco eum fcientifice & non obfcure n. c.

657 Ob. 3. Actus fidei debet effe liber: atqui non effet liber, tunc, quando daretur evidentia in atteftante, tunc enim ob evidentiam revelationis intellectus neceffitaretur ad affenfum ei præftandum: ergo. M. conftat ex trid. Seff. 6. c. 6. ubi docet, hominem per fidem difponentem ad juftitiam libere moveri in Deum.

℞. 1. D. M. actus fidei, quem de lege ordinaria habemus, & qui requiritur ad juftificationem debet effe liber c. M. quem de lege extraordinario in cafu noftræ conclufionis aliquis haberet n. M. Concilium non loquitur de cafu noftro fpeculativo, fed de fide illa, quæ de facto datur, & requiritur ad juftificationem. Hæc enim debet omnino effe libera, ut poffit effe meritoria de congruo, & per modum talis meriti difponere ad juftificationem.

℞. 2. Libertas poteft etiam in actu evidenti reperiri, quatenus voluntas libere applicat intellectum ad confiderandum objectum vel motivum aliquod evidens, vel faltem eundem libere detinet in confideratione talis motivi. Hinc in forma d. M. actus fidei debet effe liber in fe immediate n. M. immediate enim tanquam actus intellectus non poteft effe liber. Debet effe liber mediate quatenus intellectus per voluntatem libere applicatur ad confiderandam revelationem, ac motivum fidei. c. M. Et efto quod non foret liber primus actus fidei, qui eliceretur tunc dum prima vice revelatio evidens immediate a Deo oftenditur noftro intellectui absque ulla cooperatione noftræ voluntatis, faltem poftmodum voluntas poffet libere intellectum talem applicare ad denuo confiderandam illam evidentem revelationem, & fic fubinde ad alios & alios affenfus fidei eliciendos.

Ob. 4. Saltem actus fidei qui ftaret cum evidentia in atteftante non poffet elici ab habitu fidei, quem de facto habemus: ergo. a. p. habi-

habitus fidei quem de facto habemus eſt unice reſtrictus ad objectum formale obſcurum, & revelationem evidentem: ergo.

℞. N. a. utrumque. Quamvis habitum noſtræ fidei Deus ita reſtringere potuiſſet, nihilominus minime conſtat, eum ita eſſe reſtrictum. Immo potius judicandum eſt, habitum noſtræ fidei ſe extendere ad totam latitudinem ſui motivi, & ad omnes actus eliciendos, ob Authoritatem Dei revelantis.

℞. 2. tr. totum. Nam adhuc eſſet actus fidei, ſi eliceretur ex motivo veracitatis divinæ, etſi non eliceretur, neque elici poſſet ab habitu ordinario fidei, ſed ab alio generaliori, vel a Deo extraordinarie concurrente.

Quæres: An actus fidei elicitus tunc, dum haberetur evidentia 658
in atteſtante, eſſet ſpecie diſtinctus a noſtris actibus fidei?

℞. Fore probabilius ſpecie diſtinctum. Ratio eſt, quia etiam notabiliter diverſa applicatio objecti formalis ſufficit ad ſpecie diſtinguendos actus; atqui hic daretur notabiliter diverſa applicatio objecti formalis, nam in actu fidei noſtræ applicatur per revelationem obſcure cognitam, & in caſu evidentiæ in atteſtante applicatur per revelationem evidenter cognitam: ergo. M. p. ſic amor Beatorum in Patria, & amor quo nos Deum in via diligimus differunt ſpecie ob diverſam applicationem objecti formalis amoris, ſcilicet bonitatis divinæ, quæ in Patria applicatur voluntati per claram cognitionem, & in via per obſcuram: ergo.

Articulus IV.
De Analyſi fidei.

Analyſis ſeu reſolutio fidei eſt quidam mentis regreſſus, quo fides in 659
ſuum ultimum motivum reducitur: quare hæc reſolutio ad nil aliud ſervit, quam ad inveſtigandum motivum formale & ultimatum, cui tota fidei firmitas innititur. Fit autem tali modo; quærit aliquis ex Catholico, cur credat Deum eſſe trinum, tunc hic reſpondet, quia ita Deus revelavit; ſi ulterius urgeatur, cur credat Deo revelanti, tunc reponet denuo: quia Deus infinite verax in cognoſcendo, & dicendo nec falli poteſt, nec fallere, adeoque illud, quod ipſe revelat verum eſt. Et hac ratione fides reſolveretur in ultimatum ſuum motivum formale, quod eſt veracitas Dei.

Quemadmodum autem ad actum fidei conſtituendum duo concurrunt, unum *præſuppoſitive*, & alterum *formaliter*, ita duplex quoque fidei reſolutio diſtingui poteſt. *Præſuppoſitive* ad actum fidei requiritur propoſitio Myſteriorum credendorum, & revelatorum; hanc propoſitionem revelationis debite factam ſequitur primum ipſe formalis actus fidei, quo aſſentimur rebus revelatis, ac rite propoſitis. Quare poteſt fieri reſolutio præciſe quoad ſolam propoſitionem & revelationem credendorum, per quam nempe reſpondetur ad quæſtionem: *quare credis hoc eſſe a Deo revelatum?* altera autem reſolutio fit quoad aſſenſum & ipſum formalem actum fidei, per quam reſpondemus ad interrogationem, quare aſſentis vel credis Deo Myſteria revelanti? de utraque reſolutione fidei inpræſentiarum dicetur.

Porro reſolutio noſtræ fidei eſt alia, quam fuit Prophetarum, vel aliorum, qui habuerunt immediatam revelationem a Deo, vel evidentiam in atteſtante. Sic enim Moyſes, quocum Deus loquebatur ſicut homo ſolet loqui cum amico, potuit fidem ſuam immediate in Deum reſolvere. Nos vero, quibus Myſteria credenda, & eorum revelatio tantum innoteſcunt per propoſitionem & Authoritatem Eccleſiæ, aliam longiorem viam in reſolutione noſtræ fidei habemus. Pro qua facilius emetienda

660 Nota: Eccleſiam poſſe dupliciter ſpectari; primo quidem ſpectatur ut organum Spiritus Sancti, quatenus habet infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam in iis, quæ fidelibus credenda proponit. Et eatenus ſubſtat Authoritati divinæ, eamque participat mediante revelatione, qua Deus in ſacra Scriptura revelavit hujusmodi infallibilem aſſiſtentiam.

Altero modo poteſt ſpectari Eccleſia, quatenus eſt quædam congregatio hominum variis notis fide humana, vel ratione naturali cognitis præfulgens, ex quibus notis magna Eccleſiæ indicatur Authoritas, ita ut ei proponenti aliquid ut verum, vel a Deo revelatum quis prudenter, & absque temeritate nequeat diſſentire.

Notæ autem hæ, quibus Eccleſia fulget, quæ & *motiva credibilitatis* vocantur, ſunt ſequentia potiſſimum: ut prænuntiatio Prophetica, Scripturarum concordia, Authoritas ſcribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas ſingulorum errorum Eccleſiæ doctrinæ contrariorum, Eccleſiæ ſtabilitas, conſenſus tot hominum in toto orbe, tot miracula, tot Martyrum victoriæ &c. Hæc licet ſint motiva humana, ſeu talia, quæ nobis in-

notescunt per fidem humanam, utputa per libros, narrationem Seniorum, prædicationem Parochorum, vel dictamen rationis naturalis, ea tamen maximam Authoritatem Ecclesiæ satis manifestant, & Mysteria fidei reddunt evidenter credibilia, id est evidenter digna, ut ea credantur esse a Deo revelata prout tradit Ecclesia tot notis præfulgida. H. N.

Assero 1. Fides nostra quantum ad assensum resolvitur in veracitatem Dei in cognoscendo & dicendo tanquam in suam rationem motivam. Herincx, Frassen, Reiffenstuel &c. 661

P. In illud ultimato resolvitur assensus fidei nostræ, quod est objectum motivum ejus ultimatum; atqui objectum motivum fidei est illa duplex veritas: ergo. M. est certa. m. constat ex dictis. Hinc si quæras ex me, cur credam Incarnationem Verbi divini, repono, quia ita Deus revelavit: si instes, cur credam Deo revelanti, respondeo iterum, quia Deus est infinite verus in cognoscendo & dicendo, & per consequens nec falli nec fallere potest. Et hic habetur status, ac ultimum fidei nostræ motivum attingitur.

Deduces 1. Fidem nostram non resolvi ultimato in rationem naturalem & humanam. Ratio est 1. ex S. Scriptura, quæ 1. Cor. 2. *prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Item Matth. 11. Christus ad Petrum, qui eum filium Dei contestatus est, ait, *Caro & Sanguis non revelavit tibi.* Ubi nomine carnis & sanguinis significat naturalem intellectus virtutem, & sapientiam naturalem. Ratio est 2. quia fides est firmior & certior omni ratione & scientia naturali: ergo debet inniti longe firmiori & certiori motivo, quam est ratio & scientia humana. 662

Deduces 2. Fidem supernaturalem non resolvi in Spiritum privatum hæreticorum. Est autem spiritus privatus juxta hæreticos aliqua cognitio interna dictans homini esse credendum aut faciendum. Ajunt autem Heterodoxi animum cujusvis hominis in particulari intus edoceri a Spiritu Sancto, & ab hoc cuilibet privatim dictari, quid sit agendum & credendum. Contra hoc assertum est 1. Christus non agnovit spiritum privatum cujuslibet pro regula ultimata fidei, siquidem Salvator in dubiis jussit fideles adire Ecclesiam seu communitatem. Inde illud Matth. 18. v. 17. *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Item, temporibus Apostolorum, 663

lorum, & primis sæculis Ecclesiæ instituta sunt Concilia publica ad decidendas quæstiones fidei, quod foret superfluum si Spiritus Sanctus quemlibet hominem in privato doceret, quid esset credendum. 2. Spiritus privatus non est infallibilis, sed plurimum fallibilis, & multis falsitatibus subjectus: nam omnes hæretici allegant pro se spiritum privatum, ut Calvinistæ, Lutherani &c. & tamen docent plurima Contradictoria, ex quibus certo aliqua debent esse falsa. 3. Spiritus S. seu ille, in quo fundatur nostra fides, est Spiritus pacis & unitatis, ut Doctor gentium dicit 1. Cor. 12. *omnes in uno Spiritu potati sumus.* ad Ephes. 4. monet fideles, *ut sint solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* & ibidem: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Atqui Spiritus privatus non est Spiritus unitatis, sed divisionis, contradictionis; unde vix unus hæreticus cum altero convenit, & inter eos tot sunt fides diversæ, quot sunt capita: ergo. 4. Ex hac hæreticorum sententia sequeretur, quemlibet rusticum, ac Mechanicum posse nova dogmata proponere; nam & quilibet Mechanicus ac Rusticus spiritu privato gaudet, a quo intus docetur. 5. Ad quid hæreticorum libri de Religione, si quilibet satis intus a Spiritu S. docetur in iis, quæ sunt credenda?

664 Deduces 3. Neque fidem nostram resolvi in habitum supernaturalem fidei, aut in divinas illustrationes. prout probatum est supra.

Dices: Lumen materiale est objectum motivum formale, saltem partiale visionis corporeæ: ergo & illustratio divina, tanquam lumen supernaturale erit objectum partiale motivum fidei, & consequenter saltem partialiter fides in illustrationem illam resolvetur. c. patet: sicut enim lumen materiale ostendit objectum visibile ita & illustratio divina exhibet intellectui objectum credibile: ergo. R. n. c. & paritatem. Lumen materiale est ipsum visibile, proinde potentiam visivam movere potest ad sui & objecti visionem. Econtra illustratio supernaturalis, qua talis, non est a nobis cognoscibilis, proinde non potest ut ratio motiva determinare ad credendum. Ratio hujus responsionis est, quia objectum formale motivum non movet ad actum, nisi illud prius sit cognitum. Igitur actus fidei in lumen supernaturale solum potest resolvi tanquam in causam sui esse, vel tanquam in rationem essendi, non autem tanquam in rationem formaliter motivam.

Deduces 4. Neque Authoritatem Ecclesiæ esse rationem formaliter motivam ultimatam in quam assensus fidei resolvi debeat. Ratio est: vel per Authoritatem Ecclesiæ illam intelligis, quæ est a Deo participata, & revelata in S. Scriptura, tunc hæc nil aliud est, quam Prima veritas Dei, quæ per Ecclesiam tanquam suum organum Mysteria credenda proponit. Per consequens tali modo nil diversum a nostra Conclusione statuitur. Vel accipis Authoritatem Ecclesiæ prout ea solum est nota ex ratione & fide humana, tunc facit ea quidem rebus credendis evidentiam & certitudinem moralem, quæ nihilominus longe minor est, quam firmitas & certitudo nostræ fidei: ergo hæc Authoritas Ecclesiæ pro firmanda nostra fide non sufficit. 665

Dices: Si quæram ex Catholico, cur credat Incarnationem, tunc respondet, quia Deus infinite verax revelavit: si ulterius petam, cur credat ita esse a Deo revelatum, tunc necessario dicet, quia Ecclesia proponit Incarnationem tanquam Mysterium a Deo revelatum: ergo fides ultimato resolvitur in Authoritatem Ecclesiæ. R. D. c. Resolvitur ultimo in Authoritatem Ecclesiæ tanquam conditionem applicantem objectum formale & motivum fidei c. c. tanquam in rationem formaliter motivam n. c. hinc

Assero 2. Fides quantum ad propositionem & revelationem credendorum resolvitur in testimonium & Authoritatem Ecclesiæ humanitus cognitam. Reiffenstuel in theologia morali. P. quia ultimato interroganti cur hoc credam esse a Deo revelatum, debeo respondere, quia ita dicit Ecclesia; si denuo requiratur, cur credam Ecclesiæ, dum proponit talem articulum ut a Deo revelatum, tunc necessario debeo dicere, quia Authoritas Ecclesiæ tot, tantisque notis fulget, ut nemo prudenter dubitare possit de ejus veritate in proponendis articulis fidei: ergo. 666

Dixi autem notanter: in Authoritatem Ecclesiæ humanitus cognitam. Si enim resolveretur propositio Ecclesiæ in Authoritatem Ecclesiæ, ut ea ex S. Scriptura constat, tunc vix evitabitur circulus vitiosus. Si enim quæras cur credam Ecclesiam esse veracem in articulis fidei proponendis, tunc deberem respondere, quia S. Scriptura id testatur: si pergas, cur credam Scripturam Sacram esse veram, & a Deo inspiratam, tunc deberem dicere, quia Ecclesia hanc scripturam proponit ut veram &c. & si tandem iterum roges, cur credam Ecclesiæ, utique necessario per circulum redire cogerer ac reponere, quia S. Scriptura id testatur. Talis autem circulus vitio-

sus in nostra sententia non sequitur; quia propositio articulorum fidei juxta nos non resolvitur in Authoritatem Ecclesiæ ut fide divina, vel ex S. Scriptura cognitam, sed ut notam fide humana. Ratio rationis, est; tunc solum fit circulus vitiosus, quando idem per idem respondetur; atqui nos tali modo non respondemus idem per idem, ut consideranti liquet: ergo.

667 Ob. Ex his sequeretur, quod fides nostra supernaturalis resolveretur ultimato in fidem humanam, scilicet in Authoritatem Ecclesiæ fide humana cognitam; atqui hoc videtur inconveniens: ergo. R. D. M. Sequeretur, quod fides supernaturalis resolvatur in fidem humanam tanquam conditionem & causam remotam ac impulsivam c. M. tanquam in rationem motivam formalem n. M. Ex hoc tantum sequitur, quod fides divina quoad habitum suum applicari non possit, nisi præcedat fides acquisita & humana tanquam conditio, vel aliqua causa remote movens & impellens intellectum, hujus difficultatem uti & voluntatis duritiem auferendo. Neque in hoc ulla est implicantia. Ex his

Fit: tunc dum quæritur; *cur credis hunc articulum, quem Ecclesia proponit esse revelatum?* non peti rationem formalem, & motivam assensus & actus fidei, sed tantum exigi conditionem quæ prævie intellectui nostro applicat revelationem divinam, & mediante revelatione objectum tam materiale & formale fidei.

Articulus V.

Aliqua peculiaria de Objecto materiali fidei.

Explanato objecto formali, pergimus ad præcipuas difficultates de objecto materiali fidei enucleandas. Est autem id objectum materiale, vel materia fidei, quod credi potest, vel quod ratione objecti formalis attingi potest. Hoc autem objectum materiale est duplex, proximum scilicet & remotum. *Proxima* materia fidei est, cui jam est applicatum objectum formale, & quod quasi est informatum objecto formali, habetque omnes conditiones ut possit proxime credi. Objectum materiale remotum fidei est, quod habet quidem capacitatem remotam, non autem proximam, ut credi possit. H. N. sit

§. I.

Utrum Mysterium revelabile, quod necdum actu est revelatum, possit esse objectum materiale proximum fidei?

Assero, objectum revelabile, seu quod quidem potest revelari, 668
non tamen est actu revelatum non est objectum materiale proximum fidei divinæ. Communis contra aliquos.

P. Objectum materiale fidei proximum est, quod potest proxime credi, atqui objectum nondum revelatum, licet sit revelabile, non potest proxime credi: ergo non est objectum proximum fidei. m. p. quia revelatio actualis est conditio necessario requisita ad hoc, ut aliquid proxime credi possit.

Confirm. Objectum materiale proximum fidei est illud, quod est informatum & substans objecto formali fidei, id est veracitati divinæ testificanti: atqui objectum necdum revelatum non est ita informatum, nec ita substans veracitati divinæ testificanti: ergo. m. p. Revelatio est conditio quasi uniens & applicans objecto materiali fidei veracitatem divinam tanquam rationem formalem motivam: ergo objectum non revelatum, vel actu non substans revelationi, non est ita informatum per objectum formale fidei.

P. 2. Fidelitas, quæ obligat ad servanda promissa, non obstringit ad servanda ea, quæ tantum promitti possunt, non autem sunt actu promissa: ergo neque fides divina movet ad ea, quæ tantum possunt revelari, non autem sunt actu revelata. Bene quoque observandum est quod objectum etiam revelatum necdum sit objectum proximum fidei, si talis revelatio est dubia, ac de ea non certo constat. Ratio est, quia ad hoc, ut objectum sit proxime credibile, non solum requiritur, illud esse revelatum, sed ejus revelationem nobis etiam esse debite propositam & applicatam.

Ob. 1. Qui negaret verum esse illud, quod Deus revelare po- 669
test, foret hæreticus; atqui hujus unica est ratio, quia illud, quod Deus revelare potest, est objectum materiale fidei, & fide divina credendum: ergo.

℞. N. m. Talis foret hæreticus, quia negaret articulum actu revelatum; actu enim est revelatum, quod Deus revelando non possit

falsum

ſum dicere, conſequenter quod omne a Deo revelabile debeat eſſe verum. Quare hic eſſet hæreticus, quia ſe opponeret revelationi actuali, non autem mere poſſibili.

Ob. 2. Ponamus aliquem, qui intuetur Monachium, & ſimul cognoſcit eſſe evidenter poſſibile, ut exiſtentia Monachii reveletur a Deo. In tali caſu hic haberet actum fidei, ſi eliceret iſtum aſſenſum: *Aſſentio exiſtentiæ Monachii, quia ea eſt revelabilis a Deo veraci in dicendo:* ergo. a. conſtat: hic actus elicitur ex motivo fidei: ergo eſt actus fidei.

℞. N. hunc aſſenſum eſſe actum fidei. Eſt enim actus ſcientificus, & evidenter a poſteriori ex revelabilitate, quæ eſt proprietas omnis entis veri, deducit exiſtentiam urbis Monacenſis.

Ob. 3. Iſte actus eſt fidei: *Credo hoc Myſterium, quia cras eſt revelandum a Deo:* ergo etiam iſte foret actus fidei: *Credo hoc Myſterium, quia revelari poteſt a Deo.*

℞. D. a. ſi per actualem revelationem jam conſtet de revelatione hujus Myſterii cras certo futura c. a. ſi non conſtet per aliam actualem revelationem n. a. adeoque nunquam fides exercetur circa aliquod objectum quod necdum actu eſt revelatum, neque ſub alia ratione aliquid creditur, niſi ſub ea, ſub qua Deus illud revelavit; ſicut nec fidelitas exercetur, dum datur aliquid, quod non eſt actu promiſſum, ſed quod tantum promittetur, aut promitti poteſt. Deinde fides noſtra debet eſſe certa; certa autem eſſe non poſſet, niſi Deus actu revelet ipſam revelationem eſſe futuram aut poſſibilem.

670 Cum ad objectum materiale requiratur, ut ſit illud revelatum, merito quæritur, an illud debeat explicite eſſe revelatum, vel an ſufficiat quod ſit tantum implicite a Deo revelatum?

Implicite revelatum eſt, quod in ſe non eſt explicite & aperte revelatum, ſed involvitur in aliquo explicite & aperte revelato. Talia implicite revelata ſunt omnes partes objecti expreſſe & aperte revelati: & quidem omnes partes eſſentiales phyſicæ ac metaphyſicæ. Sic Humanitatis Chriſti, quæ eſt explicite revelata, partes phyſicæ ſunt Anima & Corpus; metaphyſicæ animalitas & rationalitas. Item ſi explicite revelatum eſt totum quoddam potentiale, & univerſale, tunc implicite revelatæ ſunt partes potentiales, & inferiora illius totius potentialis & univerſalis. Proinde ſi explicite revelatur veritas univerſalis, tunc implicite cenſentur revelatæ omnes veritates partiales contentæ ſub tali univerſali veritate.

Quare dum revelatur explicite veritas hæc univerſalis: *Omnis homo eſt redemptus a Chriſto*, ſunt ſimul implicite revelatæ iſtæ veritates particulares: *Petrus eſt redemptus a Chriſto*, *Paulus eſt redemptus a Chriſto &c.*

Ad *implicite* revelata reducunt aliqui etiam ea, quæ cum revelatis ſunt moraliter, phyſice, aut metaphyſice connexa. Metaphyſice connexa ſunt, quando unum cum altero realiter identificatur, vel ſaltem ita neceſſario conjungitur, ut nec per divinam potentiam unum ſine altero eſſe poſſit. Sic connectitur omnipotentia divina cum Miſericordia divina, prædeſtinatio hominis efficax cum ſalute ejus æterna. *Phyſice* connexa ſunt, quando unum ſine altero poteſt quidem eſſe per divinam potentiam, non tamen naturaliter & ſine miraculo. Sic accidentia Evchariſtica connectuntur phyſice cum pane, ignis cum calore &c. *Moraliter* connexa ſunt ea, quæ naturaliter quidem poſſunt ſeparari, non tamen ſine maxima & quaſi humanitus inſuperabili difficultate. H. N. ſit

§. II.

An implicite revelata ſint objectum materiale fidei divinæ?

Aſſero 1. Si revelatur totum aliquod actuale, tunc eoipſo im- 671
plicite revelantur & proxime ſunt credibiles partes ejus eſſentiales tam metaphyſicæ quam phyſicæ, dummodo ſatis conſtet, quæ & quales ſint partes conſtitutivæ talis totius. Herincx, Henno, Herman. Quare ſi revelatur hunc eſſe verum hominem, etiam implicite revelatur, & eſt proxime credibile, quod ſit animal rationale, quod habeat animam & corpus, &c.

P. Eſſe hominem, & eſſe animal rationale, item eſſe compoſitum ex anima rationali & corpore a parte rei ſunt eadem formaliſſime res, idemque conceptus objectivus: ergo ſi unus ex his revelatur, tunc cenſetur & alius eſſe ſimul revelatus, & ſi unus eſt de fide & proxime credibilis, tunc & alius eſt proxime credibilis.

Confirm. Revelatio afficit rem ipſam, ſeu ſignificatum, non autem ipſas voces, ac terminos, quibus revelatur tale ſignificatum: atqui terminus *homo*, & terminus *animal rationale* a parte rei idem ſigniſi-

gnificant, & idem significatum objectivum important, nempe naturam humanam, licet unus terminus clarius exprimat quam alter: ergo quando revelatur existere hominem, etiam revelatur existere animal rationale.

672 Dixi in conclusione: *Dummodo satis constet quæ & quales sint partes constitutivæ talis totius.* Si enim istæ partes necdum sint notæ, vel si dubitetur ex quibusnam partibus constituatur talis res, tunc non erunt illæ proxime credibiles, neque sunt de fide. Ratio est: quia nihil est proxime credibile fide divina, quod non est proxime revelatum; atqui tales partes quarum existentia est dubia, vel tantum probabilis, non est revelata, etsi sit revelatum totum cujus dicuntur partes esse: ergo. M. patet ex §. præcedente. m. p. illud non censetur esse revelatum quod sine periculo errandi credi non potest, atqui existentia partium prædictarum sine periculo errandi credi non potest, cum ea tantum sit dubia, ergo. M. constat, quia revelatio divina non exponit periculo &c.

Confirm. Deus revelando se se accommodat modo humano loquendi, & intelligentiæ hominum, unde quando Is dicit aliquod objectum, tunc dicit id, prout illud homines veraces dicere solent; atqui quando dubium est, an hic vel ille conceptus alicui rei conveniat, non statim homines veraces volunt pro certo dicere, hunc conceptum tali rei competere, ne alios sic dicendo decipiant, vel in errorem inducant: ergo. M. constat; Deus enim ab hominibus vult intelligi, dum revelat: ergo & modo loquendi & intelligendi humano sese accommodat in revelando. Ex hac confirmatione

673 Deduces 1. Revelatione facta, quod existat hic homo, etiam esse a Deo revelatum, quod existat hoc animal rationale, hoc compositum ex anima rationali & corpore: Ratio est, quia dum homines dicunt dari hominem, dicere volunt, etiam dari animal rationale, vel compositum ex anima rationali & corpore, nam hæc aperte idem sunt, ac termini *animal rationale*, & *compositum ex anima* &c. aperte & clarissime idem significant, quod terminus homo.

Deduces 2. Dum revelatur existere in igne calorem, non statim revelari existere qualitatem igni superadditam disgregantem heterogenea, & congregantem homogenea. Ratio est, quia dubium est, an calor a parte rei sit talis qualitas igni superaddita, & ab eo distincta, disgregans heterogenea & congregans homogenea; adeoque neque

homo,

homo, neque Deus loquens existere calorem censetur simul pro certo affirmare, quod existat qualitas illa &c.

Ob. Si ex eo, quod reveletur aliquem esse hominem, simul revelatur eum esse animal rationale, tunc etiam revelatur vera & genuina definitio hominis; atqui hoc non videtur dicendum: ergo. ℞. D. M. revelatur vera & genuina definitio hominis in actu exercito, seu revelatur id, quod per veram definitionem significatur c. M. revelatur vera definitio hominis in actu signato, dicendo, quod hæc sit genuina definitio hominis n. M. quando revelatur existere hominem, dicitur quidem a parte rei dari animal rationale, non autem simul revelatur, quod hic terminus complexus *animal rationale* habeat omnia requisita ad veram definitionem formalem. 674

Assero 2. Revelata propositione universali regulariter censetur etiam esse revelata propositio particularis evidenter contenta in universali.

P. Veritas universalis nihil aliud est a parte rei, quam omnes veritates particulares sub ea contentæ: ergo si revelatur veritas universalis, etiam censentur revelatæ veritates particulares, sub tali universali contentæ. Adeoque de fide est revelatum: quod *Paulus sit redemptus a Christo, Joannes sit redemptus a Christo* &c. quia revelata est hæc universalis propositio: *omnis homo est redemptus a Christo;* sub qua veritate generali omnes illæ particulares continentur. 675

Dixi in Conclusione: propositio particularis evidenter contenta &c. si enim veritas particularis ita obscure contineretur sub universali, ut nullus intellectus humanus per quamcunque diligentiam adhibitam deprehendere, & certo ac indubitanter cognoscere possit, talem veritatem particularem esse contentam sub universali, & sic una cum universali revelatam, tunc talis veritas particularis non censetur esse a Deo revelata, etsi revelata sit propositio universalis. Ratio est: quia Deus non censetur revelare illas veritates, quæ nemini unquam proxime applicabuntur ad credendum; atqui talis veritas, quæ ita obscure continetur sub propositione universali revelata, nemini unquam proxime applicabitur ad credendum: ergo. M. patet, quia Deus revelat tantum ideo veritates, ut hæ credantur, proinde ut proxime ad credendum applicentur. m. constat: quia revelatio talis veritatis ita contentæ nunquam certo cognoscetur, & consequenter nunquam proxime applicabitur alicui ad credendum.

 Assero

676 Affero 3. Quando revelatur aliquod objectum, tunc fæpe revelantur etiam illa, quæ cum tali objecto revelato funt connexa. P. Quia loquens, dum dicit unum directe & explicite, fæpe intendit faltem indirecte & implicite audientem ducere in cognitionem alterius extremi connexi; & hinc talia figna & verba adhibet, ex quibus etiam connexum fufficienter intelligi poteft: in quo proinde cafu cenfetur etiam illud extremum, quod cum priore eft connexum, etiam effe revelatum, & dicendo manifeftatum: ergo.

Hæc autem revelatio implicita de rebus connexis cum objecto explicite revelato colligi debet tum ex ipfa fignificatione verborum, & fignorum, quibus Deus, dum revelat, utitur; tum ex circumftantiis, in quibus loquitur, & revelat. Quare fi voces ex fua inftitutione funt revelatæ, vel aliam ob rationem confignificare folent faltem indirecte aliquid connexum, tunc & illud connexum cenfetur effe revelatum. Quare dum Deus vel Ecclefia reprobat aliquam propofitionem ut falfam, tunc ejus contradictoria eft vera. Ratio eft, quia in communi modo loquendi, dum aliquam propofitionem effe falfam afferimus, implicite volumus affirmare ejus contradictoriam effe veram. 2. Dum Deus revelat Ifaac effe filium Abrahæ, fimul implicite revelat Abraham effe Patrem Ifaaci. Ratio eft, quia termini Pater & filius funt relativi & fe mutuo ex fua inftitutione fignificant. 3. Dum revelatum fuit Joannem Baptiftam fuiffe hominem, per illud Joan. 1. *Fuit homo miffus a Deo, cui nomen erat Joannes:* fuit implicite quoque revelatum, Joannem habuiffe intellectum, voluntatem, rifibilitatem, & alia, quæ vel metaphyfice funt connexa, vel ab homine fine miraculo abeffe non poffunt. Ratio eft, quia ex communi ufu & acceptatione aliquem effe hominem, idem fignificat, ac eum effe hominem, prout homo a parte rei datur, fcilicet inftructus fuis proprietatibus, potentiis, ac accidentibus, quæ fine miraculo ab homine abeffe non poffunt. Neque Deus, neque homines dum ordinarie loquuntur, fe ad metaphyfications & abftractiones Logicis ufitatas alligant, nec per hominem intelligunt tantum animal rationale, prout illud præfcindit ab omnibus proprietatibus, aut aliis prædicatis, quæ ei non in primo modo dicendi per fe competunt. 4. Dum Deus revelat aliquod objectum, tunc revelat omnia certo & indubitato connexa cum tali objecto, dummodo ei, cui fit revelatio etiam hæc connexio fatis conftet. Ratio eft: quia etiam nos, dum alteri loquimur manifeftando aliquam rem, cum qua alia indubitate & manifefte funt connexa,

etiam

etiam illa connexa censemur revelare & manifestare; sic dum dicimus: hic est in peccato gravi mortuus, implicite censemur dicere: hic est æternum damnatus, quia morti in peccato gravi ex lege Dei nobis indubitate cognita conjungitur æterna damnatio. Quare dum Deus revelat hunc esse hominem, simul hunc revelat esse risibilem; quia risibilitas cum homine est evidenter connexa.

Quæres; qua certitudine debeat esse cognita connexio extremi implicite revelati cum directe, & explicite revelato? R. Sufficit, si hæc connexio sit cognita certitudine morali stricte tali. Ratio est, quia certitudo & evidentia moralis stricte talis sufficiunt ad applicandam revelationem & objectum fidei: cum motiva credibilitatis non habeant aliam evidentiam, quam moralem.

Assero 4. Nihilominus aliquoties dum revelatur aliquod obje- 677
ctum explicite, non statim censentur esse revelata omnia connexa cum tali objecto explicite revelato. P. ex dictis, quia non censentur revelata illa connexa, quorum connexio cum re directe revelata non est cognoscibilis humanitus: sic in Deo directe revelato sunt multa prædicata, quæ non sunt de fide; quia eorum prædicatorum cum Deo connexionem & identitatem non habemus certo & aperte cognitam. Ita quoque in lege veteri non omnibus erat etiam implicite revelata Trinitas Personarum Divinarum; licet iis Deus unus, quocum illa SS. Trinitas identificatur fuerit directe revelatus. Quia hanc identitatem Trium Personarum naturaliter cognoscere non poterant, & divinam revelationem explicitam de ea non habuerunt: ergo. Ex his

Deduces 1. Conclusionem objectivam, seu objectum conclusio- 678
nis, quæ in syllogismo deducitur ex duabus præmissis revelatis, esse *ut plurimum* de fide. Ratio est; quia talis conclusionis objectum ut plurimum est vel implicite vel explicite revelatum: ergo est de fide. A. patet ab exemplis, ut: *Omnis homo est redemptus a Christo; S. Joannes Baptista est homo, ergo S. Joannes Baptista est redemptus a Christo;* ubi Major & minor est explicite revelata, conclusio vero implicite tanquam veritas particularis in Majori contenta. Similia exempla passim sunt obvia.

Deduces 2. Sæpe esse de fide conclusionem deductam ex una præmissa de fide, & altera naturaliter nota, ut in his syllogismis: *Omnis homo est redemptus a Christo: sed Socrates est homo: ergo est redemptus a Christo.* 2. *Omnis homo est animal rationale; atqui Christus est homo: ergo est animal rationale.* Ubi in primo syllogismo minor,

nor, & in altero major eſt tantum naturaliter nota, & tamen concluſio eſt de fide.

Sufficit etiam ad hoc, ut concluſio ſit de fide, dummodo altera præmiſſa, quæ non eſt de fide, ſit ſaltem moraliter evidens. Ratio eſt, quia talis præmiſſa & totus diſcurſus tantum concurrit ad actum fidei tanquam conditio proponens objectum fidei, & revelationem divinam; atqui talis conditio proponens objectum fidei & revelationem divinam, non debet habere evidentiam majorem, quam moralem, ſicut motiva credibilitatis, quæ nobis proponunt & applicant revelationem divinam, tantum ſunt moraliter evidentia: ergo.

Non autem ſufficeret, ſi altera præmiſſa, quæ non eſt de fide tantum foret probabilis, tunc enim non poneret concluſionem qua talem moraliter evidentem, ſed tantum probabilem; adeoque tunc non proponeret ſufficienter revelationem divinam.

Deduces 3. Quod concluſio illata ſive ex duabus præmiſſis de fide, ſive ex una naturaliter nota, & altera de fide, non ſit formalis actus fidei; Ratio hujus dabitur §o ſequenti. Objectione 2.

Deduces 4. Nec ideo talem concluſionem eſſe de fide, quia ea eſt deducta ex præfatis præmiſſis, ſed ideo, quia concluſio taliter deducta eſt ſaltem implicite a Deo revelata. Hinc dum fide divina credo concluſionem objectivam ita illatam, eam non credo ut illatam, ſed ut revelatam a Deo veraci. Ex quo

Deduces 5. Tunc ſolam concluſionem objectivam ſyllogiſmi cujuſcunque eſſe de fide, quando ea eſt vel implicite vel explicite revelata. Ratio hujus eſt: quia ex una parte revelatio actualis ſaltem implicita requiritur ad objectum fidei; ex altera parte diſcurſus ſyllogiſticus ex ſe non poteſt facere, ut hoc objectum ſit revelatum, ſed unice poteſt objectum aliunde jam revelatum applicare, ut credatur: ergo.

§. III.

An fides Divina ſit diſcurſiva?

679 Nota 1. Diſcurſum eſſe orationem, in qua unum ex altero infertur. Quare in diſcurſu unum requiritur tanquam medium illuminans

luminans & movens intellectum ad inferendum alterum. Eſt autem diſcurſus duplex, *unus formalis*, alter *virtualis*. *Formalis* eſt, qui habet tres propoſitiones realiter diſtinctas, ſcilicet majorem, minorem & conſequentiam; vel ſaltem duas, nempe antecedens & conſequentiam. Diſcurſus *virtualis* eſt una ſimplex propoſitio habens tendentiam æquivalentem antecedenti & conſequenti; & datur tunc, dum unico actu aſſentimus objecto antecedentis & conſequentis, & quidem uni propter aliud: ut dum unica hac propoſitione dicimus: *Petrus eſt riſibilis, quia eſt homo.* Non enim implicat intellectum tendere in plura objecta ſubordinata per unicum actum, ſicut & voluntas per unicum actum poteſt amare finem, & media propter finem.

Nota 2. Diſcurſum tam virtualem quam formalem eſſe iterum duplicem. Unus eſt, qui nititur principiis intrinſecis objecti; v. g. iſte: *Deus eſt omnipotens, ſed Pater divinus eſt Deus: ergo Pater divinus eſt omnipotens.* Item iſte virtualis: *Pater eſt omnipotens, quia eſt Deus.* De hoc autem non eſt quæſtio, quia pertinet ad ſcientiam, non ad fidem; innititur enim principiis intrinſecis ſcientificis, non principiis extrinſecis, ſcilicet veracitati divinæ revelanti. *Alter eſt,* in quo concluſio nititur authoritate divina revelante; ut: *Deus eſt omnipotens, quia ita Deus verax revelavit.* Vel: *quidquid Deus revelavit eſt verum: atqui Deus revelavit Incarnationem Verbi divini: ergo Incarnatio Verbi divini eſt vera.* Et de tali diſcurſu quæſtio agitatur.

Nota 3. Non omnem actum fidei ſupernaturalis & divinæ eſſe diſcurſum, nec virtualem quidem. Ratio eſt, quia ſicut in ſcientiis debemus devenire ad aliquod principium primum, quod ex alio non deducitur, ſed in ſe immediate eſt evidens absque aliquo diſcurſu, ita & in fide debet dari aliquod primum credibile, quod non debeat per aliud credi, & ex alio credito deduci, ſecus enim abiremus in infinitum. Tale primum credibile eſt veracitas divina, quæ propter ſeipſam credita movet ad alia credenda, prout §o. ſequenti oſtendetur. Proinde ſicut nullus effectus phyſicus datur ſine prima cauſa phyſica, ita & nullus effectus intentionalis, ſeu nulla concluſio ſine prima cauſa intentionali, ſeu ſine primo principio, cui propter ſe & non propter aliud aſſenſum præſtamus. H. N.

Aſſero:

680 Affero: Fides non eft neceffario formaliter difcurfiva. 2. Poteft tamen effe fic formaliter difcurfiva. Ita ex noftris plures, ut Maftrius, Poncius, Du Pasquier. Contra Henno, Herinex & alios SS.

P. 1. pars ab ipfa experientia; quia fæpe per unum fimplicem actum absque difcurfu formali tendimus in objectum materiale fidei propter ejus motivum formale; e. g. *Credo Deum effe trinum propter veritatem divinam ita revelantem;* vel: *Credo refurrectionem mortuorum, quia Deus verax ita revelavit.* Ubi nullus fit difcurfus formalis: ergo. Dixi: fidem non effe neceffario *formaliter* difcurfivam. Difcurfus enim virtualis plerumque & regulariter adeffe debet in fide, quia regulariter unum creditur propter aliud: adeoque actus fidei tunc æquivalet faltem duplici actui, quorum unus per modum antecedentis oftendit motivum fidei, propter quod creditur, alter vero per modum Conclufionis tendit in objectum credibile propter motivum pro priori figno rationis oftenfum. Nihilominus hæc doctrina accipienda eft cum limitatione pofita in Notando tertio.

681 P. 2. Pars. Poteft aliquis credere objectum illatum in conclufione propter motivum veracitatis divinæ præfuppofitum & relucens in præmiffis: ergo poteft tunc fides effe formaliter difcurfiva. a. p. in fyllogifmo: *Omne quod Deus revelat, eft verum: fed Deus revelat Incarnationem Verbi divini effe peractam; ergo verum eft Incarnationem Verbi divini effe peractam.* Ubi conclufioni affentio, & in ea affirmo peractam effe Incarnationem Verbi divini propter veracitatem Dei ita revelantis, quæ veracitas ita revelans mihi eft oftenfa pro priori per præmiffas præfuppofitas.

P. 2. Voluntas poteft amare unico actu finem, & media propter finem, & poteft etiam amare utrumque duplici actu, v. g. uno finem, & altero media propter finem, uno Deum, & altero proximum propter Deum: ergo & intellectus poteft non folum unico actu credere refurrectionem mortuorum ob revelationem Dei veracis ita revelantis, fed & poteft uno actu affirmare veracitatem Dei, dicendo: *Quidquid Deus revelat eft verum:* & altero revelationem Dei connexam cum refurrectione mortuorum & veracitate divina e. g. fed Deus revelat refurrectionem mortuorum, & tertio tandem actu ipfi refurrectioni mortuorum affentiri propter motivum Dei veracis ita revelantis in prioribus actibus oftenfum: ergo.

Confirm. 1. Quamvis objectum materiale & formale fidei inter fe connectantur, habent tamen diverfas & fibi proprias cognofcibilita-

bilitates: ergo poſſunt etiam diverſis actibus attingi, ſubordinatis tamen.

Confirm. 2. Ideo hic actus ſimplex: *Credo reſurrectionem mortuorum propter Dei veracitatem ita revelantem*, eſt actus fidei, quia reſurrectio mortuorum creditur propter motivum fidei: ergo & concluſio illa mox allata & deducta ex duabus præmiſſis erit actus fidei, quia & illa credit reſurrectionem mortuorum propter veracitatem divinam ita revelantem.

P. 3. Si fides divina non poſſet eſſe formaliter diſcurſiva, tunc ideo; quia actus fidei diſcurſivus deberet neceſſario ſimul pro motivo ſuo reſpicere bonitatem conſequentiæ, & principia ſyllogiſtica: atqui actus fidei diſcurſivus non debet neceſſario pro motivo reſpicere bonitatem conſequentiæ & principia ſyllogiſtica; imo actus fidei diſcurſivus non habet aliud nec inadæquatum motivum, quam actus fidei non diſcurſivus: ergo. M. eſt AAorum Achilles, m. ex ſolutione objectionum abunde declarabitur. Quare

Ob. 1. Si fides formaliter eſt diſcurſiva, tunc non ſolum nititur 682
veracitate divina revelante, ſed & veritate naturali; atqui ſequela non poteſt ſuſtineri, cum objectum fidei motivum non poſſit eſſe aliqua veritas naturalis: ergo. M.p. ſi fides eſt diſcurſiva, tunc nititur bonitate conſequentiæ, & principiis naturalibus ſyllogiſticis v. g. *quæcunque ſunt eadem uni tertio* &c. *dictum de omni, dictum de nullo* &c. ergo.

℞. 1. Ad hunc Achillem AAorum Retorq. in diſcurſum virtualem, quem aliqui in actu fidei admittunt; nam & diſcurſus virtualis innititur bonitati conſequentiæ & connexioni inter objectum antecedentis & conſequentis.

℞. 2. D..M. ſi fides eſt formaliter diſcurſiva, tunc nititur & veritate naturali tanquam conditione applicante motivum fidei c. M. tanquam ipſo motivo fidei n. M. ſicut cognitio, qua bonitas alicujus objecti cognoſcitur, non movet formaliter ad actum amoris illius objecti, ſed tantum eſt conditio applicans motivum amoris ſcilicet bonitatem: ita & cognitio bonitatis conſequentiæ, ac principia, quibus nititur artificium ſyllogiſticum, ſunt tantum conditio applicans motivum fidei ſcilicet veracitatem divinam revelantem.

Dices: Diſcurſus quicunque innititur bonitati conſequentiæ, & principiis ſyllogiſticis: ergo & diſcurſus ille, quo elicitur fides. ℞.D.a. diſcurſus quicunque innititur bonitati conſequentiæ formalis n. a. bo-

nitati consequentiæ objectivæ, quæ est ipsa connexio objectiva objecti antecedentis & consequentis c. a. & d. c. ergo & discursus ille, quo elicitur fides innititur bonitati consequentiæ formalis n. c. bonitati consequentiæ & connexionis objectivæ, quæ est ipsa divina veracitas revelans connexa cum articulo & objecto revelato c. c.

683 Dixi superius immediate ante n. 652. quod bonitas consequentiæ formalis illatæ secundum regulas & principia logicæ artificialis non sit motivum conclusionis scientificæ, sed ipsa connexio & consequentia objectiva. Et re vera experientia testatur, & logica docet, quod in rebus obviis possit etiam aliquis formare perfecte scientificum discursum sine reflexione ad regulas & principia logicæ artificialis attendendo unice ad connexionem & consequentiam objectivam. Hac ipsa de causa potest actus fidei esse perfecte discursivus etsi non attendat ad principia & regulas Logicæ artificialis, dummodo attendat ad illam ipsam Connexionem & consequentiam objectivam, ad quam & ipsa fides non discursiva juxta AArios attendere debet; videlicet ad veracitatem Dei revelantem, ut connexam cum objecto revelato. Ex quo

Colligis manifeste, fidem discursivam a parte rei non habere aliud nec inadæquatum objectum motivum, quam fidem discursivam, utraque enim respicit Primam Veritatem revelantem ut connexam cum aliquo articulo per eam revelato.

Instabis: Connexio illa objectiva, qua nititur actus fidei discursivus, ostenditur per lumen naturale: ergo actus fidei discursivus nititur lumine naturali.

℟. 1. Indirecte. Argumentum hoc premit ipsos AArios; nam & ipsorum fides non discursiva necessario fundatur in hac connexione & consequentia objectiva.

℟. 2. N. a. hæc enim connexio objectiva ostenditur per illustrationem supernaturalem, & gratiam actualem, quæ concurrere debet ad quemvis actum fidei, seu discursivum, seu non discursivum. Proinde sicut notitia connexionis objectivæ in discursu supernaturali fidei ad illustrationem divinam & lumen supernaturale spectat. Hoc autem lumen supernaturale non solum ostendit veracitatem divinam revelantem, objectum revelatum, sed & connexionem utriusque.

684 Ob. 2. Juxta nos non posset dari discrimen inter actum fidei & conclusionem theologicam: atqui hoc debet posse dari: ergo. M. patet, actus enim fidei juxta nos æque esset per discursum illatus, sicut conclu-

conclusio theologica. m. constat, quia conclusio theologica ut talis, non est de fide.

℞. N. M. nam magna est differentia inter conclusionem theologicam, & actum fidei. *Primo* enim conclusio theologica necessario exigit esse deducta & illata; atqui actus fidei id non exigit necessario: potest enim actus fidei dari, quin sit deductus & illatus per discursum, ut in notandis est ostensum. 2. Conclusio theologica potest etiam niti evidentia naturali alterius præmissæ, & non sola Authoritate divina, ut in hoc syllogismo: *Omnis homo est risibilis: Christus est homo: ergo est risibilis.* Ubi major nunc est evidens, discursus autem fidei divinæ & supernaturalis nullam admittit præmissam ut naturaliter evidentem; ut ex §o. sequenti colligetur. 3. Fides discursiva pro immediato objecto solum respicit Authoritatem & testimonium Dei veracis, non sic conclusio theologica. Hæc enim sæpius pro motivo proximo habet identitatem & connexionem objectorum materialium fidei, & remote solum respicit veracitatem ac revelationem divinam. Uti contingit in hoc syllogismo: *Omnis homo est redemptus a Christo, sed Joannes Baptista est homo: ergo est redemptus a Christo.* Ubi conclusio est theologica, cujus motivum immediatum non est veracitas divina revelans, sed sunt ipsa objecta materialia fidei, & veritates jam prius creditæ, nempe istæ: omnis homo est redemptus a Christo, Joannes Baptista est homo. Ratio hujus est: quia illud est objectum immediatum conclusionis, quod fuit positum in præmissis: atqui in præmissis præfati discursus theologici non fuit posita veracitas divina revelans, bene autem istæ veritates & propositiones: *Omnis homo est redemptus a Christo, & Joannes Baptista est homo:* ergo. Ex his

Colligis 1. Actum fidei tantum inferri ex iis præmissis, quæ affirmant immediate veritatem, & revelationem divinam: ut contingit in hoc syllogismo: *Si Deus infinite verax aliquid revelat, tunc illud est infallibiliter verum: atqui Deus revelat Incarnationem Verbi Divini:* ergo. 685

Colligis 2. Conclusionem illam theologicam; *Ergo Joannes Baptista est redemptus a Christo*, esse quidem objectum materiale fidei, & posse per alium actum credi; non autem ipsam conclusionem formalem ex præfatis præmissis deductam esse actum fidei, quia non nititur immediate revelatione, ac Authoritate divina, sed objectis materialibus fidei, eorumque inter se connexione vel Identitate.

Dices: Conclufio in mox allato fyllogyfmo, faltem mediate nititur teftimonio divino: ergo ea conclufio adhuc foret actus fidei, fi fides poffit effe difcurfiva. ℞. N. c. Actus enim virtutum fpecificantur motivis proximis non remotis; cum ergo conclufio theologica non debeat niti immediate, & proxime teftimonio Dei, fatis diftinguitur ab actu fidei.

686 Ob. 3. Juxta nos, qui conceffis præmiffis in fyllogismo negaret confequentiam, effet hæreticus; atqui hoc non videtur dicendum: ergo. ℞. D. M. Si negaret tantum confequentiam formalem, & bonitatem fyllogifmi artificialem n. M. fi negaret confequentiam objectivam c. M.

Ob. 4. PP. nolunt argumentationes, & ratiocinationes in fide: ergo. ℞. D. a. Nolunt argumentationes naturales & fcientificas ex principiis rerum intrinfecis c. a. nolunt argumentationes ex principiis & motivo fidei n. a.

Ob. 5. Lumen fidei æque immediate inclinat in omnia fidei objecta, non autem in unum propter aliud: ergo fides non erit difcurfiva, nec inferet unum propter aliud. ℞. N. a. Nam lumen fidei inclinat in veracitatem Dei tanquam principium & motivum, propter quod reliqua objecta revelata credi debeant: ergo inclinat in veracitatem & Authoritatem Dei tanquam aliquid prius.

Ob. 6. Oculus videt eadem fimplici vifione colorem & lumen, quod eft ratio motiva videndi colorem: ergo & fides tendit uno fimplici actu in rem revelatam, & veracitatem divinam: adeoque fides non difcurrit ab uno actu ad alium.

℞. N. c. & paritatem; vifio enim eft actus potentiæ vifivæ, cui competit tantum fimplex & materialis apprehenfio non autem difcurfus; adeoque non poteft unum actum ex alio inferre. Econtra actus fidei eft actus intellectus, cui non folum competit apprehenfio, fed & difcurfus &c. ergo.

Ob. 7. Si fides effet difcurfiva, tunc duplex deberet dari habitus fidei, unus, qui influeret in præmiffas, alter in conclufionem; fequela non admittitur: ergo. p. M. in fcientiis naturalibus datur duplex habitus, unus propofitionum, qui influit in præmiffas, & alter conclufionum: ergo a pari.

℞. N. M. ad prob. n. c. magna enim eft difparitas inter habitus acquifitos naturales, & inter habitus infufos fupernaturales. 1. Enim habitus acquifiti generantur ex actibus frequentatis, & hinc

quando actus frequentati sunt diversi, etiam generantur habitus diversi: ergo & habitus ex præmissis & conclusionibus generati sunt diversi. Econtra habitus infusi supernaturales non sunt generati ex frequentatis actibus, & habent per se modum potentiarum supernaturalium; hinc etiam habent majorem activitatis Sphæram, quam habitus acquisiti. Potentiæ enim possunt se sæpe ad specie distinctos & dissimiles actus extendere, uti intellectus & voluntas: non autem habitus acquisiti, qui tantum inclinant ad actus similes iis, a quibus sunt generati. 2. In syllogismo scientifico diversa sunt motiva quibus attinguntur præmissæ, & conclusiones. Assentimus enim præmissis propter se, & propter suam evidentiam ex terminis notam: conclusioni autem assentimus propter connexionem quam habet cum præmissis; adeoque duplex debet dari habitus propter duo diversa motiva. Econtra in discursu fidei Authoritas divina est unicum, & adæquatum motivum assensus tam præmissarum, quam conclusionis: ergo in discursu fidei unus pariter est habitus respectu assensus tam præmissarum, quam conclusionis.

Ob. 8. Fides quam Angeli habent in via, & fides nostra sunt ejusdem rationis: atqui fides illa in Angelis non potuit esse formaliter discursiva: ergo neque nostra potest esse discursiva. m. p. Angeli non sunt capaces discursus: ergo. ℞. 1. n. m. nam & in Angelis potest & potuit esse discursus formalis & præsertim circa objecta supernaturalia, quorum cum essent in via adhuc, proprias species non habebant.

℞. 2. Ex hoc tantum sequi, quod fides non sit necessario formaliter discursiva, & quandoque possit esse sine formali discursu; quod & nos dicimus. Cæterum Angelorum fides fuit saltem virtualiter discursiva.

Ob. 9. Actus fidei debet esse liber, quia est meritorius: atqui conclusio concessis præmissis non est libera, sed necessaria ut logica docet: ergo actus fidei non potest esse conclusio. ℞. D. M. debet esse liber saltem mediate c. M. immediate n. M. Conclusio in actu fidei discursivo est libera mediate, in quantum quis libere assentitur præmissis, ex quarum concessione & assensu necessario sequitur conclusio. Et hæc libertas mediata est sufficiens ad meritum. Ex quo

Colligis: quod illa pia mentis affectio, quæ immediate imperat affenfum præmiffarum, mediate etiam imperet affenfum conclufionis neceffario connexum cum affenfu præmiffarum.

Ob. 10. In difcurfu præmiffæ debent effe certiores conclufione, atqui in difcurfu fidei præmiffæ non effent certiores conclufione; ergo difcurfus fidei non datur. M. docetur in logica. m. p. vel præmiffæ in difcurfu fidei effent etiam actus fidei, vel non effent actus fidei? fi effent actus fidei, tunc conclufio non poffet effe certior altero, cum omnes fidei actus eodem, & æqualiter certo motivo nitantur. Si non effent actus fidei, tunc præmiffæ forent cognitiones naturales ex motivo naturali, & fic effent minus certæ, quam conclufio: quia conclufio foret actus fidei, atqui actus fidei eft certior quavis cognitione naturali.

℞. D. M. Debent effe certiores, id eft debent effe prius notæ ac magis immediate quam conclufio c. M. debent femper habere majorem firmitatem & certitudinem fubd. in difcurfu naturali tr. M. in difcurfu fupernaturali fidei n. M. In difcurfu fidei præmiffæ non funt certiores conclufione, nec conclufio præmiffis, ut Scotus ad finem hujus §. citandus advertit; fed funt ejusdem certitudinis, quia eidem motivo veracitatis divinæ innituntur. In hoc tamen differentia eft aliqua, quod objectum motivum fidei in præmiffis immediate & propter fe attingatur; in conclufione vero objectum materiale fidei primum inferatur propter motivum fidei in præmiffis prius affirmatum. Ita quoque actus fidei non difcurfivus immediate & prius, faltem fecundum modum noftrum intelligendi, tendit in veracitatem divinam tanquam motivum fidei, & mediate propter eandem veracitatem affirmat objectum materiale, ac Myfterium, quod creditur. Ex his

Deduces, quod in difcurfu fidei antecedens proponens motivum fidei debeat etiam effe actus fidei, & veracitas divina debeat affirmari affenfu fidei fupernaturali, ut inde poffit gigni alius actus fidei fupernaturalis, nempe conclufio inde illata; Ratio eft, quia veracitas divina ut eft objectum formale fidei, non poteft illo affenfu naturali & minus certo affirmari, quam objectum materiale. Etenim propter unum quodque tale, & illud magis tale. Verum de hoc artic. feq.

687 Pro aliis objectionibus folvendis Nota 1. non omnem difcurfum niti Identitate duorum extremorum inter fe. Nam 1. paffim inter difcurfus faltem latius dictos recenfentur converfiones & confequentiæ

tiæ puræ, ut: *nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo.* item: *omnis homo currit; ergo aliquis homo currit.* Et tamen nulla ex his illationibus dicit in antecedente seu formaliter, seu virtualiter Identitatem duorum in tertio. Neque omnis syllogismus eidem identitati innititur, ut patet in syllogismis disjunctivis, & conditionatis; ut: *lapis vel est substantia inanimata, vel animata: atqui non est substantia animata; ergo est inanimata.* Item: *si sol lucet dies est, sol lucet: ergo dies est.* Hi ergo syllogismi & similes illationes unice fundantur in connexione necessaria antecedentis cum consequenti, quam habent objecta a parte rei.

Nota 2. Syllogismum illum: *quidquid Deus* revelat est verum: sed Deus revelat Incarnationem: ergo &c. pariter unice niti in connexione objectiva, & æquivalere huic syllogismo conditionato: *si divina veritas revelat Incarnationem, tunc ea vere datur; atqui divina veritas revelat Incarnationem: ergo ea vere datur.*

Nota 3. Conclusionem in mox dicto syllogismo ut illatam esse actum fidei, dummodo 1. pro immediato motivo respiciat veracitatem divinam revelantem, in præmissis propositam; dummodo 2. veracitas divina in præmissis fuerit fide divina supernaturali credita, & consequenter lumine supernaturali ostensa & cognita.

Nota 4. Actum fidei, qui est conclusio deducta, specie distingui ab aliis actibus fidei, qui non sunt sic deducti. Ratio est, quia actus illatus exigit pro causa sua physica, vel pro necessaria dispositione præmissas, & alium actum fidei. Econtra actus non illatus, non necessario exigit alium actum prævium. Neque hoc obest fidei supernaturali: quia plures specie distinctos actus fidei de facto dari, mihi certum est.

Nota 5. Præmissas formales in discursu fidei respectu conclusionis esse quidem aliquam causam efficientem, vel certe aliquam conditionem, non autem esse motivum conclusionis. Sicut & intellectus est causa efficiens actus fidei, non autem est ejus motivum.

Nota 6. Scotum nostræ senteniæ favere. 3. d. 24. q. *unica §. ad propositum.* ℣. *respondeo.* Ubi negat quidem discursum in fide talem, qui ex intrinsecis rei principiis scientifice deducitur; admittit autem ex opposito alium discursum, qui pro motivo habet Authoritatem dicentis; ubi dicit: præmissas & conclusionem esse paris firmitatis & certitudinis ac inniti unice Authoritati dicentis. Nec actum fidei habere majorem firmitatem intra discursum formalem, quam extra

extra illum; quia utrobique eodem teftimonio dicentis nititur. Et hoc eft illud ipfum, quod nos dicimus. videatur etiam q. 5. prol. art. 3.

Articulus IV.

An etiam Veritas & Revelatio divina ad objectum materiale fidei divinæ fpectet, & credi poffit, ac debeat?

688 Nota 1. Certum effe divinam veracitatem poffe fide divina credi: ea enim fatis aperte in S. Scriptura eft revelata, ut conftat ex fupra dictis. Similiter fide fupernaturali credi poteft revelatio, quando ea expreffe & explicite eft revelata. Prout ea revelatur Matthæi 8. ubi dicitur: *ut adimpleretur quod dictum eft per Ifaiam Prophetam dicentem: Ipfe infirmitates noftras accepit, & ægrotationes noftras portavit;* hoc enim in textu Deus explicite revelat illam revelationem effe factam per Ifaiam.

Nota 2. Duplex tantum reftare dubium. 1. Eft, an veracitas & revelatio divina credi poffent fide fupernaturali, etfi nec revelatio, nec veracitas divina effent explicite & reflexe revelatæ, confequenter an revelatio & veracitas divina femper cenfeantur fimul implicite revelari, quando aliquis articulus fidei explicite revelatur. v. g. utrum Deus expreffe revelando Incarnationem Verbi Divini, refurrectionem mortuorum &c. fimul implicite revelet & dicat, fe hos articulos revelare, & fe in iis revelandis effe veracem? 2dum eft, an poffit credi aliquis articulus propter veracitatem divinam revelantem, quin fimul fide divina credatur, & affirmetur veracitas ac revelatio divina. H. N.

689 Affero 1. Quando creditur aliquod Myfterium, poffunt etiam fide divina credi Revelatio, ac veracitas divina, pofito etiam cafu, quod aliunde non effent explicite & reflexe revelatæ. Adeoque dum aliquod Myfterium revelatur explicite, fimul implicite cenfentur revelari Revelatio & Veracitas divina. Hermann & alii.

P. Quandocunque Deus revelat aliquem articulum, fimul exercite & implicite revelat fe effe primam veritatem infallibilem, & fe revelare hunc articulum: ergo tunc veritas divina & revelatio fupernaturaliter

raliter credi poſſunt; ſunt enim ſufficienter ſaltem exercite & implicite revelatæ. a. p. quandocunque Deus revelat aliquem articulum, tunc ſimul intendit obligare ad articulum illum infallibiliter credendum; atqui non poſſet obligare ad infallibiliter credendum illum articulum, niſi ſimul manifeſtaret, ſe eſſe primam, & infallibilem veritatem, & ſe dicere hunc articulum, alioquin enim non mereretur fidem firmiſſimam: unde non poſſet nos obligare ad credendum fide firmiſſima: ergo.

Confirm. Qui aliquid mihi teſtatur, volens me prudenter obligare ad ipſi infallibiliter credendum, ſimul implicite & exercite teſtatur ſe hoc dicere, & cum veritate dicere: adeoque exercite ſimul mihi teſtatur ſuam locutionem & veritatem: ergo idem a pari de locutione & revelatione, ac veracitate divina dicendum eſt, dum Deus revelat aliquid obligans ad infallibiliter ipſi dicenti credendum.

Confirm. 2. Eſſet hæreticus qui negaret revelationem eſſe factam v. g. de reſurrectione mortuorum, poſito etiam quod revelatio hæc non ſit reflexe revelata & manifeſtata a Deo; atqui hujus nulla alia eſt cauſa, quam iſta, quia ſcilicet talis revelatio ſaltem implicite eſt revelata tunc, dum revelabatur e. g. reſurrectio mortuorum.

Ob. 1. Si Veritas divina poteſt credi, tunc debet credi pro- 690
pter aliam veritatem: atqui tali modo fieret proceſſus in infinitum, qui non poteſt admitti: ergo.

℞. N. M. Univerſim enim objectum formale, quod determinat ad cognoſcenda vel amanda alia objecta non indiget alia diſtincta ratione formali & motiva, ſed propter ſe & in ſe debet attingi. Ita propter bonitatem Dei diligimus proximum, bonitas vero Dei propter ſeipſam diligitur. Propter ſanitatem amatur medicina, ſanitas autem propter ſeipſam. Lumen eſt ratio non ſolum cur colores videam, ſed etiam cur ipſum lumen percipiam: ergo pariter veracitas Dei, cum ſit id, propter quod creduntur Myſteria revelata, non indiget alio objecto formali, ſed propter ſe, & in ſe debet & poteſt credi. Hinc dicitur veracitas divina credi *per modum principii;* quia ejus exiſtentia affirmatur propter ſeipſam independenter ab alio motivo, ſicut in ſcientiis naturalibus prima principia propter ſeipſa affirmantur, nec ex alio principio deducuntur aut inferuntur.

Ob. 2. Si aliquis dormit me ſpectante, non dicit mihi exercite; *ego dormio:* ergo ſi quis aliquid revelet, non dicit exercite ſimul:

ego revelo, ego loquor: ergo revelatio exercite non censetur revelari, dum aliud Mysterium revelatur.

℞. N. c. & parit. Somnus enim non est signum locutivum, ordinatum ad manifestandum objectum & mentem loquentis; contra revelatio est signum locutivum, quod poni potest ex intentione obligandi audientem non solum ad credendum objectum revelatum, sed etiam ad credendam revelationem.

591 Assero 2. Dum nos actum fidei divinae circa quodcunque Mysterium elicimus, debemus simul credere eadem fide divina veracitatem divinam. 2. Et Revelationem talis Mysterii a Deo factam. Hermann quoad primam partem. Viva & alii quoad secundam.

P. 1. Pars. Veritas prima & infallibilis Dei debet cognosci, dum elicitur actus quicunque fidei nostræ, sed non potest cognosci per aliam cognitionem quam per fidem supernaturalem, ergo. M. est certa: quia nullum objectum formale movet intellectum ad assensum aliquem, nisi illud sit cognitum. m. prob. Illa alia cognitio per quam percipi deberet veracitas Dei vel esset cognitio supernaturalis & quidem evidens, vel esset scientia naturalis, qua demonstramus in Deo dari veracitatem divinam. *Si primum*, tunc in via secundum cursum ordinarium, de quo procedit conclusio, non datur evidentia supernaturalis ostendens nobis clare veracitatem divinam.

Si *secundum:* tunc simplices & rudes, qui non possunt demonstrare veracitatem divinam, non haberent fidem; quod falsum est. Præterea motivum fidei non potest esse cognitum minus certo, quam est ipse assensus fidei; atqui si veracitas divina tantum esset cognita per scientiam naturalem, esset minus certo cognita, quam esset ipse assensus fidei: ergo. m. constat, quia certitudo naturalis etiam metaphysica est longe minor & imperfectior, quam est certitudo fidei, ut suo tempore declarabitur. M. p. Certitudo enim assensus fidei petitur ex certitudine motivi: adeoque certitudo motivi non potest esse minor, quam est firmitas & certitudo ipsius fidei. Siquidem implicat, ut principia sint minus certa quam conclusio; & repugnat, ut summa certitudo fidei fundetur in certitudine longe imperfectiore.

P. etiam 2. m. Ad hoc, ut certo & infallibiliter propter veracitatem divinam possim affirmare hoc Mysterium ut verum, debet etiam mihi esse infallibiliter certa connexio inter veracitatem divinam

&

& tale Myſterium; atqui hæc connexio eſt ipſa revelatio divina applicans & connectens veracitatem divinam Myſterio revelato; ergo.

Confirm. Si nullo modo cognita eſt revelatio alicujus Myſterii, nullo modo illud credere poſſum propter veracitatem divinam revelantem, ut per ſe claret: ergo ſi revelatio non eſt cognita cognitione certiſſima & firmiſſima, qualis eſt actus fidei, neque Myſterium revelatum poſſum credere fide divina certiſſima & firmiſſima. Ex quo tamen

Non ſequitur Revelationem eſſe objectum partiale motivum fidei, ſed ſolum ſequitur, eam eſſe conditionem talem, qua non debite cognita veracitas divina non poteſt movere ad aſſenſum fidei ſupernaturalis. Sicut & ipſa cognitio veracitatis divinæ, quæ pariter debet eſſe actus fidei, eſt tantum mera conditio applicans objectum motivum, non autem eſt partiale motivum fidei.

Objic. Ridiculum videtur: aliquem hominem credere eſſe veracem, quia ipſe ſe dicit veracem: ergo ridiculum eſt credere Deum eſſe veracem, quia ipſe ſe dicit & revelat ſe eſſe veracem: ergo veracitas Dei debet eſſe aliunde nota nempe naturaliter.

℞. N. c. & parit. Non eſt par ratio Dei ſe veracem atteſtantis, & hominis, qui hoc ipſum de ſe teſtatur. Homo enim eſt fallibilis, nec veracitatem ſuam tot tantisque ſignis & motivis credibilitatis manifeſtam facit, ſicut Deus.

Attendas nihilominus ſigna credibilitatis, eorumque cognitio- 692
nem utpote naturalem eſſe meram conditionem prævia, quæ voluntatem una cum gratia divina illuſtrante & excitante impellit, ut illa imperet aſſenſum fidei ſupernaturalem ex motivo ejusdem fidei. Per hoc imperium voluntatis impulſus intellectus primum elicit aſſenſum fidei divinæ, & magis firmum & certum, quam quævis ſcientia naturalis eſt. Hujus autem actus certiſſimi motivum non ſunt ſigna credibilitatis, ſed ipſa veracitas divina pariter ſupernaturaliter credita. Motiva autem credibilitatis erant tantum conditio & ratio impellens, non autem proxime influens, aut movens.

Quod autem voluntas poſitis ſignis credibilitatis impellentibus poſſit imperare aſſenſum fidei firmiſſimum, & longe firmiorem, quam merentur illa ſigna credibilitatis, patet ex propoſitione 19. damnata ab Innoc. XI. quæ dicit: *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

693 Ad finem hujus dissertationis: Quæres, quænam sit regula fidei.

Per regulam fidei intelligimus eam, per quam certo & infallibiliter dignoscuntur credenda, a non credendis, & infallibiliter nobis proponitur & applicatur doctrina fidei. Hæc igitur regula est applicatio & propositio objectorum fidei. Ad regulam autem istam & applicationem fidei requiritur 1. ut sit infallibilis, secus enim non posset infallibiliter applicare credenda. 2. Ut sit universalis respectu totius Ecclesiæ. Hinc aliquis homo privatus proponens & applicans alicui articulos fidei, non est regula fidei.

Numerantur plerumque quinque similes universales regulæ fidei, duæ mortuæ, ut S. Scriptura, & traditio, tres vivæ, ut Ecclesia, Concilium œcumenicum, & S. Pontifex definiens. Quamquam S. Scriptura aut traditio se solis non sint regulæ fidei, sed juncta explicatione & applicatione Ecclesiæ, sub qua comprehenditur Concilium, & S. Pontifex: adeoque tres ultimæ regulæ possunt reduci ad unam, scilicet ad Ecclesiam vel per se vel per Concilium, vel per suum caput loquentem.

De his regulis jam satis superque est actum integro tomo primo, seu in Prolegomenis theologiæ, adeo, ut nihil videatur restare dicendum. Qua de re ibi videatur.

Articulus. VI.

An sit de fide Modernum Pontificem Clementem XIII. esse verum Christi Vicarium, ac Universalem totius Ecclesiæ Pastorem?

694 Nota 1. Non esse quæstionem sub conditione tantum, an videlicet de fide sit Clementem XIII. esse verum Vicarium Christi, *si omnia requisita ad Summum Pontificatum habeat.* Hoc enim nunquam controversum inter Catholicos fuit.

Nota 2. Neque controverti de Pontifice nondum ab Ecclesia universali acceptato, sicut potest contingere tempore Schismatis, tunc enim potest dubium esse, & sæpe fuit, an hic vel ille sit verus Papa. Quæstio ergo est de Pontifice acceptato ab universali Ecclesia.

Nota 3.

Nota 3. Quod duplex Electio S. Pontificis ſpectari poſſit. Prima fit de facto per Cardinales: altera fit per univerſalem Eccleſiam, dum a Cardinalibus electus acceptatur, & agnoſcitur pro Papa, a tota vel fere tota Eccleſia. Acceptatur autem tunc, dum nemo contradicit electioni factæ, vel tantum pauci, & quidem tam levis Authoritatis, ut prudenter dubitari nequeat, quin Papa ille electus a reliquis omnibus fidelibus ſit approbandus, & agnoſcendus.

Nota 4. Hanc acceptationem univerſæ Eccleſiæ eſſe ſecundam electionem, ac ſupplere & ſanare defectus omnes juris humani, qui in prima electione facta a Cardinalibus intervenire potuerunt, vel actu intervenerunt. Quare nihil obeſſet, etſi prima electio moderni Pontificis invalida fuiſſet, propter defectum aliquem juris humani vel Eccleſiaſtici; ſufficeret enim electio ſecunda ſeu acceptatio Eccleſiæ, quæ non eſt irritabilis jure humano ſeu per Canones.

Nota 5. Hanc ſecundam electionem, approbationem, acceptationem univerſalem S. Pontificis eſſe ipſam declarationem, qua Eccleſia univerſalis declarat, & proponit hunc in individuo hominem eſſe verum Chriſti Vicarium, ſucceſſorem Petri, ac Paſtorem omnium fidelium. H. N.

Aſſero. Eſt de fide hunc in individuo hominem acceptatum ab 695
univerſali Eccleſia v. g. nunc SS. D. Clementem XIII. eſſe verum S. Pontificem, & Vicarium Chriſti. ita communiſſima Th. Th.

P. 1. Ex Decreto Martini V. in Concilio Conſtantienſi, in quo præcipitur, ut ſuſpecti de hæreſi interrogentur, an credant, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit (expreſſo ejus nomine) ſit Petri Succeſſor habens ſupremam Authoritatem in Eccleſia: ergo ibi decernit Martinus V. & Concilium Conſtantienſe, quod Papa Canonice electus, pro tempore exiſtens v. g. nunc Clemens XIII. ſit verus Succeſſor Petri, & univerſalis Paſtor Chriſtianorum; ad quid enim exprimi deberet ipſius pro tempore exiſtentis v. g. Clementis XIII. nomen, niſi hic in individuo homo credendus eſſet Succeſſor Petri, ac Vicarius Chriſti ſuprema fulgens poteſtate in Eccleſia?

Reſpondebis 1. Eo tempore, quo edidit Martinus V. Bullam citatam, necdum fuit a tota Eccleſia acceptatus: adeoque ejus conſtitutio tunc facta nil valet. Contra eſt, quamvis tunc non ſtatim fuerit acceptatus a tota Eccleſia, fuit tamen acceptatus paulo poſt: ex quo ſaltem tempore ſuum plenum valorem obtinuit Bulla illa, cujus initium eſt: *inter cunctas Paſtoralis ſollicitudinis curas.*

 Reſpon-

Respondebis 2. Pontificum decisiones in hac quæstione nil habent roboris, utpote factæ in causa propria, & ad amplificandam præeminentiam propriam, cum tamen nemo possit esse Judex in propria causa. *L. Unica C. ne quis in sua causa.*

Contra est: Supremi Principes qui Superiorem non agnoscunt, possunt etiam ferre sententiam in propria causa; atqui Summus Pontifex est Princeps Supremus Ecclesiæ: ergo. Imo & inferiores Judices possunt quandoque judicare in propria causa, nempe possunt decidere, num sua sit Jurisdictio. L. 5. ff. de Judiciis; ibi: *Prætoris est enim æstimare, an sua sit Jurisdictio:* ergo a fortiori quandoque in propria causa sententiam ferre potest Judex Supremus.

Contra est 2. Pontifices Romani quando de se ac sua Authoritate pronuntiant ac judicant, non tam judicant in causa propria, quam in causa Christi, cujus sunt Vicarii.

696 P. 2. Hæc propositio universalis est de fide, & a Deo revelata: *Omnis homo legitime electus in Papam est Successor Petri & Vicarius Christi:* ergo & ista propositio particularis est de fide, & saltem est implicite revelata: *Hic homo legitime electus in Papam est Vicarius Christi.* A. a nemine fidelium negatur, & est definitum dudum a pluribus Conciliis Nicæno, Constantiensi, Florentino &c. c. prob. tum ex dictis n. 671. Tum quia hæc particularis propositio tanquam pars continetur in illa universali: tum, quia Deus Propositionem illam universalem in antecedenti adductam tantum revelavit in hunc finem, ut quemvis Papam in particulari, si Is legitime est electus & acceptatus, crederemus esse Vicarium Christi & Successorem Petri.

Respondebis: non certo constare, quod Clemens XIII. sit legitime electus & acceptatus. Sed

Contra est: Ecclesia universa Clementem XIII. acceptavit, agnovit, & declaravit tanquam verum Vicarium Christi legitime electum, ac ut Pastorem universalem; Huic enim tota Ecclesia absque contradictione per plures jam annos obedivit, & obedit etiamnum: ergo de fide est Clementem XIII. esse verum Vicarium Christi. c. constat: Ecclesia enim quæ est columna & firmamentum veritatis errare non potest in rebus pertinentibus ad fidem & religionem, præsertim in acceptando & detinendo Summo Capite & universali Pastore, qui debet esse fundamentum & regula fidei, ac morum, ac Supremus

Judex

Judex omnium controversiarum, quæ circa articulos fidei contingere possent.

Respondebis: Ecclesia dum acceptat, & approbat Pontificem, est sine Capite, adeoque non est infallibilis.

Contra est 1. Ecclesia etiam sine Capite & Summo Pastore existens, habet a Christo Potestatem sibi de capite certo providendi: ergo quoad hanc provisionem etiam habet infallibilitatem, nec errare potest.

Contra est 2. Ipse Papa electus judicat se verum esse Successorem Petri &c. dum consentit in suam electionem & Papatum acceptat, prout acceptavit Modernus: ergo Ecclesia una cum Capite seu Summo Pontifice determinat & declarat hunc hominem esse Successorem Petri &c.

Confirm. Quia universa Ecclesia acceptavit Concilium Tridentinum tanquam legitimum, ideo est de fide hoc Concilium esse legitimum; ergo etiam quia universa Ecclesia acceptat Modernum Pontificem ut Vicarium Christi, de fide est, eum esse Vicarium Christi. Profecto ex iisdem rationibus, ex quibus Adversarii probant non esse de fide, quod Clemens XIII. sit Vicarius Christi, ex iisdem probabo, quod nec sit de fide, quod Concilium Tridentinum, aut aliud generale fuerit legitimum. Hoc consideranti patebit; unde ordinarie Argumenta AAorum in suos Authores retorqueri poterunt.

Ob. 1. Hæc propositio: *Clemens XIII. est Vicarius Christi*, est nullibi revelata: ergo non est de fide. ℞. 1. Retorq. arg. hæc propositio: *Concilium Tridentinum est œcumenicum & legitimum*, est nullibi revelata: ergo non est de fide Concilium Tridentinum esse œcumenicum & legitimum, consequenter neque definitiones in Tridentino factæ erunt de fide. 697

℞. D. a. nullibi est revelata explicite c. a. implicite n. a. Satis hæc propositio est revelata implicite in illa universali: *Omnis homo legitime in Papam electus & acceptatus est Vicarius Christi.* Simili modo implicite revelatum est Tridentinum esse legitimum Concilium, ejusque definitiones esse de fide: quia in universali est revelatum, quod omne Concilium Generale legitime congregatum, celebratum, & approbatum sit regula fidei, morum, ejusque definitiones sint de fide.

Ob. 2.

698 Ob. 2. Hæc propoſitio: *Clemens XIII. eſt Vicarius Chriſti & Succeſſor Petri*, prout eſt revelata tantum facit ſenſum conditionatum, nempe hunc: Clemens XIII. ſi eſt legitime electus, & acceptatus, tunc eſt Vicarius Chriſti & Succeſſor Petri: ergo non eſt abſolute revelatum, neque abſolute eſt de fide, quod Modernus Pontifex Clemens XIII. ſit Vicarius Chriſti & Succeſſor Petri.

℞. 1. Retorq. arg. hæc propoſitio: *Canones Concilii Tridentini ſunt de fide, ſi Concilium Tridentinum eſt legitime congregatum, celebratum, & approbatum*: ergo non eſt abſolute de fide, quod Concilii Tridentini Canones & definitiones ſint de fide. Si hic argumentandi modus valeret, tunc facile eludere poſſem omnes definitiones Conciliorum & Eccleſiæ.

℞. 2. N. a. Transmitto lubens, quod aliquæ propoſitiones & veritates ſolum ſint revelatæ a Deo in ſenſu conditionato, neutiquam in ſenſu abſoluto. Ita ſunt revelatæ in ſolo ſenſu conditionato propoſitiones illæ hypotheticæ ſeu conditionatæ, quarum conditio nec eſt impleta, neque implebitur. De talibus hypotheticis propoſitionibus in S. Scriptura revelatis, quarum conditio nunquam purificabitur aliqualiter actum eſt, & agitur amplius in tract. de Deo Uno, dum ſcientia futurorum conditionatorum explanabitur.

Ex oppoſito propoſitiones illæ, quarum conditio vel impleta eſt, vel implebitur, non ſolum in ſenſu conditionato, ſed & abſoluto ſunt revelatæ, præſertim tunc, quando ſenſus abſolutus eſt ſumme utilis vel omnino neceſſarius ſcitu pro regimine, & bono totius Eccleſiæ. Ex quo

Sequitur: Determinate & abſolute eſſe revelatam hanc propoſitionem: *Clemens XIII. eſt Vicarius Chriſti*: tum, quia conditio ſubintellecta, ſcilicet electio & acceptatio legitima eſt infallibiliter impleta; tum, quia eſt ſumme necaſſarium ſcire, quis de facto ſit abſolute & determinate Supremum Caput Eccleſiæ, ad quod omnes fideles in controverſiis fidei & morum recurrere debeant.

699 Ob. 3. Quamvis ſit de fide omnem hoſtiam rite conſecratam continere corpus Chriſti, non eſt tamen de fide, quod hæc numero hoſtia illud corpus contineat: ergo etſi de fide ſit omnem Pontificem rite electum eſſe Vicarium Chriſti, non tamen de fide eſt, hunc numero Pontificem, videlicet Clementem XIII. eſſe Vicarium Chriſti. a. conſtat, quia incertum eſt, an hæc hoſtia in individuo rite ſit conſecrata, cum

cum facile ſubeſſe poſſit defectus vel ex parte materiæ, formæ, aut intentionis, vel ille, qui voluit conſecrare, potuit fuiſſe invalide ordinatus &c.

℞. 1. Retorq. argumentum: ergo etſi ſit de fide omne Concilium Generale legitime celebratum eſſe regulam fidei & morum, non tamen eſt de fide hoc numero Concilium Generale e. g. Tridentinum eſſe regulam fidei & morum.

℞. 2. D. 2. m. a. Non eſt de fide ſcilicet proxime, quia non eſt ſtricte moraliter certum, quod hæc numero hoſtia ſit rite conſecrata c. 2. m. a. ſi ſit ſtricte moraliter certum, quod hæc numero hoſtia ſit conſecrata, prout infallibiliter & ſtricte moraliter eſt evidens ac certum, quod hic numero Pontifex ſit legitime electus & acceptatus n. 2. m. a.

Dices: Non poteſt eſſe prudens dubium, quod in conſecratione hujus hoſtiæ in particulari ſit admiſſus aliquis defectus: ergo etiam eſt moraliter certum, quod hæc numero hoſtia ſit rite conſecrata. ℞. D. c. eſt moraliter certum negative & ſecundum quid c. c. ſtricte & poſitive moraliter n. c.

De Clemente XIII. quod Is ſit Pontifex legitime electus &c. certificat nos conſenſus & declaratio totius Eccleſiæ: aſt vero nos non ita certos reddit conſenſus univerſæ Eccleſiæ, de quavis hoſtia, quod ea ſit rite conſecrata.

Præterea, quando non habetur prudens dubium de aliqua re, tunc habetur tantum certitudo negativa, quæ naſcitur ex mero defectu rationum in oppoſitum, & tunc datur, quando non apparet aliqua ratio, quæ poſſet in contrarium afferri. Certitudo autem negativa non ſufficit ad applicandam proxime revelationem divinam, ſed requiritur certitudo poſitiva, quæ oritur ex rationibus poſitivis graviſſimis, ac reddentibus moraliter poſitive evidentem credibilitatem objecti. Tales rationes poſitive & ſtricte convincentes ſunt, motiva credibilitatis, quæ evidentiam ſtricte moralem afferunt cuilibet declarationi & propoſitioni univerſalis Eccleſiæ. De his motivis exactius agetur diſputatione ſequenti.

Ob. 4. Si eſt de fide Clementem XIII. eſſe Summum Pontifi- 70
cem, tunc etiam eſt de fide Eum eſſe legitime electum, eſſe Marem, eſſe Baptizatum, non eſſe hæreticum publicum, item Ejus electionem non fuiſſe ſimoniacam, nec non Eum eſſe Sacerdotem, ac Epiſcopum;

atqui ista omnia non sunt de fide: ergo neque est de fide Clementem XIII. esse Summum Pontificem. M.p. Si est de fide quod Clemens XIII. sit Summus Pontifex, tunc etiam est de fide, quod habeat requisita ad Summum Pontificatum; atqui requisita ad Summum Pontificatum sunt, quod Is sit legitime electus, quod sit Mas, Baptizatus, Episcopus &c. quod Ejus electio non fuerit Simoniaca &c.: ergo.

Ante responsionem Nota 1. alia esse constitutiva ipsius Papatus, & alia esse requisita ad Papatum. Constitutiva Ipsius Papatus sunt hæc duo: 1. Suprema & infallibilis Authoritas definiendi in rebus fidei. 2do. Suprema jurisdictio in omnes fideles in tota Ecclesia; quæ duo constitutiva essentialia Papæ vocantur ab aliis *geminæ Claves scientiæ & jurisdictionis.*

Nota 2. *Requisita ad Papatum* sunt alia Juris divini, alia Juris humani, seu canonici. *Requisita Juris divini,* quæ Deus Ipse exigit in Summo Pontifice sunt, ut eligendus in Pontificem sit Mas, sit Baptizatus, non sit hæreticus &c. *Requisita juris humani* sunt, quæ Ecclesia in electione Summi Pontificis & in Persona eligenda, ac in Electoribus exigit, v. g. ne committatur simonia, ne per vim aliquis intrudatur, ut duæ tertiæ Electorum conspirent in unam Personam.

Nota 3. Omnia impedimenta, quæ ex defectu requisitorum juris humani oriuntur, sanari & suppleri per acceptationem totius Ecclesiæ, quæ est secunda electio, hinc etsi simonia fuisset commissa in electione Pontificis, ea non irritaret secundam electionem, seu consensum totius Ecclesiæ. Ratio est, quia Canones irritantes electionem Papalem tanquam factam contra jus Ecclesiasticum, sunt intelligendi de prima electione, quæ fit per Cardinales, non de secunda, quæ fit per consensum totius mundi. Ratio est, quia Canones illi Ecclesiastici non debent cedere in damnum Ecclesiæ, quod vel maxime fieret, dum Christi Vicarius sæpe esset incertus, eo quod incertum esset, an non laboraret aliquo vitio ejus electio. Melius igitur est, Ecclesiam habere certum Pontificem, cujus prima electio invalida fuit, quam ex ignorantia carere indubitato capite. Et plane sæculo X. multi fuere in Sedem Romanam per vim & nefas intrusi, qui tamen postmodum ab omnibus fidelibus agniti, & acceptati fuerunt tanquam veri Pontifices, & ut tales gubernarunt universam Ecclesiam. In quibus casibus acceptatio Ecclesiæ utique debuit supplere vitia primæ electionis.

Adeo-

Adeoque requiſita Juris humani non indiſpenſabiliter aut eſſentialiter exiguntur ad Summum Pontificatum. Et hinc non eſt de fide, quod Clemens XIII. omnia illa requiſita habeat, vel quod ejus prima electio non laboret aliquo vitio contra jus humanum.

Nota. 4. Facile concedi, quod de facto nemo jure divino inhabilis fuerit Papa, conſequenter quod Pontifices Romani fuerint Mares, Baptizati &c. dudum enim jam eſt exploſa & multis confutata fabula illa de Joanna Papiſſa, quam in Tomo I. de Prolegomenis examinavi. Non tamen ita certum eſt, an Deus indiſpenſabiliter ſtatuerit non conferre Poteſtatem Pontificiam & Papalem, niſi illi, qui habet omnia requiſita Juris divini, conſequenter qui eſt Mas, Baptizatus &c. ſi enim Deus ita indiſpenſabiliter ſtatuit, tunc eoipſo, quando eſt de fide Clementem eſſe Summum Pontificem, etiam eſt de fide, quod ſit Mas, Baptizatus &c. Ratio eſt, quia in tali caſu Pontificatus eſſet connexus cum illis requiſitis; adeoque revelato S. Pontificatu, revelarentur etiam illa requiſita, ut patet ex n. 676.

Si vero decretum illud divinum eſſet diſpenſabile, & revera Perſonæ inhabili v. g. non baptizatæ, acceptatæ tamen in Papam ab univerſa Eccleſia, Deus vi modernæ providentiæ concederet poteſtatem pontificiam, & Jurisdictionem ſupremam, tunc non eſt de fide, quod Clemens XIII. ſit Mas, ſit baptizatus: quia poſſet eſſe S. Pontifex, etſi non eſſet generis maſculini &c. Ex his

℟. 1. Eſſe de fide, quod electio ſecunda ſeu acceptatio, & declaratio univerſæ Eccleſiæ ſit legitima. Ratio eſt, quia de fide eſt univerſam Eccleſiam non poſſe errare in rebus fidei.

℟. 2. Non eſſe de fide, quod S. Pontifex habeat omnia requiſita, quæ a jure humano & Eccleſiaſtico exiguntur ad papatum, qualia ſunt, ne ſit ſimoniace electus a Cardinalibus, ne ſit per vim intruſus. Ratio eſt, quia defectus contra hæc requiſita commiſſi, omnes ſupplentur per ſecundam electionem & acceptationem totius Eccleſiæ. Adeoque hæc requiſita juris humani non ſunt neceſſario connexa cum S. Pontificatu.

Sed quid dicendum de illis, quæ jure divino requiruntur ad Papatum? antequam ad hoc reſpondeatur, Nota: Jure divino requiri 1. ut Pontifex ſit Mas, Baptizatus, non ſit hæreticus publicus &c. nec eſſe de fide, quod S. Pontifex Modernus vel alius ſit rite ordinatus in Epiſcopum, aut Sacerdotem. Ratio eſt: quia ordo Sacerdotalis & Epiſ-

copalis non requiritur effentialiter ad S. Pontificatum, eo quod electus Papa ante ordinationem, pofito quod antecedenter nedum fuerit Sacerdos aut Epifcopus, jam fit verus Papa, & jam actu habeat poteftatem definiendi, & Jurisdictionem folvendi & ligandi omnes fideles, quamvis pro tunc nondum habeat ordinem Sacerdotalem aut Epifcopalem. Quare fi Papa non foret valide ordinatus Epifcopus, non majus damnum redundaret in Ecclefiam, quam fi alius inferior Epifcopus non effet valide confecratus.

℟. 3. D. M. Objectionis. de fide eft Clementem XIII. effe Marem &c. pofito, quod vi modernæ providentiæ nequeat etiam per difpenfationem divinam conferri Poteftas Pontificia alicui, qui non habet requifita Juris divini c. M. fecus n. M. Eft de fide, quod Clemens XIII. habeat Authoritatem Papalem: ergo eft faltem de fide, vel Clementem XIII. habere omnia requifita Juris divini, vel in iis Deum difpenfaffe, & meo judicio credibilius eft Deum non difpenfare, fed Pontificem ab univerfali Ecclefia acceptatum effe baptizatum, & habere alia requifita Juris divini. Nolo tamen hoc abfolute afferere, ne pluribus replicis anfa præbeatur.

701 Ob. 5. Formofus fuit acceptatus ab univerfali Ecclefia ut verus Papa, & tamen poftea Stephanus VI. dictus VII. judicavit eum non fuiffe legitimum Pontificem, & ab eo ordinatos juffit reordinari: ergo non eft de fide, quod etiam ille, qui eft ab univerfali Ecclefia acceptatus, fit legitimus Papa.

℟. Stephanum in hoc facto erraffe, non quidem ut Pontificem, fed ut hominem privatum. Non enim tunc proceffit ut Papa, faltem non definivit, nec locutus eft ex Cathedra; fed odio excæcatus tanquam homo privatus judicavit Formofum non fuiffe verum Pontificem, & ideo Ejus cadaver exhumari, & in tyberim projici juffit.


Ob. 6. Aliquando in Ecclefia fuerunt fchifmata per 50. annos, & fciri non potuit, quisnam fit verus Papa.

℟. Et ideo tunc temporis non erat de fide quisnam determinate fit Papa, ac Ecclefia fuum fufpendit judicium, non declarando quis Papa fit.

Ob. 7. Ergo diffentiens huic propofitioni: Clemens XIII. eft Papa, foret hæreticus. ℟. Probabilius quod fic, faltem in foro interno.

no. Dummodo tali homini circa hoc punctum sufficienter fuerit applicata revelatio divina, sicut ea nobis est applicata per argumenta solidissima. Si forte talis negans præfatam propositionem in foro externo non haberetur pro hæretico, tunc id ideo fieret, quia veritas illa non omnibus apparet proposita, ut materia de fide.

Ob. 8. Nos non possemus amplius dare discrimen inter Schismaticum & hæreticum: atqui hoc debet posse dari: ergo. ℞. n. M. quamvis Schisma plerumque conjungatur cum hæresi, potest tamen dari schismaticus, qui non sit hæreticus, nempe in casu, quo aliquis quidem agnosceret, & crederet hunc esse verum Summum Pontificem, Ei tamen se nollet subjicere. Schisma enim est divisio Ecclesiæ, & opponitur charitati connectenti membra Ecclesiæ suo Capiti, seu Summo Pontifici; esset autem simul hæreticus & Schismaticus, si ideo se quis subduceret Obedientiæ S. Pontificis, quia hunc licet acceptatum ab Ecclesia non crederet esse Vicarium Christi. Nihilominus hoc intellige cum limitatione immediate posita in responsione ad objectionem præcedentem.





Tractatus III.

DE

ACTU, ET HABITU FIDEI.

Dissertatio I.

DE

ILLIS, QUÆ PRÆREQUIRUNTUR AD ACTUM FIDEI.

Articulus I.

De Judicio Credibilitatis prævio ad Actum fidei.

702 Quærendum 1. An Mysteria fidei sint evidenter vera, & evidenter credenda. 2. An ad Actum fidei præerequiratur aliquod Judicium, vel apprehensio evidens de Credibilitate & credentitate Mysteriorum.

§. I.

An Mysteria fidei sint evidenter Credibilia?

Nota 1. Quæri inpræsentiarum, an Mysteria fidei in se obscura non possint sic evidenter reddi credibilia, ut credere nolentes sint coram Deo inexcusabiles.

Nota 2. Non controverti, an Mysteria fidei sint intrinsece & physice vel mataphysice evidentia; siquidem fides necessario exigit objectum materiale obscurum, ut inferius ostendetur; est enim fides ex Apostolo ad Heb. 11. *Argumentum non apparentium.* Neque necessario debet

bet intrinſecè, ac ſcientifice evidens eſſe objectum formale fidei, aut revelati Myſterii, ut colligitur ex dictis. Hinc ſupereſt ſola difficultas de evidentia morali & extrinſeca. Quare

Nota 3. Ex Maſtrio, evidentiam moralem ad propoſitum eam eſſe, qua aliqua veritas non eſt nota ex terminis, neque ex principiis ita per ſe notis deducta, neque ullo ſenſu percepta, ita tamen intellectui apparet, ut nullam probabilem, & prudentem admittat rationem dubitandi, imo imprudentiſſimus cenſeretur, qui ea de re dubitaret, aut oppoſitum teneret, ſentiretque. Sic nobis eſt moraliter evidens exiſtentia Romæ: nam ex unanimi Populorum teſtimonio ita comprobatur, ut de illa non niſi imprudentiſſimus dubitare poſſet.

Nota 4. Aliud eſſe rem eſſe evidenter credibilem, & aliud rem eſſe evidenter veram; Ratio eſt, quia evidens rei veritas petitur ab intrinſecis principiis rei, aut ab ejus effectibus; econtra evidens credibilitas rei petitur a teſtimoniis ac principiis extrinſecis, quæ reddunt aliquod Myſterium credibile, ſeu dignum, ut ei fides adhibeatur.

Nota 5. Statum quæſtionis eſſe, an dentur aliqua motiva, ob quæ ſit evidens evidentia ſcilicet morali, quod Myſteria noſtræ fidei ſint a Deo revelata, adeoque credibilia. H. N.

Aſſero: Myſteria noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia juxta ex- 703
plicationem mox datam.

P. 1. Pſ. 92. dicitur: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis;* quaſi diceret: plurimis argumentis demonſtraſti, Myſteria propoſita in lege eſſe a te Deo infinite veraci revelata: ubi particula *nimis* non videtur minorem quam evidentem notitiam ſignificare.

P. 2. Aliquis cognoſcens motiva credibilitatis noſtræ fidei, eſt inexcuſabilis, ſi non credat Myſteria noſtræ Religionis: ergo hæc Myſteria debent eſſe evidenter credibilia. Si enim eorum credibilitas tantum foret probabilis, tunc excuſabilis foret, qui ſequeretur aliud judicium probabile, quo exiſtimaret hæc Myſteria non eſſe credibilia.

P. 3. Illud eſt moraliter evidens, quod indubitatis & a prudenti innegabilibus teſtimoniis ac ſignis comprobatur; atqui credibilitas Myſteriorum noſtræ fidei comprobatur indubitatis & a prudenti innegabilibus teſtimoniis: ergo. m. p. enumerando breviter potiſſima ſigna & notas credibilitatis, quibus fulget Religio Catholica. Primo quidem eſt Sanctitas & integritas Doctrinæ, hæc enim a vitiis abducit,

ac ad virtutem inclinat: oppofitum facit doctrina hæreticorum. 2. Sanctitas, Sapientia & Authoritas Chrifti Domini inftitutoris noftræ fidei, & Ejusdem poteftas ad miracula patranda in confirmationem fidei. 3. Sanctitas & Sapientia Innumerorum, qui noftram fidem amplexati funt. 4. Perfeverantia ejusdem doctrinæ femper uniformis inter tot perfecutiones & hærefes. 5. Cohærentia veteris & novi teftamenti, cum enim futura infallibiliter unice a Deo poffint prænuntiari, apparet, omnia quæ in veteri teftamento per Prophetas prædicebantur, fuiffe a Deo prænuntiata. 6. Miracula pene innumera, quæ noftram fidem confirmant. 7. Fortitudo Martyrum innumerorum cujusvis ætatis & fexus. 8. Modus mirabilis, quo fides per univerfum mundum propagata eft per paucos Pifcatores absque armis, absque litteris, adverfus tot tyrannos proponendo ea, quæ carni & fanguini repugnant, & afferendo neminem poffe in alia lege falvari. Hæc & alia rite perpenfa ita manifefte oftendunt Religionem noftram, ac noftræ fidei Myfteria Deum habere Authorem, ut non nifi imprudentiffimus, aut impiiffimus id negare poffit.

Profecto ad divinam bonitatem & providentiam fpectat non permittere tot, & tanta figna in confirmationem alicujus Sectæ, quæ non effet vera, vel quæ duceret ad interitum: alioquin cum omni fiducia poffemus Deo dicere, ut inquit Richardus Victorinus L. 1. de Trinit. *Domine, fi error eft, a te decepti fumus; ifta enim nobis funt tantis fignis & prodigiis confirmata, quæ non nifi per te fieri potuerint.* Ex his

Colligis: Myfteria noftræ fidei non folum effe evidenter credibilia, fed etiam effe evidenter credenda, ac confequenter evidentem effe obligationem adhibendi fidem articulis noftræ Religionis. Ratio eft, quia evidens eft, quod teneamur Deo loquenti fidem adhibere, fi aliunde evidens eft, & prudenter negari non poteft, quod is loquatur; atqui prudenter negari non poteft, & eft evidens, quod Deus loquatur articulos noftræ fidei; ergo. m. conftat ex probationibus conclufionis. M. eft certa: nam evidens eft, quod teneamur obedire Superiori, quando moraliter eft evidens, quod is legem aliquam tulerit: ergo evidens eft, quod teneamur Deo loquenti credere, quando moraliter eft evidens, quod Is aliquid fuerit locutus.

704 Ob. 1. Quod eft evidenter credibile eft evidenter verum; atqui Myfteria noftræ fidei funt evidenter credibilia: ergo funt evidenter vera. R. n. M. quia aliud eft effe evidenter verum, & aliud eft effe eviden-

evidenter credibile. Vel: d. M. quod eft evidenter credibile eft evidenter verum evidentia morali & extrinfeca teftimonii c. M. evidentia petita ex principiis intrinfecis ipfius Myfterii credibilis n. M.

Ob. 2. Quod eft evidenter fcibile, eft evidenter verum: ergo etiam quod eft evidenter credibile eft evidenter verum. ℟. n. c. Ratio eft, quia fcibilitas objecti petitur ab ipfis intrinfecis principiis objecti ficut veritas; non autem credibilitas rei alicujus provenit ab intrinfecis principiis ejusdem rei, fed ab extrinfecis, quæ non metaphyfice connectuntur cum objecto credibili; quare & evidenter credibile poteft effe a parte rei falfum, ut fi de aliqua re plurimorum Virorum, qui alias probatiffimi, & expertiffimi cenfentur, exftarent teftimonia ex ignorantia aliqua vel ratione conjecturali erronee præftita; tunc enim talis res effet evidenter credibilis, etfi a parte rei non effet vera. Contra, quando aliquid eft evidenter fcibile, tunc fub illa ratione fub qua eft fcibile debet neceffario effe verum, & non poteft effe falfum.

Ob. 3. Si Myfteria fidei funt evidenter credibilia, tunc poffunt evidenter credi: ergo ipfe actus fidei poteft effe evidens.

℟. D. M. poffunt evidenter credi, ita, ut evidentia formaliter afficiat ipfum actum fidei n. M. ita, ut evidentia afficiat folam cognitionem & dictamen intellectus prævium ante actum fidei, quo judicatur, prudenter poffe & debere elici actum fidei c. M. actus fidei in fe debet effe obfcurus, Judicium autem præcedens actum fidei, per quod oftenditur rationabilitas & poffibilitas ejusdem poteft effe evidens, fed tantum evidentia morali.

Ob. 4. Hæc confequentia eft bona: *Hoc eft evidenter falfum: ergo eft evidenter incredibile:* ergo & ifta confequentia eft bona: *hoc eft evidenter credibile: ergo eft evidenter verum,* a. conftat, & c. prob. valet confequentia ab oppofito confequentis ad oppofitum antecedentis.

℟. N. c. & fuppofitum, quod hic ab oppofito confequentis arguatur ad oppofitum antecedentis. Nam hoc tunc tantum contingit, quando a contradictorio confequentis proceditur ad contradictorium antecedentis; v. g. fi valet ifta illatio; *eft homo: ergo eft animal,* tunc valet etiam ifta: *non eft animal: ergo non eft homo.* Adeoque ut prior argumentatio effet vera, tunc ita inferri deberet in confequenti: *hoc non eft evidenter incredibile: ergo non eft evidenter falfum.* Hæc e-

nim noftra illatio, non autem illa AAorum afcendit a contradictorio confequentis ad contradictorium antecedentis, ut confideranti patet.

Ob. 5. Si Myfteria noftræ fidei funt evidenter credibilia, tunc nemo eisdem poterit diffentire; fed plures eisdem diffentiunt, uti hæretici, Ethnici &c. ergo. M. patet, quia evidenter credibili nemo poteft diffentire.

℞. D. M. Nemo eisdem poterit diffentire prudenter fi illa rite penetraverit c. M. imprudenter n. M. evidens credibilitas Myfteriorum noftræ Religionis non neceffitat ad fidem iis præftandam 1. quia ftante hac evidentia credibilitatis manent Myfteria fidei in fe obfcura, quæ plerumque funt ita alta, ut etiam lumini naturali repugnare, ac impoffibilia videantur. Qua de caufa præter evidentem eorum credibilitatem requiritur gratia divina actualis, & imperium voluntatis, ut durities noftri intellectus frangatur, ac is in obfequium fidei captivetur. 2. Sæpe hæretici & alii infideles non debite ponderant motiva credibilitatis, fed plerumque ab eorum examine confiderationem avertunt, ac fe convertunt ad alia his notis & fignis oppofita. 3. Quia ex depravatione fuæ voluntatis nolunt fequi id, quod eft evidenter prudentius, ita poteft quis evidenter fcire temperantiam effe prudenter amabilem, & tamen poteft illam non amare; prout qui ex malitia peccat, novit evidenter fe imprudenter agere, nec tamen ab operatione ceffat; tales igitur homines funt rebelles lumini, & magis diligunt tenebras, quam lucem. Igitur ad fidem fupernaturalem requiritur, ut Myfterium credendum fit evidenter credibile, ita, ut de revelatione talis Myfterii per Deum facta detur evidentia moralis, non qualiscunque, fed preffe dicta; quamvis non requiratur evidentia usque adeo fumma, ut excludat diffenfum etiam imprudentiffimum & temerarium.

Ob. 6. Si moraliter eft evidens; Myfteria fidei noftræ effe evidenter credibilia, tunc motiva credibilitatis vel fciuntur, vel cognofcuntur fide divina & fupernaturali, neutrum poteft dici: ergo. ℞. motiva credibilitatis fciri fcientia naturali, tali tamen, quæ folam parit evidentiam moralem, non autem majorem.

Ob. 7. Quod eft evidenter amabile, eft evidenter bonum: ergo etiam, quod eft evidenter credibile, eft evidenter verum. ℞. D. a. eft evidenter bonum, ea evidentia, qua eft amabile c. a. alia. n. a. & fic

ſic pariter d. c. Sunt igitur & Myſteria fidei evidenter vera ea evidentia, qua ſunt credibilia, ſcilicet evidentia morali.

Ob. 8. Juxta nos Myſteria noſtræ Religionis ſunt evidenter credibilia fide divina: ergo ſunt etiam evidenter vera. c. p. fides divina eſt neceſſario connexa cum veritate Myſterii crediti; nam fides divina nequit inclinare ad falſum, ſed tantum ad verum, ut docebitur: ergo ſi Myſteria noſtræ Religionis ſunt evidenter credibilia fide divina, tunc ſunt evidenter vera.

℞. D. a. Myſteria noſtræ Religionis ſunt evidenter credibilia fide divina, ſeu tali, quæ nititur Authoritate & veracitate divina c. a. ſunt evidenter credibilia fide divina ſupernaturali & infuſa ſubd. poſito quod aliunde evidenter conſtet dari fidem divinam ſupernaturalem & infuſam c. a. ſecus n. a. ſola fides divina ſupernaturalis & infuſa non poteſt inclinare ad aſſenſum falſum, bene autem fides naturalis, etſi illa ſit divina, ac nitatur veritate divina tanquam motivo, ut dicetur ſuo loco.

Dum autem dicitur Religionis noſtræ Myſteria eſſe evidenter credibilia, tantum aſſeritur, quod rationes tam graves adſint, ut quis his Myſteriis tanquam revelatis a Deo abſque hæſitatione poſſit & debeat aſſentiri per aliquem actum fidei, abſtrahendo, an hic actus ſit ſupernaturalis, an naturalis, an procedat ex meris principiis naturalibus, vel ex habitu infuſo. Ratio hujus eſt: quia aliunde non eſt evidens, ſaltem phyſice aut metaphyſice dari habitus aut gratias ſupernaturales: ergo neque eſt evidens ſaltem metaphyſice aut phyſice, quod Myſteria noſtræ fidei ſint credibilia fide ſupernaturali ac procedente ex habitu infuſo & gratia.

Dixi, quod *non ſit evidens metaphyſice, aut phyſice* dari habitus aut gratias ſupernaturales; nam ſicut alia Myſteria fidei ſunt evidentia moraliter, ſeu ſunt evidenter credibilia, ſic & exiſtentia habituum & gratiarum ſupernaturalium, tanquam Myſterium fidei noſtræ eſt evidenter credibilis, ac moraliter certa.

Cæterum ad alias objectiones ſolvendas nota: Exiſtentiam Re- 705
ligionis noſtræ per præcepta ſupernaturalia directam, eſſe ſolum evidenter credibilem, non autem eſſe ſcientifice evidentem. Nam ejus notæ ſunt quidem tales, ut a nemine prudente poſſint negari: per hoc tamen notæ illæ & motiva credibilitatis in ſe non fiunt phyſice evidentia. Sic aliquis hæreticus poſſet dicere, miracula noſtra vel omnino eſſe figmenta, vel ope dæmonis facta: vel etſi ea a Deo pa-

trata ſint, tamen ea non eſſe facta in confirmationem legis. Et licet hæc impudenter loqueretur, nihilominus non poteſt evidenter convinci falſitatis. 2. Pariter poſſet quis aſſerere ſed iterum impudenter conſenſum tot diverſarum nationum in una doctrina Chriſtiana, propagationem mirabilem fidei noſtræ &c. eſſe tantum facta ope dæmonis, permittente id Deo ex juſta cauſa; ſicut & Deus etiamnum permittit, quod potior pars hominum vivat in Paganiſmo, hæreſi &c. 3. Etſi forte aliquam evidentiam etiam ſcientificam videatur habere, quod aliqua Religio ac vera detur in mundo, non tamen evidenter & ſcientifice eſt certum hanc veram Religionem eſſe noſtram. Ratio eſt, quia non eſt ſcientifice evidens dari Religionem ſupernaturalem, qualis eſt noſtra, ſed poſſet aliquis, quamvis denuo impudenter, defendere dari ſolum Philoſophiſmum, ſeu Deiſmum, credendo ſolummodo Deum unum, & alia, quæ lumen naturale dictat, non autem cætera, quæ nobis ſupernaturaliter ex revelatione divina conſtant; prout fertur feciſſe Averroës, qui mori unice voluit morte Philoſophorum; unde illud in ore habuit: *moriatur anima mea morte Philoſophorum*; qui & idem Philoſophus (ſi adhuc recte memini) Religionem Mahometicam vocavit Religionem porcorum, Judaicam dixit eſſe Infantum, ac noſtram Evangelicam aſſeruit conventiculum ſtultorum, ipſe & infans, & ſtultiſſimus, quia tantum prudentiæ lumen non admiſit, ut luculenta noſtræ Religionis teſtimonia agnoſceret.

706 Dices; Deus nequit nos decipere in puncto Religionis; ſed nos deciperet, ſi tot & tanta ſigna faceret in conteſtationem noſtræ Religionis, & tamen hæc noſtra Religio non eſſet vera: ergo.

℞. D. M. Deus nequit decipere poſitive t. M. nequit permittere ex juſta cauſa deceptionem, dando aliis v. g. dæmonibus & hominibus potentias, facultates ac media, quibus nos poſſint decipere n. M. ſi enim Deus nobis potuit dare potentiam peccandi & mentiendi, cur non poſſit nobis & dæmonibus dare potentiam faciendi miracula, & alia, quamvis inde multi decipiantur etiam in puncto Religionis; certe non adeſt phyſice evidens ratio, cur hoc Deus non poſſit facere. Quod autem ad ſuavem Dei Providentiam pertineat, ne hoc fiat, id tantum evidenter eſt credibile, ſcilicet evidentia morali, non autem eſt Phyſice, vel metaphyſice evidens aut certum.

§. II.

An ante actum fidei prærequiratur aliquis alius actus intellectus, quo quis cognoscat objectum, quod vult credere, esse a Deo revelatum; item an talis actus prævius sit simplex apprehensio, vel judicium, naturalis vel Supernaturalis?

Assero 1. Ante actum fidei prærequiritur aliquis alius actus 707
intellectus, quo cognoscitur Mysterium hoc esse a Deo revelatum, vel quo cognoscatur credibilitas talis objecti.

P. 1. Ad hoc, ut prudenter credamus, aliquid esse a Deo revelatum, debemus prius cognoscere notas & motiva, ex quibus constat, hoc esse a Deo revelatum: ergo prius requiritur actus intellectus cognoscens motiva credibilitatis. a. constat: imprudenter enim ageret is, qui crederet hoc vel illud propter Authoritatem alicujus hominis dicentis & attestantis, si prius non haberet prudens dictamen & cognitionem sufficientem, quod ille homo hoc dixerit, vel attestatus sit: ergo idem dicendum est de eo, qui crederet aliquid ut a Deo dictum, & tamen prius per actum prævium intellectus non cognovisset, hoc esse a Deo dictum, & revelatum.

P. 2. D. Aug. Tom. 6. c. 5. Contra Epistolam fundamenti ait: *Evangelio non crederem, nisi me Authoritas Ecclesiæ moveret;* id est, non crederem Evangelium esse Verbum Dei, ac revelationem divinam, nisi Authoritas Ecclesiæ, tot notis ac motivis credibilitatis comprobata proponeret Evangelium, ut Verbum & revelationem Dei: ergo actus fidei quo credo aliquid a Deo revelatum, præsupponit aliquem alium actum intellectus, quo cognosco Authoritatem Ecclesiæ proponentis tale objectum ut a Deo revelatum.

Assero 2. Absolute non requiritur, ut iste actus prævie cogno- 708
scens motiva credibilitatis sit actus judicii, & affirmatio vel negatio, sed sufficit simplex apprehensio eorundem motivorum. Est contra plures alios extra nostram scholam.

P. Si hæc apprehensio motivorum rite fiat, tunc æquivalet Judicio. Insuper ad alios actus honestos exercendos sufficit apprehensio

simplex honestatis: ergo etiam ad actum fidei sufficit apprehensio simplex credibilitatis.

709 Ob. 1. Motiva credibilitatis sunt moraliter evidentia: ergo determinant necessario ad assensum & judicium. R. N. c. quamvis enim moralis evidentia ordinarie & regulariter soleat determinare ad assensum & judicium, non tamen id facit necessario & indispensabiliter. Ratio hujus est: quia cum evidentia morali potest simpliciter stare falsitas objecti: adeoque ex se non necessario determinat ad assensum. Ex hoc datur etiam disparitas inter objectum metaphysice evidens, & moraliter evidens: nam quod est metaphysice evidens, est necessario verum, & consequenter necessario ad sui assensum cogit & inclinat.

Ob. 2. Dictamen ultimum de honestate alicujus actus debet semper esse judicium practicum; atqui cognitio credibilitatis alicujus objecti est dictamen ultimum: ergo illa cognitio debet esse Judicium practicum. R. N. M. Nam pro dictamine ultimo & practico sufficit etiam simplex apprehensio. Sic si simpliciter apprehendo castitatis honestatem, possum inde practice moveri ad castitatem amandam & sectandam; & non requiritur aliquod Judicium vel affirmatio praevia.

Petes: ad quam virtutem vel habitum reducatur cognitio praevia credibilitatis? R. Eam pertinere ad prudentiam, cujus est influere in omnes virtutes, ne in exercitio earum quis agat imprudenter.

710 Assero 3. Judicium vel apprehensio praevia motivorum credibilitatis non est actus entitative supernaturalis. Ita sentire debent omnes SScot.

P. 1. Ille actus non est supernaturalis, qui non requirit simpliciter & essentialiter aliquod sui principium supernaturale, & potest totus produci ab agente naturali; atqui ille actus praevius potest totaliter produci ab agente naturali, scilicet ab intellectu examinante & penetrante motiva credibilitatis, & si aliquis habitus concurrat, tunc ille etiam est naturalis; est enim habitus prudentiae, qui non est infusus: ergo.

P. 2. Si illud dictamen praevium intellectus esset entitative supernaturale, tunc fides non recte diceretur fundamentum & initium salutis; sed fides juxta dicenda est fundamentum & initium totius salutis: ergo. m. p. Quia actus fidei non foret primus actus entitative

tive ſupernaturalis, ſed præſupponeret ante ſe dictamen prævium intellectus ſupernaturale, conſequenter hoc dictamen eſſet initium ſalutis, & fundamentum juſtificationis.

Confirm. Eatenus habitus fidei dicitur initium & fundamentum habitualis juſtificationis, quatenus non præſupponit aliquem habitum ſupernaturalem in ſubſtantia: ergo a pari eatenus fides actualis eſt initium & fundamentum actualis juſtificationis, quatenus eſt primus actus ſupernaturalis in ſubſtantia, qui haberi poſſit: adeoque actus fidei ſupernaturalis in ſubſtantia non præſupponit ante ſe alium actum entitative ſupernaturalem.

Per hoc tamen non nego, quod dictamen prævium practicum de credibilitate Myſteriorum fidei poſſit eſſe, vel omnino debeat eſſe ſupernaturale ſecundum modum, propter auxilium Dei actuale, quod intellectum necdum plene captivatum in obſequium fidei illuſtrat, & excitat ad conſideranda motiva credibilitatis.

Ob. Actus fidei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo etiam dictamen credibilitatis debet eſſe ſupernaturale in ſubſtantia, quia eſt diſpoſitio ad actum fidei. ℟. N. c. nam non omnis diſpoſitio & cauſa actus ſupernaturalis, debet & ipſa eſſe ſupernaturalis; ſic intellectus & habitus acquiſitus influunt in actum fidei ſupernaturalem, & tamen & intellectus, & habitus fidei acquiſitus ſunt entitative naturales.

§. III.

An hoc dictamen prævium debeat eſſe moraliter evidens?

Dubitatur 1. An ad prudenter imperandum actum fidei ſupernaturalem & firmiſſimum ſufficiat Judicium probabile de credibilitate Myſterii, vel an requiratur judicium certum, & moraliter evidens? 2. An requiratur judicium certum & evidens evidentia morali perfecta, & abſoluta, qualis habetur in Doctis poſt conſiderationem motivorum credibilitatis; vel an ſatis ſit evidentia imperfecta & reſpectiva, qualis datur in pueris & ſimplicibus credentibus ob dictum Parentum & Parochi?

Aſſero: ad actum fidei divinæ non ſufficit dictamen & judicium 711
tantum probabile de credibilitate Myſterii.

P. 1. Innoc. XI. Confixit hanc propofitionem, numero 21. *Affenfus fupernaturalis, & utilis ad falutem ftat cum notitia folum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non fit locutus Deus*: ergo non fufficit judicium & dictamen folum probabile, fed requiritur moraliter evidens de credibilitate Myfterii ad hoc, ut prudenter elici poffit actus fidei.

P. 2. Si Myfteria fidei folum apparerent probabiliter credibilia, atque cum formidine, an Deus fit locutus, & revelarit hæc Myfteria, tunc fequeretur imprudenter imperari affenfum fidei firmiffimum, rejiciendo omne motivum contrarium, nec adhibendo ulterius examen de veritate talis rei: ergo.

Confirm. 1. Quando res una eft tantum probabiliter credibilis, tunc ejus oppofitum proponi poteft ut eodem modo credibile: nam probabilitas unius partis non excludit probabilitatem partis oppofitæ, quando autem utraque pars apparet æqualiter credibilis, tunc prudenter dubitatur de utriusque veritate: confequenter in tali cafu intellectus nulli parti prudenter poteft affenfum firmum & imperturbabilem præbere: ergo in tali cafu quando tantum datur cognitio probabilis de credibilitate Myfterii, non poteft intellectus actum fidei fupernaturalis elicere: hic enim actus debet effe omnino imperturbabilis & firmiffimus.

Confirm. 2. Si ad actum fidei fupernaturalem fufficeret judicium folum probabile vel probabilius de exiftentia revelationis ac credibilitate alicujus Myfterii, tunc poffet quis credere fide fupernaturali Immaculatam B. Virginis Conceptionem, utpote quæ fumme probabiliter ex Scripturis eruitur; atqui hoc eft falfum: nam fi Immaculata conceptio poffet credi fide divina & fupernaturali, & effet de fide, tunc fententia negans B. Virginem fine labe conceptam effet hæretica, cum tamen ex Bulla Alexandri VII. illa fententia negans non poffit notari tanquam hæretica, nec dici poffit, quod illam fuftinentes mortaliter peccent. Præterea poffet quis fide divina fupernaturali credere fe effe in gratia, quando probabiliffime elicuit actum amoris Dei fuper omnia; quod tamen eft contra Tridentinum Seff. 6. c. 9. Hinc fi quis velit credere, quæ probabiliter tantum funt de fide, poterit quidem elicere affenfum nixum revelatione Dei, de qua ipfi probabiliter conftat, fed hic affenfus non erit fupernaturalis, ficut non eft fupernaturalis affenfus fidei, quo Rufticus credit Incarnationem Dei Patris a Parocho propofitam. Fides enim fupernaturalis

propter

propter suam excellentiam excludit tum falsitatem, tum formidinem. Quare habitus fidei infusæ non potest concurrere ad actum fidei falsum, nec ad actum fidei verum, qui apparet posse proxime subesse falso. Talis enim assensus, qui apparet proxime posse esse falsus, est ille, quem præcedit judicium tantum probabile de credibilitate & revelatione Mysterii.

Ob. 1. Potest aliquis prudenter & honeste agere habito solo Judicio probabili de honestate alicujus actus: ergo etiam potest aliquis prudenter credere, habito solo Judicio de credibilitate, vel credentitate alicujus Mysterii. a. constat; quia & honeste & prudenter aliquis sequitur sententiam mere probabilem circa honestatem morum, & licentiam actionis. Sic quis prudenter dat eleemosynam illi, quem solum probabiliter judicat pauperem, & indigentem &c. 712

℞. N. c. & parit. Fides enim est initium & fundamentum omnis veræ virtutis ac justitiæ; hinc non licet eam exponere incertitudini probabilitatis; error enim hic nimium esset perniciosus. 2. Ideo in aliis virtutibus & actibus moralibus sufficit judicium speculativum probabile, quia illæ non obligant agentem, ut operetur sine omni formidine de opposito: econtra fides ita est certa, & firma, ut excludat omnem formidinem & dubitationem; hinc non sufficit Judicium solum probabile de credibilitate, quo stante adhuc prudenter possem formidare. 3. Etsi liceat sequi dictamen solum probabile in materia honestatis, quando præcise quæritur an hoc sit honestum, vel licitum; non tamen licet sequi probabilem opinionem in materia facti, saltem tunc, quando judicium certum ac evidens potest haberi; atqui quando agitur de credibilitate Mysteriorum nostræ fidei, non agitur præcise de honestate actus, sed de materia facti, nempe de materia fidei, quæ non dependet a nostro dictamine, sed ab ipsa revelatione divina &c.

Ob. 2. Possum fide divina credere, Christum esse sub hac determinata hostia, etsi non sit certum sed tantum probabilius, quod ea sit consecrata: ergo. 713

℞. N. a. Tantum enim conditionate possumus credere Christum adesse sub hac individuali hostia, si scilicet ea sit rite consecrata: posita autem hac conditione, quæ universim subintelligitur, actus fidei est certissimus ac supernaturalis, non secus ac si dicatur: *omnis hostia rite consecrata continet Christum.* Ratio ulterior est, quod non sufficiat Judicium probabile de credentitate: quia credens fide divina super-

ſupernaturali aliquod Myſterium, debet eſſe paratus vitam potius quam fidem perdere; atqui ad hoc requiritur, quod non habeatur ſola probabilitas, ſed certitudo; ergo.

714 Ob. 3. Hæc numero hoſtia poteſt honeſte, & abſolute adorari, etſi tantum probabilius ſit, quod ſit conſecrata: ergo etiam poteſt abſolute credi fide ſupernaturali, quod in hac hoſtia ſit præſens Chriſtus etſi tantum probabilius ſit, quod ea ſit conſecrata.

℟. N. c. Nam adoratio hoſtiæ eſt actus Religionis, actus vero, quo credo Chriſtum præſentem, eſt actus fidei; magna autem eſt diſparitas inter actus fidei & aliarum virtutum, ut ex reſponſionibus ad objectionem primam conſtat.

Deinde ratio dictat, honeſtum eſſe dare eleemoſynam Antonio, etiamſi probabiliter tantum ſit pauper, quamvis enim falſum eſſet, eſſe pauperem, non tamen eſt falſum illud judicium practicum dictans, honeſtum eſſe dare huic eleemoſynam, ut claret. Sic quamvis falſum eſſet Chriſtum Dominum contineri in hac hoſtia probabilius conſecrata, non tamen eſt falſum Judicium practicum dictans honeſtum eſſe, illam hoſtiam abſolute & absque ulla oppoſita conditione adorare. Econverſo ratio nulla dictat imperare actum firmiſſimum fidei propter Authoritatem Dei revelantis, quando probabiliter tantum datur revelatio, ita ut poſſit aliquis prudenter formidare, an illa facta revelatio ſit a Deo.

Dices: Teſte Viva Ceremoniale præcipit, ut Sacerdos miniſtrans ægroto Sacrum Viaticum dicat: *Credis frater, hoc eſſe Corpus Domini noſtri?* & infirmus reſpondeat: *Credo.* Ergo etiam eſt credibile fide divina Chriſtum ſub hac determinata hoſtia contineri.

℟. Actum hunc fidei ab ægroto elicitum eſſe conditionatum, & habere hunc ſenſum: Credo Chriſtum ſub hac hoſtia eſſe, ſi ea rite ſit conſecrata.

715 Ob. 4. Poteſt dari charitas Dei perfecta, etſi non excludat omnem amorem Deo oppoſitum; ſeu omnem affectum ad peccatum veniale: ergo etiam poteſt dari fides, quæ non excludat aliquam dubietatem partis oppoſitæ.

℟. T. a. n. c. & parit. Nam ſi actus amoris Dei ſuper omnia poteſt ſtare cum peccato veniali, tunc ideo, quia peccatum veniale non opponitur amicitiæ Dei, nec eam diſſolvit: aſt vero dubium opponitur firmitati, & maximæ certitudini fidei eamque tollit.

Ob. 5.

Ob. 5. A Theologis multa dicuntur de fide, de quibus non 716
evidenter, ſed tantum probabiliter conſtat, quod ſint de fide: ergo fides poteſt ſtare cum notitia probabili revelationis. ℟. Quæ probabiliter tantum ſunt de fide non poſſunt credi aſſenſu fidei ſupernaturalis, ut conſtat ex propoſitione damnata, & hucusque adductis rationibus: quia ſcilicet imprudens foret aſſenſus fidei firmiſſimus, ſi non indubitabiliter appareret exiſtentia revelationis. Quare ſi aliquis imprudenter vellet elicere actum fidei circa talia objecta probabiliter tantum revelata, talis aſſenſus eſſet tantum actus fidei naturalis. Hinc in forma d. a. multa dicuntur de fide &c. & illa poſſunt etiam fide divina & ſupernaturali credi n. a. non poſſunt credi fide divina ſupernaturali c. a.

Ob. 6. Sacra Scriptura admittit aliquam fidem infirmam; at- 717
qui fides infirma videtur illa eſſe, quæ nititur tantum motivo probabili, & ſtat cum dubio: ergo. M. patet: ſic Matth. 14. dicitur: *modicæ fidei, quare dubitaſti.* & Marci 9. Pater Energumeni ait: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam:* in quæ verba S. Chyſoſtomus ita ſcribit: *Si credit, quomodo dicit, adjuva incredulitatem meam? dicamus igitur, quod multiplex eſt fides: introductiva & perfecta; hic autem incipiens credere Salvatorem deprecabatur, ut apponeret reliquum ad ſuam virtutem.* Ergo etiam juxta S. Scripturam admittitur aliqua fides imperfecta & infirma.

℟. D. M. S. Scriptura admittit aliquam fidem infirmam & imperfectam, ſeu initialem & introductivam, prout eam vocat S. Chryſoſtomus c. M. infirmam &c. id eſt, formidoloſam, ac ſtantem cum dubio vel probabilitate n. M. fides quæ eſt vel formaliter, vel radicaliter formidoloſa, conſequenter, quæ ſtare poteſt cum dubio, non eſt ſupernaturalis, nec eſt utilis ad ſalutem. Inde fit, non eſſe formidoloſam fidem illam introductivam initialem, & imperfectam, de qua loquitur S. Chryſoſtomus: hæc enim utilis eſt ad ſalutem. Quare poteſt quidem dari aliqua fides introductiva imperfecta, non quia eſt formidoloſa, & ſola probabilitate revelationis nititur, ſed quia facile amittitur: quemadmodum propoſitum non peccandi poteſt eſſe imperfectum, non quia habet adjunctam voluntatem peccandi, ſed quia accedente tentatione facile deſeritur. Porro cum firmitas aſſenſus fidei ut plurimum deſumatur ex pia voluntatis affectione, & hæc in ſua linea poſſit eſſe major vel minor, ita ſimiliter actus fidei poterit eſſe magis vel minus perfectus, quin ſit formidoloſus.

℟. 2. Ad textum Matthæi. Petrum dubitando perdidisse fidem, qua prius credebat se posse per aquas incedere. Hinc August. homil. 14. de verbis Domini dixit: *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit, sed ubi exclamavit, fides resurrexit; non ambularet nisi crederet, sed nec mergeretur nisi dubitaret.*

℟. 3. ad textum Marci 9. Patrem energumeni per fidem intellexisse voluntatem, & conatum credendi, qui erat adhuc debilis, unde dixit: *adjuva* incredulitatem meam, id est, meam adhuc infirmam affectionem, & imperfectam voluntatem credendi, vel eum habuisse fidem mere naturalem, quare potuit petere fidem supernaturalem. Vel illum habuisse fidem mortuam non formatam charitate, vel tandem habuisse solum fidem introductivam jam explanatam.

718 Ob. 7. Ab Innocentio XI. profligata est hæc propositio, ordine 4. *ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili:* ergo qui habet majorem probabilitatem de veritate Religionis Catholicæ debet eam amplecti, adeoque ad actum fidei eliciendum non exigitur judicium credibilitatis moraliter certum, sed sufficit magis probabile. c. patet. ideo enim ductus opinione minus probabili circa credibilitatem nostræ fidei non excusatur ab infidelitate, quia is deberet sequi sententiam magis probabilem stantem pro credibilitate & veritate nostræ fidei.

℟. n. c. in hac quarta propositione solum damnatur, quod quis possit amplecti illam sententiam, cujus credibilitas est minus probabilis, non autem simul affirmatur, quod quis debeat credere articulis illius Religionis, cujus credibilitas est tantum magis probabilis: id quod patet ex propositione 21. ab eodem Innocentio XI. damnata, ac in prima probatione conclusionis allata, quæ expresse negat, quod ad fidem supernaturalem sufficiat Judicium credibilitatis tantum probabile, seu tale, quod tantum stat inter limites probabilitatis, inter quos etiam est *opinio probabilis;* nam ex eo, quod sit magis probabilis, non cessat esse simpliciter probabilis.

Petes: quid ergo deberet facere, qui tantum haberet Judicium probabilius vel probabile de credibilitate alicujus articuli fidei? ℟. quærendo, vel est necessaria fides explicita illius articuli, vel sufficit implicita? si sufficit fides implicita, tunc non debet talis indagare ulteriora credibilitatis motiva, sed sufficit implicite credere illum articulum; quod fit dum aliquis credit omnia a Deo revelata, vel ab Eccle-

Eccleſia ad credendum propoſita. Si autem fides explicita requiritur, tunc ille homo obligatur adhibere diligentiam debitam, ut inveniat motiva talia, quæ moraliter evidentem & certam reddunt credibilitatem illius Myſterii. Neque Deus, qui facienti quod eſt in ſe, non denegat gratiam, taliter conanti deerit, ſed eum facili negotio ad optatam veritatem perducet.

§. IV.

An ad aſſenſum fidei requiratur Judicium de credibilitate evidens evidentia abſoluta?

Aſſero & reſpondeo negative. Adeoque ad actum fidei firmiſſi- 719
mum non prærequiritur in unoquoque Judicium de credibilitate Myſteriorum evidens evidentia abſoluta, qualis datur in Doctis poſt conſiderationem motivorum credibilitatis, ſed ſufficit reſpectiva, quæ datur in pueris & ſimplicibus.

P. Si non ſufficeret evidentia reſpectiva, ſed requireretur abſoluta, tunc ſoli Docti non autem ſimplices & rudes poſſent credere fide divina & ſupernaturali, ſoli enim Docti, non autem rudes & ſimplices poſſunt penetrare, & pro meritis ponderare motiva credibilitatis, quæ perfectam moralem evidentiam gignunt. Hinc S. Auguſt. L. contra Epiſtolam fundamenti c. 4. recte dicit: *in Catholica Eccleſia ad ſinceriſſimam Sapientiam pauci Spirituales perveniunt in hac vita: cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

Confirm. Pueri & rudes non habent capacitatem penetrandi motiva credibilitatis, adeoque ad credendum moventur ſola Authoritate Parentum, Inſtructorum & Parochi proponentium ipſis articulos fidei; atqui Authoritas Parentum, Inſtructoris vel Parochi non eſt ſufficiens ad faciendam evidentiam moralem abſolute talem: ergo tales non habent evidentiam de credibilitate abſolute talem.

Petes: quomodo ergo in noſtra ſententia ſimplices poſſint adhuc habere aliquod dictamen moraliter certum & evidens? ℟. Poſſe habere tali modo. Ex una parte lumen rationis alicui rudi quaſi evidenter dictat, quod ipſe in rebus a ſe ignoratis præſertim Religionis ſtare debeat Judicio illorum, quos prudenter judicat ſapientes, &

veraces, consequenter de quibus non potest prudenter formidare, ne fallant, aut fallantur. Ex altera parte talis rudis prudenter judicat, Parochum & suos Parentes ac Instructores esse Sapientes & in rebus Religionis rite instructos, nec ullum prudens dubium habet, quod fors fallant aut fallantur.

Ex his igitur principiis evidenter, scilicet evidentia morali respectiva & imperfecta deducit & concludit se prudenter agere credendo ea, quæ Parochus, & Parentes ac alii sui Instructores dicunt, & docent esse de fide credenda. Quamvis autem Rusticus vel alius Simplex hoc dictamen non semper explicite & signate formet, illud nihilominus implicite & virtualiter semper adest, dum actu credit fide divina & supernaturali.

Confirm. 1. Ex una parte juxta propositionem damnatam & superius n.711. allegatam ad actum fidei supernaturalem non sufficit judicium solum probabile de credibilitate & revelatione Mysterii credendi, consequenter requiritur judicium saltem moraliter evidens; ex altera parte non possunt simplices & rudes formare aliud judicium, quam mox explicatum: ergo Judicium mox explicatum erit moraliter evidens, evidentia scilicet respectiva.

Confirm. 2. Evidenter certum est, quod Parentes, Magistri, & Parochi habeant obligationem hos simplices & rudes instruendi in rebus fidei: ergo etiam evidenter certum est, quod simplices debeant credere his suis instructoribus &c. quando ipsis non occurrit rationabile dubium in oppositum.

Si vero alicui rudi occurreret prudens dubium de credibilitate Mysteriorum fidei, vel de propositione Parochi, aut suorum Parentum, tunc non posset rudis ille credere assensu fidei firmissimo, sed deberet ulterius inquirere, quia assensus fidei non stat cum notitia solum probabili & formidolosa revelationis; interim simplicibus raro hæc dubitatio contingit.

720 Ob. 1. Juxta nos hæreticus simplex & rudis haberet moralem evidentiam de veritate suæ sectæ; sequela non est vera: ergo neque nostra conclusio. prob. hæreticus enim simplex & rudis audit a suis Pastoribus & Parentibus suam sectam v. g. Calvinisticam esse veram, nec habet rationem dubitandi: ergo.

℞. D. M. haberet moralem evidentiam de veritate suæ sectæ, id est, talis hæreticus evidenter cognosceret suam sectam esse veram n. M. evi-

M. evidenter cognoſceret evidentia ſcilicet reſpectiva ſuam ſectam eſſe prudenter credibilem ſubd. ſi non occurrit dubium in oppoſitum c. M. ſi occurrit dubium in oppoſitum n. M. quamdiu hæreticus ſimplex non dubitat de veritate ſuæ ſectæ, ac de veritate eorum, quæ a Paſtoribus proponuntur, tamdiu eſt hæreticus materialis, adeoque poteſt prudenter credere ſuam ſectam eſſe veram, non quidem fide ſupernaturali, quæ circa falſum articulum verſari non poteſt, ſed fide naturali & acquiſita, quæ ſæpius falſa eſſe poterit, ut diſſertatione ſequente declarabitur.

Ob. 2. Illud Judicium credibilitatis non ſufficit quod poteſt di- 721
ctare etiam falſum articulum eſſe credendum fide divina; ſed judicium hoc tantum reſpective evidens poteſt etiam dictare credendum eſſe articulum falſum: ergo. M. videtur eſſe certa. m. p. hoc judicium reſpective tantum evidens dictaret etiam eſſe credendum articulum falſum, quem Parochus vel ex ignorantia, vel ex malitia proponit: ergo. a. conſtat: Authoritas enim Parochi etiam in hoc caſu deberet movere ad credendum, vel ſi in hoc caſu non eſſet ſufficiens, tunc neque in alio ſufficeret.

℞. 1. Retorq. arg. Etiam judicium credibilitatis abſolute evidens, quod omnes Docti habent, poteſt quandoque in particulari dictare eſſe aliquem articulum fide divina credendum, qui tamen non eſt de fide. Nam moralis evidentia etiam abſoluta de credibilitate alicujus objecti poteſt ſimpliciter ſtare cum falſitate talis objecti, licet hoc rariſſime fiat.

℞. 2. D. M. non ſufficit, ſi actu formidetur, vel adſit prudens ratio formidandi, ne forte Parochus &c. proponendo aliquem articulum fallat, vel fallatur c. M. ſi non formidetur, nec adſit prudens ratio formidandi n. M. & eſto, quod talis homo advertat, Parochum poſſe proponere falſum, quia tamen ſimul advertit hic & nunc imprudenter dubitari de veritate dictorum Parochi, ideo habet ſufficientiſſimam evidentiam moralem de exiſtentia revelationis, & de credibilitate articuli propoſiti. Ex quo

Colligis: tale judicium credibilitatis reſpectivum in Ruſtico & aliis ſimplicibus excludere omnem formidinem actualem & radicalem; Ratio eſt, quia formido ſive formalis ſive radicalis oritur ex hoc, quod aliquis habeat prudentem rationem dubitandi & formidandi; atqui ſimilis Ruſticus non habet, vel ſaltem non ſupponitur habere prudentem rationem dubitandi, aut formidandi: ergo.

Ob. 3.

722 Ob. 3. Stante fola evidentia credibilitatis refpectiva poffet Rufticus absque omni peccato non credere, vel negare articulum a Parocho propofitum: ergo hæc evidentia refpectiva non fufficit ad Judicium credibilitatis: habito enim Judicio credibilitatis fufficiente de aliquo articulo, is negari nequit fine hærefi. a. p. negans talem articulum a Parocho propofitum irrogaret tantum injuriam Parocho non credendo ejus dictis, & ejus propofitioni: ergo.

℟. N. M. Ipfi Deo facimus injuriam, quando non credimus ejus revelationi, & locutioni nobis fufficienter propofitæ; atqui in cafu conclufionis Revelatio & Locutio Dei eft nobis fufficienter propofita: ergo.

Præterea ficut fideles tenentur obedire mandatis Dei & Ecclefiæ per Parochum promulgatis, ita & tenentur credere articulos fidei per eundem Parochum propofitos, quamdiu fcilicet non habent prudentem rationem dubitandi de fidelitate ac veritate Parochi.

723 Ob. 4. Non eft credibile fide divina fub hac determinata hoftia contineri Chriftum; quia potuit Sacerdos hanc hoftiam non confecraffe; ergo etiam articulus fidei a Parocho propofitus Ruftico non eft credibilis fide divina, quia Parochus potuit propofuiffe aliquid falfum.

℟. D. a. Et quia poteft prudenter formidari an hæc numero hoftia fit confecrata c. a. fecus n. a. & d. c. ergo etiam articulus a Parocho propofitus Ruftico non eft credibilis fide divina, fi Rufticus poteft prudenter formidare, & dubitare, an vera fint quæ a Parocho proponuntur c. c. fecus n. c. Nec Rufticus dubitat, nec prudenter dubitare poteft hic & nunc, an vera fint, quæ Parochus docet & proponit, ut tenenda de fide. Ex his

724 Deduces 1. Quod Judicium credibilitatis præcedens actum fidei fupernaturalem non debeat effe in omnibus æqualiter evidens: Ratio eft, quia in talibus perfonis, quæ non poffunt libros legere nec meliorem inftructionem accipere, funt illa Myfteria prudentiffime credibilia, quæ ab uno tantum homine eis proponuntur, dummodo ille conftitutus fit Magifter, aut Inftructor ipforum vel a natura ut Parentes, vel a Magiftratu ut funt Parochi & alii Magiftri, & dummodo non habeant prudentem rationem dubitandi de veracitate, fidelitate, ac fcientia Inftruentis & proponentis. Ratio hujus afferti patet ex probationibus & refponfionibus noftris hucusque datis.

Deduces

Deduces 2. Bene facere Instructorem, aut Parochum, si suis concreditis etiam simplicibus proponat aliqua motiva credibilitatis v. g. miracula in testimonium nostræ fidei facta, Sanctitatem Doctrinæ &c. ut tali modo magis excludatur omne dubium & formido in oppositum, quæ alias forte posset in his simplicibus oriri, præsertim in iis locis, ubi Catholici & hæretici permixti vivunt.

Deduces 3. Non recte dici ab aliquibus RR. quod in pueris & rudibus evidentia credibilitatis suppleatur per gratiam & illustrationem Spiritus Sancti. Ratio hujus est, tum, quia aliunde via ordinaria potest evidentia credibilitatis sufficiens haberi, modo explicato, & sine recursu ad gratiam & illustrationem. Tum, quia non videtur verisimile Christum Dominum ita fidem suam, ac Religionem instituisse, ut majorem apparentiam credibilitatis requireret in rudibus, quam quæ naturaliter haberi potest, adeo, ut ejus defectum velit suppleri per extraordinarias illustrationes, ac quasi per miraculum. Tum quia non apparet quommodo illustratio divina evidentiam credibilitatis supplere possit; vel enim illustratio divina est ipsa motivum novum & fortius, quod causat evidentiam, vel inspirat aliquod novum motivum ita evidens, vel priora naturaliter cognita credibilitatis motiva v.g. Authoritatem Parochi, & obligationem ei credendi clarius & evidentius proponit; ast primum non potest dici, quia illustratio divina non est motivum, sed applicatio & cognitio motivi; ratio hujus est, quia motivum ut movere possit, debet esse præcognitum; atqui illustratio divina in hac vita a nobis non est cognoscibilis & discernibilis saltem evidenter. Neque potest alterum dici, quia Rusticum nullum aliud credibilitatis motivum ad credendum movet, quam Authoritas Parochi, & eæ rationes, quas forte a Parocho audivit, & pro modulo suo aliqualiter penetravit. Quamvis admittatur tertium, quod per illustrationem & gratiam divinam motiva credibilitatis etiam nobis melius applicentur, & sic intellectus noster per supernum auxilium adjuvetur, & facilitetur ad eliciendum judicium credibilitatis, nihilominus per hanc applicationem motiva ipsa in se non fiunt efficaciora, nec acquirunt majorem vim movendi, quam jam habuerunt antecedenter: adeoque si prius ante illustrationem non fuerunt in se sufficientia ad evidentiam moralem, neque fient ita sufficientia ad eandem evidentiam accedente illustratione divina. Adeoque potius dicendum est, quod revera jam adsint talia motiva naturaliter & præscindendo a gratia extraordinaria,

ria, ex quibus moraliter evidens credibilitatis judicium etiam a rudi formari potest.

De cætero non nego, quod ad judicium credibilitatis proximum, ante actum fidei supernaturalem concurrat illustratio supernaturalis: nam id tunc concurrere jam supra dixi; quia hoc judicium debet esse supernaturale, eo quod sit cognitio prærequisita ad actum voluntatis supernaturalem dirigendum, scilicet piam voluntatis affectionem. Siquidem nulla cognitio mere naturalis supernaturalem voluntatis actum dirigit. Neque nego, quod gratia divina motiva credibilitatis clarius proponat, intellectum facilitet ad Judicium hoc formandum, ut immediate est dictum: sed solum dico, gratiam & illustrationem divinam non supplere evidentiam Judicii, sed hanc debere ex ipsis motivis ex se evidenter suadentibus exurgere.

Articulus II.

De pia Affectione ad Actum credendi prævia.

§. I.

An ad actum fidei requiratur voluntatis motio?

725 Affero: ad assensum fidei supernaturalem requiritur voluntatis motio, seu assensus positivus voluntatis imperans assensum fidei. Communissima Theologorum contra aliquos SS. apud Herincx, qui judicant, non requiri positivum voluntatis actum, sed sufficere, quod voluntas se habeat pure permissive & non resistat.

P. 1. Ex Scoto 3. d. 25. q. 1. n. 11. seu ad finem illius quæst. ubi ait: *Credibili sufficienter præsentato non necessario credit intellectus: quia proponens credibile non demonstrat, ita, ut cogat intellectum ad assentiendum, & ideo non credit, nisi volens;* seu nisi habens actum voluntatis, per quem imperatur actus fidei.

P. 2. Ex S. Scriptura. 1. Ad Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam.* id est *voluntate imperante:* ita enim præfatum textum exponit D. Angelicus cum aliis. 2. Ad Rom. 1. *accepimus gratiam ad obediendum fidei.* Obedientia autem importat actum voluntatis, quæ quasi captivum trahit intellectum in obsequium fidei, & ideo 2. ad Cor.

10.

10. dicitur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*, id eſt, *fidei Chriſti*, ut exponit Cornelius a Lapide. Accedit Arauſicanum Can. 5. dicens: *Initium fidei eſſe credulitatis affectum*, qui utique in voluntate datur. Conſonat Trid. Seſſ. 6. cap. 5. dicens: *Libere moventur in Deum, credentes vera eſſe;* atqui credentes non poſſunt libere moveri niſi per actum voluntatis; ſolius enim voluntatis eſt libere agere.

Idem teſtatur clariſſime S. Auguſt. T. 26. in Joan. aſſerens: *Multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt niſi volens.*

P. 3. Ratione: Myſteria noſtræ fidei ſunt obſcura, & impervia humanæ menti: adeoque intellectum ad ſui aſſenſum non ſatis determinant: ergo debet accedere imperium voluntatis determinans intellectum ad aſſenſum fidei. a. quoad 1. m. per ſe conſtat, & ulterius ſequenti diſſertatione dilucidabitur. Quoad 2. memb. prob. ab experientia, qua conſtat objectum tunc tantum ex ſe determinare intellectum ad aſſenſum, quando illud in ſe eſt clarum & evidens, aut ex evidentibus principiis clare deductum, quod non fit in actu fidei: adeoque intellectus exigit voluntatis imperium, ut per illud ad aſſenſum fidei determinetur. Nam in obſcuris intellectus ſubditur imperio voluntatis, ut loquitur S. Ambroſius & experientia teſtis eſt.

Ob. 1. Objectum per motiva credibilitatis ſufficienter & ita pro- 726
ponitur, ut rapiat immediate ad ſe aſſenſum intellectus: ergo ſuperfluit imperium voluntatis.

℟. N. a. ſtantibus motivis credibilitatis habetur adhuc obſcuritas intrinſeca objecti: per motiva credibilitatis veritas objecti in ſe clare & intrinſece non oſtenditur: ut conſtat ex Artic. toto præcedente.

Ob. 2. Non poteſt intellectus aſſentiri alicui objecto niſi convincatur: atqui non convincitur per voluntatis imperium: ergo. ℟. D. M. niſi convincatur de intrinſeca veritate rei n. M. niſi convincatur de prudenti credibilitate talis rei. tr. M. quamvis autem intellectus ſit convictus de prudenti credibilitate alicujus rei, per hoc nihilominus ita res in ſe manet obſcura, adeoque ſine accedente imperio voluntatis non determinat ad aſſenſum.

Ob. 3. Ut credam relatis ab homine fide digno, non est necessarius actus voluntatis imperans assensum credulitatis: ergo neque ut credam revelatis a Deo. ℞. D. a. Si revelata ab homine sint in se evidentia t. a. si non sint evidentia. n. a.

Ob. 4. Oculus unice ad visionem movetur a colorato, non autem a voluntate imperante visionem: ergo etiam intellectus unice a veritate movetur ad assensum, non a voluntate imperante assensum. ℞. D. c. movetur intellectus a sola veritate tanquam objecto c. c. tanquam conditione applicante potentiam n. c.

Quamvis intellectus a solo vero moveatur ut ab objecto, non secus ac oculus a colore, hoc non obstante moveri etiam potest a voluntate tanquam conditione determinante & applicante intellectum ad assensum circa objectum sufficienter propositum.

Deinde magna est disparitas inter oculum qui habet debite propositum objectum coloratum, & inter intellectum, dum huic proponitur tantum objectum obscurum; oculus enim proposito objecto colorato non est indifferens ad videndum & non videndum: ast vero intellectus proposito objecto obscuro est indifferens ad assentiendum vel non assentiendum: adeoque intellectus in hoc casu subditur voluntatis imperio, a quo determinari petit.

727 Ob. 5. Intellectus est potentia necessaria: ergo non potest subdi voluntatis imperio. ℞. 1. Retorq. potentia locomotiva etiam est potentia necessaria, & tamen sæpissime potest subdi voluntatis imperio, & ab hoc dirigi. ℞. 2. D. c. non potest subdi voluntatis imperio, quando omnia requisita adsunt ad necessario agendum, consequenter quando adest objectum in se clarum necessitans ad assensum c. c. secus n. c.

Ob. 6. Fides est actus intellectus: atqui actus intellectus præcedit actum voluntatis: ergo fides præcedit actum voluntatis; adeoque aliquis actus voluntatis non potest prævie requiri ad assensum fidei.

℞. D. m. omnis actus intellectus præcedit actum voluntatis n. m. aliquis c. m. & n. c. multi actus intellectus ex imperio voluntatis procedunt ut experientia testatur. Sic imperium voluntatis intellectum applicat ad meditationem, speculationem &c. quæ sunt actus intellectus.

Ob. 7. Non potest explicari, quomodo voluntas intellectum indifferentem possit determinare ad assensum determinatum & firmissimum

mum fidei: ergo. ℞. N. a. Voluntas enim per ſuum imperium movet intellectum, ut hic fortiter apprehendat teſtimonium Dei, etſi obſcurum. Deinde per teſtimonium Dei ſic fortiter ex imperio voluntatis apprehenſum intellectus permovetur ad aſſenſum firmiſſimum, quem ſe ſolo ac ſecluſa voluntatis motione non potuiſſet elicere.

Ob. 8. Saltem in iis Articulis qui facile ſunt credibiles, ut *Deum eſſe unum, eſſe Trinum, immenſum* &c. non eſt neceſſaria pia voluntatis affectio: ergo. ℞. N. a. Quamvis objectum materiale fidei ſit facile perceptibile, tamen nobis ſemper eſt obſcurum teſtimonium Dei propter quod debemus credere; non enim clare nobis conſtat, hoc vel illud Myſterium eſſe a Deo veraci revelatum. Quapropter ratione motivi fidei & revelationis obſcuræ ſaltem requiritur pia voluntatis affectio captivans intellectum.

Ob. 9. Saltem quando fidelis per frequens fidei exercitium jam 728
aſſuetus eſt ad credendum Myſteriis fidei non videtur ſemper neceſſarium eſſe voluntatis imperium; nam tunc ipſa conſuetudo & habitus ſine voluntatis affectione jam inclinant intellectum ad credendum: ergo. a. p. poſt conſuetudinem credendi contractam non videmur in nobis ſentire amplius tale imperium: ergo. ℞. N. a. Concedo quidem conſuetudinem credendi facilitare fidem, tum, quia per ipſum exercitium & frequentatos actus fidei voluntas magis afficitur erga res fidei, adeoque citius imperat aſſenſus fidei: tum, quia ex repetitione actuum intellectus comparat habitum acquiſitum fidei pariter facilitantem ad ſimiles actus, unde fit, ut intellectus ſic aſſuefactus & habituatus minus reſiſtat voluntati imperanti aſſenſum fidei. Hinc patet reſponſio ad experientiam: videmur enim poſt conſuetudinem illam non ſentire in nobis tale imperium voluntatis, non ideo, quaſi illud non adeſſet ante actum fidei, ſed ideo, quia facillime & per conſequens quaſi inadvertenter & inſenſibiliter voluntatis motio excitatur in jam habituato fideli: prout & in multis aliis materiis apparet. Ratio ulterior quod ſemper debeat adeſſe actus voluntatis ante fidem ſupernaturalem, quia hæc eſt meritoria, conſequenter libera; atqui fides libera non poſſet eſſe, niſi a voluntate imperaretur: ergo.

Ob. 10. Si imperium voluntatis prærequireretur ad actum fidei, ſequeretur, quod fides non eſſet initium Juſtificationis: atqui fides eſt initium Juſtificationis: ergo.

℞. N. M. Non ideo fides dicitur initium juftificationis, quia nullum alium actum præfupponit; etenim femper ante actum fidei prærequiritur Judicium de credibilitate Myfterii; idcirco igitur folum fides eft initium juftificationis, quia eft primus actus fupernaturalis in fubftantia, & confequenter primus actus inter difpofitiones proxime requifitas ad juftificationem; etenim imperium vel actus voluntatis movens ad affenfum non eft femper fupernaturalis in fubftantia, fed tantum fecundum modum.

Ob. II. Dæmones credunt. Jac. 2. & quidem fine imperio voluntatis: ergo & nos credere poffumus fine imperio voluntatis. ℞. N. c. Dæmones credunt fide tantum naturali, quæ non debet ita effe firma, ficut fupernaturalis, quam nos habemus.

729 Quod mentem Doctoris Subtilis attinet, Is folet citari contra noftram fententiam. 3. d. 25. q. 2. §. *ideo dico;* ubi dicit: *fed pofita fide acquifita credibili præfente poteft intellectus per habitum infufum credere, dummodo voluntas non contramoveat, nec plus requiritur.* Ex quo dicunt aliqui, juxta Doctorem non requiri pofitivam voluntatis motionem, fed fufficere, dummodo voluntas negative & permiffive fe habeat, ac intellectui pofitive non refiftat. Verum ibi Doctor non videtur loqui affertive, fed tantum transmiffive, ac difputative: ut patet ex verbis immediate fequentibus, quibus dicit: *Et efto, quod requiratur motio pofitiva voluntatis, etiam fufficit voluntas ad fic movendum in puris naturalibus;* quafi diceret: fufficit voluntas ex fua naturali virtute fine habitu per fe infufo ad motionem & affectionem illam eliciendam; vel ad fummum Doctor ibi oppofitam fententiam etiam agnofcit ut probabilem, quamvis noftram non refpuat; imo pariter eandem admittat q. I. ad finem, prout ex verbis Ejusdem Doctoris fupra allatis colligitur. Ex his

Deducis: actum fidei effe liberum; quia ex imperio voluntatis pendet, & quia eft meritorius. Verum

730 Quæres: An actus fidei fit liber libertate exercitii & fpecificationis? ℞. I. Etiam pofito moraliter evidenti affenfu motivis credibilitatis actus fidei adhuc eft liber libertate exercitii, ita, ut voluntas poffit tunc imperare affenfum fidei, vel eundem impedire. Id expreffe habet Scotus. d. 25. q. I. circa finem, ibi: *Quamvis autem voluntas habeat imperium fuper actum credendi, non tamen habet imperium fuper actum oppofitum, ftante fide, ut intellectus diffentiat credibili propofito per imperium*

perium voluntatis; ſed NB. ſolum poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum ſuum elicitum circa credibilia propoſita.

P. Motiva credibilitatis non neceſſitant ad aſſenſum fidei, ut conſtat ex dictis: ergo etiam poſitis motivis credibilitatis aſſenſus fidei poteſt poni vel non poni, conſequenter eſt liber libertate exercitii.

An autem actus fidei ſit etiam liber libertate contrarietatis inter ſe altercantur Authores, ego vero id brevitatis gratia nolo decidere. Sufficit enim mihi, quod actus fidei habeat eam libertatem, quæ ſufficit ad meritum, nempe libertatem contradictionis, ſive deinde ſit liber libertate contrarietatis, ſive non.

§. II.

Alia de pia voluntatis affectione prævie ad Actum fidei requiſita.

Aſſero 1. Affectio Credulitatis, ac imperium voluntatis prærequi- 731
ſitum ante actum fidei ſalutarem eſt pium. 2. Et procedit ex gratia actuali divina. Communis.

P. 1. Pars. Per hunc Credulitatis affectum movemur in Deum, ſed ille actus, per quem movemur in Deum eſt pius: ergo. M. conſtat ex Trid. ſeſſ. 6. c. 6. ubi ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtificationem, dum excitati divina gratia, fidem ex auditu concipientes NB. libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt.* Ubi liber ille motus in Deum præcedens fidem, eſt ipſe credulitatis affectus.

Qua de re imperium illud ac affectio voluntatis prævia ante actum fidei ſupernaturalem, habet ſpecialem honeſtatem, quæ ſpectat ad ſpecialem virtutem; etenim hæc voluntatis motio pro objecto reſpicit ipſam honeſtatem, quæ in actu fidei elucet, quatenus nempe honeſtiſſimum eſt credere Deo loquenti, & ſumme inhoneſtum Eidem teſtanti diſſentire: hanc autem honeſtatem nulla alia virtus habet: non fides, utpote quæ reſpicit pro objecto Deum qua veracem; neque alia, ut patet per ſingulas diſcurrenti, cum nulla alia honeſtatem credendi pro objecto formali ſibi vendicet.

De reliquo, quia pia voluntatis affectio subordinatur fidei, ejusque actum promovet, hinc ad ipsam fidem moraliter censetur pertinere, ac aliquid unum cum fide constituere. Neque etiam nego, quod pia voluntatis affectio & motio credulitatis possit a charitate imperari: sed & castitas, & alia virtus a charitate imperari potest. Quo non obstante uti Castitas & aliæ virtutes a Charitate imperatæ manent virtutes distinctæ a Charitate, ita pariter pia credulitatis affectio, ac motio voluntatis erit virtus distincta a charitate.

P. 2. Pars. Tum ex Trid. cit. quod expresse dicit: quod *divina gratia excitati - libere moveamur:* Tum ex Arausicano II. can. 5. sic dicente: *Si quis sicut argumentum, ita etiam ipsum initium fidei, ipsum credulitatis affectum non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus S. sed naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contradicit.* Tum ex eo, quia juxta doctrinam Catholicam omne opus conducens ad vitam æternam debet esse ex gratia: atqui actus voluntatis moventis ad fidem conducit ad vitam æternam: ergo debet esse ex gratia.

732 Ob. Scotus ait: 3. d. 25. q. 2. n. 2. *Esto quod requiratur motio positiva voluntatis, sufficit voluntas ad sic volendum in puris naturalibus:* ergo ad piam voluntatis affectionem juxta Scotum non requiritur aliquod auxilium snpernaturale.

℟. D. a. Et Scotus per voluntatem in puris naturalibus constitutam intelligit voluntatem non instructam aliquo speciali habitu supernaturali per se infuso, qui responderet piæ voluntatis motioni c. a. intelligit voluntatem destitutam omni auxilio actuali gratiæ divinæ prævenientis, excitantis & adjuvantis n. a. In illa quæstione, ut legenti patet, Scotus egit contra D. Thomam, qui asseruit etiam ex parte voluntatis aliquem habitum per se infusum, a quo deberet procedere pia voluntatis motio; hunc solum habitum supernaturalem negavit Doctor Subtilis, non autem gratiam actualem, de qua in illa quæstione nulla erat controversia. Inde (Verba sunt P. Frassen) graviter lapsus est Suarez, cum disput. 6. de fide Sect. 7. ait: Scotum non videri a Sententia Pelagianorum distare: ab ea enim si recte intelligatur Doctor non minus distat, quam quivis alius Doctor. Ita Frassen.

733 Assero 2. Nec pia voluntatis motio ad fidem supernaturalem præcedens est supernaturalis in substantia. 2. Neque ex parte

te voluntatis habitum per se infusum requirit. Ita Scotus immediate cit. loco. & SS. omnes.

P. 1. Pars. Judicium dirigens piam voluntatis affectionem est tantum supernaturale quoad modum, non autem quoad substantiam: ergo neque pia voluntatis motio. c. constat, quia rationes illæ, quæ suadent Judicium credibilitatis prævium esse tantum supernaturale quoad modum, idipsum probant de pia voluntatis motione.

Confirm. Ex una parte actus fidei accedente gratia divina actuali sufficienter imperari potest per actum voluntatis in substantia naturalem; ex altera parte nulla efficax ratio ostendi potest pro supernaturalitate entitativa hujus actus voluntatis: ergo non est dicendum, quod sit supernaturalis quoad substantiam.

Confirm. 2. Actus aliarum virtutum moralium juxta Scotum & SS. sunt tantum naturales in entitate: ergo etiam actus piæ motionis hujus: nam & hæc motio ad virtutem moralem spectat, ac pro objecto formali respicit honestatem creatam non autem attributum aliquod divinum. Insuper non obstat, quod actus fidei quem respicit, & quem imperat affectus credulitatis sit supernaturalis in substantia. Hic enim etiam ab actu naturali respici potest; imo satis verisimile videtur, quod affectus iste voluntatis respiciat assensum fidei præcise quatenus est assensus fidei divinæ, non autem quatenus est supernaturalis. Siquidem supernaturalitas actus fidei non cadit sub experientiam, & si hæc abesset, ob defectum principii supernaturalis concurrentis, adhuc maneret pius affectus credulitatis. Itaque pia voluntatis & credulitatis motio respicit præcise honestatem, quæ relucet in hoc, quod quis Deo infinite veraci assentiat. Quæ honestas in se est naturalis, sicut & honestas Castitatis & aliarum virtutum est præcise naturalis. Supernaturalizatur autem pius affectus quoad modum propter concursum gratiæ actualis excitantis & adjuvantis, sicut & propterea extrinsece fit supernaturalis actus Religionis, Castitatis & aliarum virtutum moralium. Ex quo

P. etiam 2. Pars hujus Conclusionis. *Tum*, quia hæc pia voluntatis motio non est supernaturalis in substantia: ergo non habet sibi respondentem habitum supernaturalem in substantia: Tum, quia in sententia Scoti non dantur plures habitus per se infusi, quam habitus fidei, spei & charitatis: ergo.

Nihilominus admitto ex frequentatis piis affectibus & imperiis credulitatis posse aliquem habitum acquisitum & naturalem generari ex

ex parte voluntatis, qui postmodum voluntatem facilitet ad similes actus. Hujus enim nulla est implicantia; & inde constat, quia etiam alii actus voluntatis frequentati sibi respondentem habitum generant: ergo & isti.

734 Ob. 1. Contra 1. Partem Conclusionis. Pia voluntatis motio debet procedere ex gratia: ergo debet esse supernaturalis in substantia. ℞. N. c. Actus temperantiæ, Religionis &c. & alii similes actus morales possunt juxta SS. procedere ex gratia actuali, & tamen non sunt supernaturales in substantia.

Ob. 2. Idcirco actus Fidei, Spei, & Charitatis sunt supernaturales in substantia, quia procedunt ex gratia actuali: ergo idem dicendum est de pia voluntatis motione.

℞. N. a. Ideo actus fidei salutares sunt supernaturales in substantia, quia non possunt produci a causa mere naturali: ast de pia voluntatis motione non constat, quod ea non possit produci a causa mere naturali.

Ob. 3. Ideo dantur habitus per se infusi, & actus supernaturales in substantia, ut sit aliqua proportio inter nostra merita & prœmium beatitudinis quod est supernaturale in substantia: ergo etiam pia voluntatis motio debet esse supernaturalis in substantia propter quam actus fidei est meritorius: in tantum enim est meritorius, in quantum est liber, liber autem est, in quantum est per piam voluntatis motionem imperatus.

℞. Tr. a. n. c. Meritum fidei potest habere proportionem in supernaturalitate cum præmio beatitudinis, quamvis dependeat a volitione naturali, etenim præter volitionem naturalem concurrit habitus fidei per se infusus ad actum fidei supernaturalem eliciendum.

Ob. 4. Cum S. Thoma: quando duo agentia concurrunt ad eundem effectum, unum per modum causæ principalis, alterum per modum causæ instrumentalis, tunc major vel saltem æqualis perfectio requiritur in causa principali, ac in instrumentali; atqui voluntas est causa principalis actus fidei, utpote, quæ ad illum movet & applicat intellectum; intellectus vero est causa instrumentalis vel saltem minus principalis: ergo si in ordine ad actum fidei eliciendum requiritur ex parte intellectus aliquis habitus infusus, tunc talis multo magis exigitur ex parte voluntatis moventis, & imperantis.

℞. Cum

℞. Cum Scoto. n. M. sæpe enim in instrumento aliqua requiruntur, quibus carere potest causa principalis. Sic instrumentum sæpe debet esse acutum, solidum, durum &c. potentia vero locomotiva, quæ est causa principalis movens instrumentum non debet esse acuta, dura, aut eo modo disposita, quo instrumentum.

Dissertatio II.

DE

IPSO ACTU FIDEI SUPERNATURALI.

Articulus I.

De Veritate, & Certitudine actus fidei supernaturalis.

Veritas alicujus cognitionis est conformitas ejusdem cum objecto. 735

Certitudo una est adhæsiva, & subjectiva, quæ est ipsa firmitas adhæsionis, qua intellectus alicui objecto ita firme assentitur, ut excludat omne dubium, formidinem, ac suspicionem de opposito.

Hæc firmitas adhæsionis interdum oritur ex natura actus & motivi, ut contingit in assensu primorum principiorum, ac conclusionibus demonstratis; interdum oritur ex imperio voluntatis, ut accidit in assensibus obscuris; potestque hujusmodi imperium aliquando esse vitiosum, & imprudens, ut in hæreticis pertinacibus, qui firmissime assentiunt suis erroribus; aliquando autem virtuosum, ut in Christianis, qui ex imperio voluntatis firmissime adhærent articulis revelatis.

Certitudo altera est objectiva, quæ est infallibilitas assensus & consistit in necessaria connexione actus cum objecto verificativo. Vi hujus infallibilitatis actus intellectus essentialiter exigit, ut objectum verificativum indispensabiliter se a parte rei ita habeat, prout per talem actum affirmatur. Hæc certitudo non est ipsa veritas, sed est fundamentum & necessaria exigentia veritatis. Hinc nota ulterius, certitudinem objectivam esse iterum duplicem, unam improprie talem, quæ se tenet mere ex parte objecti, & est actui intellectus extrinseca, & datur tunc, quando objectum se non potest aliter habere: de hoc ta-

men modo non est tanta quæstio. Altera, de qua agitur, & quæ etiam certitudo formalis dici potest, quia se tenet ex parte cognitionis formalis, est illa jam explicata infallibilitas actus, ac oritur ex ipsa perfectione intrinseca actus, qui ex sua natura exigit connecti cum objecto verificativo, & qui essentialiter a se excludit omnem fallibilitatem, dubium, & formidinem.

§. I.

An Actus fidei supernaturalis possit saltem divinitus esse falsus?

736 Quæstio est: An actus fidei supernaturalis debeat esse essentialiter verus, adeoque an habitus fidei infusæ possit influere in assensum falsum, vel talem, qui non est nixus revelatione vera, sed tantum apparente, & prudenter existimata: e. g. Alicui Rustico proponitur a Parocho vel malitioso, vel ignorante, esse revelatum a Deo, quod Spiritus S. sit Incarnatus: quare Rusticus non habens rationem dubitandi de fidelitate & scientia Parochi prudenter existimat, esse revera a Deo veraci revelatam Incarnationem Spiritus S. eamque propterea esse prudenter credibilem. In hoc casu quæritur, an actus ille, quo Rusticus hic falso crederet Incarnationem Spiritus S. esset fides divina supernaturalis, causata ab habitu per se infuso influente una cum intellectu? H. N.

737 Assero: Actus fidei supernaturalis est necessario verus, adeoque in assensum falsum non potest influere fides supernaturalis infusa. Communis theologorum.

P. 1. Trid. Sess. 6. c. 9. dicit: fidei non potest subesse falsum: ergo fides supernaturalis essentialiter est vera.

Neque dicas: Tridentinum solum dicere, quod naturaliter actus fidei supernaturalis non possit esse falsus, non autem dicit, quod supernaturaliter saltem falsitas fidei supernaturali subesse nequeat. Contra est: censendum est, quod Tridentinum in præfato Canone sese accommodaverit communi sensui Ecclesiæ & Doctorum: atqui communis sensus Ecclesiæ & Doctorum judicat, ne quidem divinitus actum fidei supernaturalis posse esse falsum: ergo.

P. 2. Juxta communem Doctrinam Patrum, theologorum, & unanimem sensum fidelium fides supernaturalis est certior & magis

 infal-

infallibilis, quam quævis scientia naturalis; atqui si actus fidei saltem supernaturaliter posset esse falsus, non esset certior, sed minus certus, quam quævis scientia naturalis; siquidem quivis actus naturaliter scientificus est ita verus, ut ei nec divinitus falsum subesse queat: ergo.

Confirm. Actus ad quem determinat lumen evidens naturale, ne divinitus quidem potest esse falsus; talis actus est assensus erga prima principia: ergo a fortiori actus, ad quem præcise determinat lumen fidei supernaturale non potest esse falsus.

P. 3. Habitus fidei per se infusus datur ad perficiendum hominem in statu gratiæ & supernaturali, & inde ex natura sua solum potest influere in actus, quibus homo perficitur in linea supernaturali; atqui actus qui hominem possunt perficere in linea supernaturali gratiæ sunt soli actus veri conformes doctrinæ ac disciplinæ cælesti & divinæ, a qua hauriri debet, quidquid gratiam & salutem perficit: ergo.

Confirm. Ad salutem nil conferunt actus mere naturales, etsi illi sint aliqua perfectio naturæ rationalis: ergo minus ad salutem conferre poterunt actus falsi, qui sunt maximæ imperfectiones & vitia naturæ rationalis.

Ob. 1. Possunt Rustico proponi a Parocho duo Articuli ut re- 738
velati, quorum unus falsus, alter verus. In hoc casu Rusticus utrique articulo assensum præstat propter revelationem divinam: ergo uterque hic assensus erit supernaturalis.

℞. N. c. Nam ille assensus erit tantum supernaturalis, qui præstatur objecto vere a Deo revelato, & qui est verus. Alter vero assensus præstitus articulo falso, & putative tantum revelato est actus fidei naturalis non causatus ab habitu per se infuso. Potest tamen hic actus naturalis adhuc dici fides divina, ac theologica, in quantum est assensus præstitus propter Authoritatem *Dei* dicentis saltem putatam; non autem potest vocari fides divina *supernaturalis*: ut patet ex dictis. Ex quo

Nota: per fidem *divinam* & theologicam plerumque intelligi fidem supernaturalem; quamvis quandoque nomine hoc *fidei divinæ* possit etiam significari fides naturalis, dummodo hæc sit præstita propter Authoritatem *Dei* dicentis naturaliter cognitam.

Ob. 2. Actus aliarum virtutum supernaturalium, quæ subje- 739
ctantur in voluntate possunt interdum vitiari per finem extrinsecum

v. g. vanam gloriam: ergo etiam actus fidei supernaturalis potest vitiari per falsitatem. ℟. N. c. Falsitas enim respectu fidei divinæ esset vitium intrinsecum contra intrinsecam & essentialem infallibilitatem ejusdem fidei: adeoque sicut actus supernaturales virtutum in voluntate residentium non possunt intrinsece vitiari, aut intrinsece esse mali, ita neque actus fidei supernaturalis potest esse intrinsece vitiatus per falsitatem.

740 Ob. 3. Ideo nequit habitus fidei infusæ influere in actum falsum, quia Deus per habitum supernaturalem esset specialis Author actus falsi, qui est imperfectio naturæ rationalis: atqui Deus potest esse Author actus falsi, etsi hic sit imperfectio naturæ rationalis: ergo. m. p. Deus juxta nos potest infundere actum erroris, etsi hic sit imperfectio naturæ rationalis: ergo.

℟. n. M. Hæc enim non est nostra ratio. Probatio enim nostræ conclusionis petitur ex natura intrinseca habitus & actus supernaturalis fidei, non autem ex parte Dei, qui habitum istum produxit, & causavit. Dicimus proinde, quod habitus fidei infusus a Deo talem acceperit essentiam, quæ nullatenus potest influere in actum falsum, & quod actus fidei sit talis naturæ & essentiæ, ut ea sit incompossibilis cum falsitate. Quod totum patet ex nostris probationibus, præsertim secunda, item ex responsione data ad objectionem secundam.

℟. 2. D. M. Deus esset specialis Author actus falsi in linea morali, & supernaturali n. M. in linea tantum physica c. M. etsi admittamus posse a Deo infundi nobis errorem physicum & Speculativum, non tamen concedimus, quod Deus possit in nobis se solo immediate causare errorem practicum moralem ac supernaturalem.

741 Ob. 4. Virtutes in voluntate residentes possunt versari circa honestatem tantum prudenter æstimatam, etsi talis honestas formalis a parte rei non subsit: ergo etiam actus fidei supernaturalis possunt versari circa veritatem prudenter æstimatam, etsi hæc veritas a parte rei non subsit. a. p. sic revera est actus misericordiæ, si datur eleemosyna pauperi tantum putato, qui revera non est pauper; item est actus Religionis si adoretur hostia, quæ prudenter existimatur esse consecrata, & tamen non est consecrata.

℟. N. c. & probationem. Magnum siquidem discrimen est inter actus voluntatis & intellectus. Actus siquidem voluntatis non hauriunt perfectionem & honestatem suam ab objecto prout est a parte

rei, sed ab objecto prout apparet per Judicium prudens practicum, quod est regula immediata honestatis, cui proinde conformare debet voluntas suos actus, ut hi sint honesti. Actus vero intellectus accipiunt veritatem suam ab objecto, prout hoc est in se a parte rei; objecto enim in se spectato conformari debet actus intellectus, ut non sit erroneus, aut falsus. Certe veritas tantum putata non facit actum intellectus v. g. fidei in se verum, sicut tamen honestas existimata & putata facit actum voluntatis moraliter honestum.

Ob. 5. Prudentia est virtus intellectualis & potest tamen eli- 742
cere actum falsum: ergo & fides infusa licet sit virtus intellectualis potest tamen elicere actum falsum. a. p. Prudentia potest dictare esse adorandam hostiam, quæ non est consecrata, ut jam sæpius est dictum.

℟. 1. Non esse paritatem inter prudentiam quæ est virtus naturalis, & fidem, quæ est virtus supernaturalis. Verum hoc transmisso n. a. nam prudentia non elicit Judicium speculativum, quod hæc hostia sit consecrata, quod judicium est falsum; sed elicit duntaxat Judicium practicum quod hic & nunc honeste sit adoranda hostia, de cujus consecratione non est rationabile dubium, & hoc judicium est certum, & verum.

Ob. 6. Potuisset aliquis paulo ante Nativitatem Christi elicere 743
hunc actum fidei supernaturalem, quo credidisset Christum esse nasciturum, potuisset pariter hunc actum supernaturalem continuare post nativitatem jam peractam; atqui post nativitatem peractam hic actus fidei quamvis supernaturalis fuisset falsus: ergo. m. constat: quia nativitate peracta Christus jam erat natus, non autem amplius nasciturus.

℟. N. m. Hæc enim propositio: *Christus nascetur*, ut est actus fidei supernaturalis, consignificat solum tempus Nativitatis a Deo præfixum, & abstrahit a tempore præsenti, præterito & futuro: atqui in hoc sensu semper est vera prædicta propositio tam ante, quam post nativitatem Christi; quia importat solam nativitatem Christi coexistentem tempori præfixo a Deo, cui per accidens conveniunt præsens, præteritum vel futurum. Si autem aliquis Judæus tunc temporis voluisset tantum assentiri Nativitati Christi ut futuræ, tunc hic assensus non fuisset fidei supernaturalis, sed fuisset mere naturalis & conjecturalis; nam tali non fuisset directe revelatum tempus vel instans temporis, quo Christus nasceretur. Ex his

Dedu-

Deduces: Rufticum illum, cui a Parocho eft propofitus Articulus falfus tanquam verus, ac ut de fide credendus, teneri ad talem articulum credendum tanquam veritatem a Deo revelatam; non ideo quafi hic articulus effet a Deo revelatus, fed quia talis fimplex non habens dubium de veritate dictorum Parochi ex confcientia invincibiliter erronea judicat articulum illum effe a Deo veraci dictum & revelatum. Si autem illi difcrederet, tunc peccaret peccato infidelitatis, & perderet habitum per fe infufum: indignum enim fe redderet tali habitu; quia revelationem divinam fufficienter propofitam refpueret tanquam obnoxiam fallibilitati.

744 Petes: an affenfus vel actus fidei fupernaturalis poffit effe caufa falfi? ℞. 1. per fe id non poteft fieri. Ratio eft, quia per fe ex vero præfertim fupernaturali non fequitur nifi verum. ℞. 2. Per accidens poteft influere in affenfum falfum, fi fcilicet conclufio inferatur ex una præmiffa, quæ eft actus fidei fupernaturalis, & ex altera falfa; ut contingit in hoc fyllogifmo: *Chriftus eft homo, fed omnis homo eft Angelus: ergo Chriftus eft Angelus.* Neque hoc cedit in præjudicium fidei: quia hic defectus non ex natura actus fidei oritur, fed ex mala conjunctione cum actu falfo; fic etiam prima principia per accidens poffunt influere in affenfum vel conclufionem falfam, fi conjungantur cum alia præmiffa falfa.

Neque inferas ex hoc, aliquem actum fupernaturalem poffe effe falfum. Siquidem conclufio falfa illa illata ex præmiffa fupernaturali non participat fupernaturalitatem. Ratio hujus eft, quia præmiffa fupernaturalis non influit in ratione principii fupernaturalis, fed tantum fub ratione illa, quam communem habet cum actu naturali, nempe ratione repræfentativitatis objecti &c.

§. II.

An actus fidei fupernaturalis fit certior fubjective fcientia naturali?

745 Affero: Actus fidei fupernaturalis certitudine fubjectiva & adhæfiva eft certior quovis actu fcientifico naturali. Ita Scotus infra cit.

P. 1. Quivis Chriftianus ita firmiter adhæret articulo fidei, ut fi opus foret, negaret potius prima principia naturalia, & omnes conclu-

clusiones naturalis scientiæ, quam articulum fidei: ergo certitudo adhæsiva fidei est major, quam certitudo cujuscunque scientiæ naturalis. a. patet; tum ex sensu communi fidelium, tum ex Authoritate. Sic enim S. Aug. L. 7. Confess. 10. dicit: *facilius dubitarem vivere me, quam esse vera, quæ audivi in corde meo*, scilicet per revelationem divinam & fidem. Idem confirmat Richardus a S. Victore L. 1. de Trinit. c. 2. asserens: *nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quod fide apprehendimus.* Huc etiam facit illud S. Basilii in Psalm. 115. *fides supra naturales methodos animam ad assensum trahit:* huc etiam videtur respexisse S. Petrus Epist. 2. c. 1. v. 19. dicens: *habemus firmiorem propheticum Sermonem.*

P. 2. Ille actus est certior quovis alio actu, qui habet certius & firmius motivum, quam quivis alius actus; atqui actus fidei habet certius & firmius motivum, quam quivis alius actus: ergo actus fidei est certior quovis alio actu. M. constat: siquidem certitudo adhæsiva proportionari solet objecto motivo. m. p. actus fidei pro motivo habet veracitatem divinam revelantem, quæ magis est certa, & magis immutabilis, quam quævis motiva creata & scientifica, quibus alii actus naturales innituntur: ergo. a. constat. quia potius negare deberemus omnia alia motiva creata, quam Deum esse verum. Ex his

Deduces 1. Posita evidentia credibilitatis voluntatem insurge- 746
re & prudenter imperare actum fidei ex solo motivo veracitatis divinæ: quare actus fidei ex imperio voluntatis tunc obtinet firmitatem proportionatam suo motivo, & evadit firmissimus.

Deduces 2. Per actum fidei hominem firmius adhærere objectis revelatis, quam quis antecedenter per judicium credibilitatis adhæsit motivis & signis credibilitatis etiam collective sumptis. Ratio est, quia actus fidei procedit ex alio excellentiori motivo, quam Judicium de credibilitate. Hoc enim veritatem naturalem pro motivo suo respicit, actus vero fidei veracitatem divinam. Hinc Innocentius XI. recte damnavit propositionem ordine 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

Neque dicas contra hanc illationem: *propter quod, unumquodque* 747
tale, illud magis tale: ergo si propter motiva credibilitatis creditur aliquis Articulus, tunc firmius credantur motiva credibilitatis, quam articulus.

℞. 1. Retorq. arg. Ergo quia propter approximationem ignis comburit ſtupam, approximatio magis, quam ignis comburit eam.

℞. 2. D. a. Propter quod unumquodque tanquam rationem formalem motivam aliquid eſt tale, tunc illud motivum eſt magis tale c. a. propter quod unumquodque tanquam conditionem duntaxat aliquid eſt tale, tunc illud eſt magis tale n. a. ſicut approximatio reſpectu combuſtionis eſt tantum applicatio cauſæ, non autem eſt ipſa cauſa, ita & motiva credibilitatis ſunt tantum quædam conditio prævia impulſiva & applicativa objecti credibilitatis, non autem ſunt ratio formalis credendi; hæc enim eſt ſola veritas divina: aſt intellectus non debet ita firme adhærere huic conditioni præviæ, quam ipſi motivo formali, ac Myſterio credibili, ſicut & approximatio non debet eandem omnino perfectionem habere, quam habet ipſa cauſa. Propterea intellectus paratus eſſe debet potius negare veritatem motivorum credibilium, quam articuli revelati, dummodo tamen per impoſſibile ſublatis motivis credibilitatis aſſenſus fidei adhuc prudenter poſſet & deberet elici.

748 Ob. 1. Actus fidei ſecum compatitur dubitationes indeliberatas, has non compatitur actus ſcientiæ: ergo actus fidei non eſt adhæſive certior, quam actus ſcientiæ.

℞. N. a. Dubitationes illæ indeliberatæ antecedunt motionem voluntatis, quæ imperat actum fidei, conſequenter & præcedunt ipſum actum fidei, neque cum hoc ſunt compoſſibiles in intellectu. Voluntas per ſuam piam motionem imperat aſſenſum fidei firmiſſimum ex motivo certiſſimo: ergo & illa excludit tunc omnem dubitationem, formidinem &c. ſi enim non excluderet omnem dubitationem ac formidinem, tunc aſſenſum firmiſſimum imperare non poſſet, ut ex conceptu firmitatis & certitudinis adhæſivæ patet.

Ob. 2. Poſſum prudenter dubitare, an actus fidei, quem habeo, ſit ſupernaturalis: ergo etiam poſſum dubitare an ſit verus, conſequenter actus fidei non eſt certus certitudine adhæſiva, hæc enim excludit omne dubium.

℞. N. c. Certitudo enim adhæſiva fidei non petitur ex ſupernaturalitate, ſed ex imperio voluntatis, & motivo formali, quod eſt firmiſſimum. Hinc etiam aliquis actus fidei mere naturalis poſitis motivis credibilitatis, prudenter elicitus poteſt habere majorem certitudinem adhæſivam, quam actus aliquis ſcientiæ naturalis.

Ob. 3. Actus scientiæ est sæpe intensior, quam actus fidei: ergo etiam est sæpe certior: ℞. 1. Retorq. arg. Actus opinionis sæpe in linea opinionis est intensior quam actus scientiæ in linea scientiæ: ergo etiam est certior. ℞. 2. D. a. Est tamen inferioris ordinis, cui etiam intensissimo minor certitudo competit, quam actui fidei etiam remisso c. a. secus n. a. & c.

Ob. 4. Assensus præstitus propter evidentiam objecti est certior, quam ille qui præstatur propter imperium voluntatis; atqui assensus scientificus est præstitus propter evidentiam objecti, & assensus fidei propter imperium voluntatis: ergo.

℞. D. M. Si evidentia objecti magis alliciat ad assensum, quam motivum quo præstatur assensus fidei imperatus a voluntate c. M. secus n. M. atqui veritas divina, quæ nec falli, nec fallere potest, magis movet, quam quævis evidentia naturalis.

Ob. 5. Hugo a S. Victore ait: *fides est certitudo supra opinionem & infra scientiam:* ergo scientia habet majorem certitudinem. ℞. 1. explicando hunc textum de scientia supernaturali, quam habent Beati, seu de visione beatifica, quæ utique certiore modo attingit suum objectum, quam fides. ℞. 2. Explicando melius sub distinctione: est infra scientiam simpliciter & in se n. a. secundum quid, & quoad nos. c. a. assensus scientificus naturalis non est quidem firmior in se, quam assensus fidei, potest tamen certior dici quoad nos, quia certitudo actus scientifici est conjuncta cum evidentia objecti, non autem certitudo fidei.

Ob. 6. Quæ videntur, sunt nobis certiora quam quæ audiuntur; atqui quæ naturaliter sciuntur, quasi videntur, quæ creduntur tantum audiuntur; *fides enim ex auditu:* ergo.

℞. D. M. Cæteris paribus c. M. secus n. M. sæpe enim veridica & Authentica relatio, quæ per auditum percipitur, magis certificat, quam debilis visio: ita & magis nos certificat fides divina, quam scientia naturalis, quia fides minus fallibili nititur motivo, quam scientia naturalis.

Ob. 7. Si actus fidei est adhæsive certior, quam actus metaphysice evidens, tunc habens assensum fidei divinæ deberet ita esse constitutus, ut mallet negare objectum metaphysice evidens, quam articulum revelatum, & fide divina creditum; atqui hoc non potest esse, cum actus metaphysice evidens ex natura sua sit innegabilis & verus: ergo.

 ℞. C. M.

℞. C. M. n. m. Rationem ejus d. actus metaphyfice evidens non eft negabilis abfolute c. m. in hypothefi impoffibili, fi nimirum unum horum vel objectum fidei, vel objectum naturaliter evidens negari deberet, n. m.

§. III.

An pariter certitudo objectiva major fit in actu fupernaturali fidei quam fcientiæ?

749 Affero & Refpondeo affirmative. Scot. 4. d. 14. q. 3. n. 5. ibi: *Habenti fidem, quod Deus infpiravit totam S. Scripturam, & quod ipfe eft veritas infallibilis; certius debet effe, quidquid ab ipfo in Scriptura eft revelatum, quam illud, ad quod quicunque intellectus poteft naturali lumine attingere.*

P. 1. Ille actus eft certior objective, qui magis a fe excludit falfitatem, dubium, & formidinem; fed actus fidei fupernaturalis magis, quam actus fcientiæ naturalis a fe excludit falfitatem, confequenter & dubium, ac formidinem; nam quo magis aliquis actus a falfitate diftat, eo minus de ejus veritate dubitari poteft: ergo. M. patet ex defcriptione certitudinis objectivæ n. 735. ad finem. m. p. Actus fidei fupernaturalis ratione fuæ fupernaturalitatis utique magis exigit effe verus, ac magis excludit falfitatem &c. quam aliquis actus naturalis: Item habitus fidei fupernaturalis utique magis inclinat ad verum, quam habitus naturalis fcientiæ? Infuper actus fidei fupernaturalis exigit niti motivo magis infallibili, quam eft motivum fcientiarum naturalium, ut patet ex §. II. ergo etiam ipfe actus fidei fupernaturalis exigit magis effe infallibilis, quam fint fcientiæ naturales. Confequentia iterum liquet, quia infallibilitas ex motivo infallibili petitur; adeoque & major infallibilitas ex motivo magis infallibili.

750 Ob. 1. Actus fidei non poteft effe magis verus, quam actus fcientiæ naturalis: ergo neque poteft effe magis certus. a. p. veritas non fufcipit magis & minus, fed confiftit in indivifibili.

℞. Transmitto, quod veritas formalis confiftat in indivifibili; nego tamen, etiam in indivifibili confiftere exigentiam veritatis, quæ eft certitudo objectiva: oftenfum enim eft in probatione quod actus

fide-

fidei supernaturalis magis exigant veritatem, magisque a se excludant falsitatem quam actus scientiæ naturalis. Inde observa, quod prædicata positiva, quæ important aliquam virtutem, potentiam, exigentiam, necessitatem &c. quodammodo instar qualitatis physicæ suscipiant magis & minus, etsi forte actus ille, ad quem dicunt potentiam, exigentiam &c. consistat in indivisibili, & non admittat magis ac minus. Ita etiam una distinctio stricte realis non dicitur esse major quam altera, licet exigentia harum distinctionum sæpe sit inæqualis & nunc major, nunc minor. Sic utique plus exigunt distingui realiter quæ habent separationem actualem & proportionalem simul, quam quæ solum habent separationem unam ex his: item plus exigit distingui calor a frigore, quam unus gradus caloris ab altero.

Ob. 2. Certitudo infallibilis est negatio fallibilitatis; sed una negatio non potest esse major altera: ergo una certitudo infallibilis non potest esse major altera.

℞. D. M. Est negatio formalis n. M. est negatio tantum radicalis exigens hanc negationem c. M. & d. m. una negatio formalis non potest esse major altera c. m. radicalis n. m. & c. infallibilitas est perfectio positiva actus, quam tanquam suam radicem sequitur negatio fallibilitatis. Dato ergo, quod una formalis negatio non possit esse major altera, potest tamen una exigentia & radix negationis talis esse major altera simili exigentia & radice.

Ob. 3. Nihil potest esse certius illo, quod implicat esse falsum; atqui implicat demonstrationem metaphysice evidentem esse falsam; ergo demonstratione naturali nihil est certius: consequenter neque actus fidei supernaturalis erit illa certior.

℞. D. M. nihil potest esse certius illo, quod implicat esse falsum, si aliud nequit magis implicare c.M. si aliud potest magis implicare n.M. & d.m. implicat demonstrationem metaphysice evidentem esse falsam,& adhuc magis implicat Deum revelando mentiri, vel falsum dicere c.m. non sic magis implicat. n. m. & c. quod unum possit magis implicare patet ab exemplo: implicat enim ut duo tantum numeri constituant ternarium, & magis implicat ut eum conficiat unus solummodo numerus.

Ob. 4. Actus scientiæ naturalis excludit magis dubitationem, quam actus fidei: ergo actus scientiæ naturalis est certior actu fidei supernaturali. ℞. N. a. Ita fides excludit omne dubium & formidinem de opposito, ut si dubitandum foret, potius prima principia,

ac omnes fcientiæ naturales in dubium vocari deberent, quam vel unicus articulus fidei.

Ob. 5. Certitudo metaphyfica eft fumma, fed fcientiæ naturales habent metaphyficam certitudinem: ergo habent fummam: ergo certitudo actus fidei non poteft effe major quam eft illa fcientiarum naturalium.

℟. D. M. Eft fumma extra genus c. M. eft fumma intra genus fuum n. M. certitudo metaphyfica eft fumma extra genus, quia non datur aliud genus certitudinis excellentius, quam eft genus certitudinis metaphyficæ: aft certitudo metaphyfica non eft femper fumma intra genus fuum, eo quod intra genus fuum habeat plures fpecies, quarum una eft perfectior quam altera. Sic & ens fubftantiale eft fummum extra genus, quia non datur perfectius genus entis, quam eft fubftantia, nihilominus intra genus fuum ens fubftantiale non femper eft fummum, cum una fubftantia fit perfectior altera.

Ob. 6. Actus metaphyfice evidens habet omnimodam repugnantiam cum falfitate, & omnem falfitatem a fe excludit: ergo actus fidei non poteft effe certior actu metaphyfice evidente.

℟. D. a. Excludit omnem falfitatem, non tamen omni modo, quo poteft excludi c. a. omni modo, quo poteft excludi, ficut excludit actus fidei n. a. & c.

Ob. 7. Ex pluribus abfolute neceffariis non poteft unum magis neceffarium, & ex pluribus abfolute incompoffibilibus non poteft unum magis effe incompoffibile; fed fi fides eft certior, quam fcientia naturalis, tunc ex pluribus abfolute neceffariis, unum eft magis neceffarium &c. ergo.

℟. N. m. Sic Philofophus 4. metaph. tr. 14. ait: magis eft incompoffibile quatuor effe centum: quam quatuor effe quinque, licet utrumque fit abfolute incompoffibile.

Ob. 8. Scotus 4. d. 1. q. 1. (prout eum citat Viva) ait: quod contradictoria fint æque incompoffibilia, licet non fint æque diftantia: ergo non datur una incompoffibilitas major altera. a. etiam probari poteft ratione: non magis repugnat Deum fimul effe Deum, & non effe Deum, quam hominem fimul effe hominem, & non effe hominem: ergo.

℟. Cum Viva explicando Scotum: quod omnia contradictoria fint æque incompoffibilia folum fecundum rationem genericam oppofitionis contradictoriæ, non fecundum fpecificam; cum enim juxta

D. Sub-

D. Subtilem non omnia contradictoria ſint æque diſtantia, eoipſo ſecundum rationem ſpecificam poſſunt aliquando magis, aliquando minus incompoſſibilia eſſe. ad prob. n. a. Deus enim infinite perfectus a ſe magis excludit ſuum non eſſe, quam homo finitus & limitatus.

Ob. 9. Saltem hic aſſenſus disjunctivus Deus vel eſt trinus, vel non eſt trinus, eſt certior iſto aſſenſu fidei abſoluto; *Deus eſt trinus:* ergo adhuc actus naturaliter notus eſt certior actu fidei: a. conſtat, quia hic aſſenſus disjunctivus nititur evidentiſſimo principio naturali: *quodlibet eſt aut non eſt:* ergo. ℞. N. a. nam veritas divina revelans eſt fortius ac magis infallibile motivum, quam evidentiſſima principia naturalia; hinc actus abſolutus, quo credo & dico: *Deus eſt trinus*, eſt infallibilior ac certior, quam alter disjunctivus qui tantum in principio naturali fundatur.

Ob. 10. Ruſticus eadem firmitate adhæret articulo falſo, quam vero, ſi falſus etiam a Parocho fuerit propoſitus: ergo. ℞. D. a. adhæret eadem firmitate adhæſiva c. a. objectiva & infallibili, de qua hic eſt quæſtio n. a. Ex dictis

Deduces 1. Unum actum fidei non poſſe altero eſſe certiorem ex parte objecti formalis: ratio eſt, quia omnes actus fidei una eademque veracitate divina tanquam motivo formali nituntur.

Deduces 2. Poſſe tamen unum actum fidei altero eſſe magis infallibilem reſpectu objecti materialis; ſic enim ex parte objecti materialis eſt certior hic actus fidei: *Deus eſt trinus*, quam iſte: *Saul quæſivit aſinas.* Ratio eſt, quia magis implicat, Deum non eſſe trinum, quam Saulem non quæſiiſſe aſinas.

Articulus II.

De Obſcuritate ac Neceſſitate fidei.

§. I.

De Obſcuritate fidei.

Aſſero 1. Actus fidei divinæ eſt neceſſario & eſſentialiter obſcurus, 751
ſeu neceſſario eſſentialiter exigit aliquod objectum morale obſcurum, quod non eſt clare viſum. ita Communis Theologorum.

P. 1.

P. 1. Fides ad Heb. 11. dicitur: *argumentum non apparentium*: atqui illud, quod non apparet obscurum est: ergo. Et hinc 1. Cor. 13. fides *ænigma* vocatur: *videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; atqui ænigma pariter est obscurum: ergo.

Accedunt SS. PP. D. August. tract. 40. in Joan. *Quid est fides, nisi credere quod non vides? &* tract. 68. *si vides, non est fides.* S. Gregorius Homil. 26. in Evangelia: *Quæ apparent jam fidem non habent, sed agnitionem.* S. Chrysostomus homil. 22. in Epist. ad Hebræos, ait: *Si fides est argumentum eorum quæ non videntur, quid est, quod vultis ea videre, ut excidatis a fide.*

P. 2. Ratione: si fides non haberet objectum obscurum, sed clarum & evidens, tunc non differret a scientia; atqui fides debet differre a scientia: ergo. M. patet, quia scientia habet objectum evidens.

P. 3. Fides ideo cessabit in Patria, quia in Patria non dabitur amplius cognitio obscura, qualis necessario est fides: ergo.

752 Ob. 1. Fides est quoddam lumen supernaturale; atqui lumen non est obscurum: ergo. ℟. D. M. Fides est lumen, quatenus ignorantiam in multis rebus tollit, ac veritatibus infallibilibus nos instruit c. M. est lumen, quod objectum in se evidenter demonstrat n. M. Opinio, licet sit obscura, & evidentia careat, lumen intellectuale dicitur: ergo idem a fortiori de fide dici potest, utpote quæ tenebras ignorantiæ, quibus involvebantur gentiles, hæretici, & Judæi, infallibiliter dispergit, quamvis objecta sua non evidenter demonstret.

Ob. 2. Joan. 11. dicitur: *Quia vidisti me Thoma, credidisti:* ergo obscuritas non est necessaria ad fidem, sed stat cum evidentia objecti. ℟. ad hoc verbis S. Gregorii homil. 26. in Evangelia: *Aliud vidit, aliud credidit, vidit humanitatem Christi, & credidit ejus divinitatem.* Supra objectum, quod credebatur, scilicet supra divinitatem non cadebat visio aut evidentia.

Ob. 3. Illud solum credidit Thomas postmodum, de quo prius dubitabat; atqui prius unice dubitabat de resurrectione Humanitatis Christi, seu de Humanitate rediviva; ergo unice postmodum credidit Humanitatem Christi redivivam. ℟. t. M. n. m. S. Thomas sciens Christum Crucifixum, & mortuum, plurimum dubitavit an fuisset Deus. Visa autem resurrectione tanquam novo motivo credibilitatis inductus

ctus fuit, ut crederet Chriſtum eſſe Deum; & ideo dixit: *Dominus meus & Deus meus.*

Ob. 4. Chriſtus dicens poſtea ad Thomam; *Beati qui non viderunt. & crediderunt*, ſatis indicat, Thomam tantum id credidiſſe, quod videbat: ergo. ℞. Chriſtum tantum dixiſſe: *Beati* qui me non viderunt reſurrexiſſe, & tamen crediderunt me eſſe Deum; quia majus habent fidei ſuæ meritum.

Aſſero 2. Obſcuritas rei revelatæ non eſt motivum formale fidei, 753
ſed tantum conditio neceſſaria ad credendum.

P. 1. Motivum formale eſt, propter quod aſſentimur articulo revelato; atqui propter obſcuritatem non aſſentimur alicui articulo, bene autem propter veritatem loquentis: ergo.

P. 2. Obſcuritas objecti potius retrahit ab aſſenſu, quam ad illum movet; ſicut & tenebræ potius impediunt a viſione, quam moveant ad illam: ergo.

Dices: Obſcuritatem ſaltem fundamentalem poſſe movere ad aſſenſum. Contra eſt; obſcuritas fundamentalis eſt entitas objecti prout fundat negationem claritatis; ſed neque ſic poteſt movere ad aſſenſum, eo quod ſic non repræſentet, ſed occultet veritatem.

Quod autem obſcuritas ſit conditio neceſſaria ad credendum, patet ex Concluſione prima.

Ob. 1. Obſcuritas ponitur in definitione fidei: ergo eſt moti- 754
vum formale fidei. c. patet: fides enim debet definiri in ordine ad ſuum objectum formale. ℞. Definitionem fidei eſſe meram deſcriptionem per additamentum datam, in qua non ſola ponuntur eſſentialia, ſed & conditiones.

Ob. 2. Evidentia eſt motivum ſcientiæ: ergo & obſcuritas fidei. ℞. N. c. & parit. evidentia habet vim movendi, ac oſtendit veritatem, econtra obſcuritas non habet vim movendi, ſed occultat veritatem.

Ob. 3. Obſcuritas diſtinguit fidem ab actu alio: ergo eſt ejus objectum formale. ℞. N. c. nam non ſolum per objecta actus diſtinguuntur, ſed etiam per diverſum modum tendendi in objectum; item propter alias conditiones concurrentes.

Esset etiam tractandum, an habitus & actus fidei & scientiæ sint simul compossibiles in eodem intellectu; verum cum hæc res in Philosophia soleat pertractari, ideo ulterius ejus examen hic omitto.

§. II.

An aliquis actus fidei sit necessarius ad Justificationem & Salutem?

755 Nota 1. Aliqua esse necessaria *necessitate medii*, alia *necessitate præcepti*, necessaria *necessitate medii* sunt illa, quæ sunt media *per se* requisita & ordinata ad obtinendam, & constituendam justificationem hominis, ita quidem, ut iis etiam inculpabiliter v. g. ob ignorantiam invincibilem, aut impotentiam physicam omissis, justificatio, consequenter & æterna salus de lege ordinaria nunquam obtineatur. Justificatio autem est gratia prima sanctificans, per cujus receptionem homo vel liberatur a peccato originali, vel a peccato gravi, & filius Dei ac amicus ex mancipio Dæmonis evadit.

Hoc modo necessaria sunt v. g. *Baptismus*, qui per se requiritur, ut deleat peccatum originale, & conferat homini gratiam sanctificantem: *fides Remuneratoris*, quæ per se disponit ad primam gratiam sanctificantem & justificationem; *pœnitentia post lapsum in peccatum* actuale grave, quæ juxta ordinationem Dei nos reconciliat cum Deo: *gratia prima sanctificans;* hæc autem est forma justificans, ac formaliter constituit justificationem hominis, eumque justum & amicum Dei facit.

Necessarium necessitate præcepti est, ad quod quis obligatur sub præcepto, ita, ut quis peccet, si non adimpleat tale præceptum.

Nota 2. Omnia, quæ sunt necessaria necessitate medii, apud adultos præcepti capaces, esse simul necessaria necessitate præcepti: Ratio est, quia ipsa lex naturalis præcipit, ut ea media adhibeamus, quæ nos ad salutem perducunt.

Nota 3. Vicissim non omnia esse necessaria necessitate medii, quæ requiruntur necessitate præcepti. Ratio est: quia multa sunt a Deo hominibus præcepta, quæ non sunt media per se requisita ad justificationem & gratiam primam; hinc si talia inculpabiliter v. g. ex impo-

impotentia, aut ignorantia invincibili omittantur, justificatio tamen obtinetur. In exemplo: restitutio rei ablatæ est graviter præcepta furi; si tamen hic sit impotens ad illam faciendam, tunc restitutio omissa ei non obest ad salutem consequendam. Ex opposito, quia Baptismus in re infanti est necessarius necessitate medii, ideo infans non salvatur, aut justificatur, etsi tantum ob meram impotentiam physicam is non fuerit baptizatus. H. N.

Assero 1. Adultis nondum justificatis ad justificationem & 756
salutem necessitate medii necessarius est aliquis actus fidei. Communis.

P. 1. Ad Heb. 11. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Quæ verba expresse de fide non habituali, sed actuali, seu de actu fidei, quo creditur, intelligenda sunt; ut cuilibet rem ponderanti ad oculum liquet. Huc etiam facit illud ad Gal. 3. *Ex fide justificat gentes Deus.*

P. 2. Ex Trid. quod sess. 6. c. 7. ait de fide: *Sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Et c. 8. dicit: *fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.*

P. 3. Ex SS. PP. 1. S. Chrysost. hom. de fide: *nullus sine fide vitam habuit.* Prout jam antecedenter dixit Spiritus S. Habac. 2. *Justus ex fide vivit.* S. Aug. Serm. 38. de tempore ait: fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ista nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam. Ex hac

Conclusione & probationibus ejusdem habes, quod actus fidei non solum in nostra lege Evangelica, sed omni tempore antecedente etiam in lege antiqua & naturæ apud omnes adultos ita fuerit necessarius ad justificationem & salutem consequendam. Id, quod ulterius ostendit Apostolus jam citatus ad Heb. 11. ubi adducit exempla fidei etiam de Abel, Henoch, Noe, Abraham, & aliis antiquis Patribus, inde confirmans necessitatem ejusdem fidei.

Dixi in Conclusione: 1. *Actus fidei:* de habitu enim fidei aliunde 757
certum est, eum necessarium esse necessitate medii ad salutem. Ratio hujus est, quia nemo salvatur, nisi habeat gratiam sanctificantem,

gratiæ ſanctificanti autem ſemper eſt neceſſario annexus habitus fidei, ac ſpei &c.

Dixi 2. *Adultis eſt neceſſarius actus fidei.* Hic enim non eſt neceſſarius ad ſalutem parvulis baptizatis ante uſum rationis decedentibus, qui, utpote actus fidei incapaces ſalvantur per fidem, ſpem & charitatem habitualem in baptiſmo acceptam. Proinde & ſuſcepto baptiſmo, etſi actum credendi non habeant, inter fideles ſunt computandi juxta Trid. ſeſſ. 7. c. 13. de baptiſmo.

Dixi 3. *Adultis nondum juſtificatis.* Fides enim neceſſitate medii requiritur tanquam diſpoſitio ad juſtificationem obtinendam: ergo in adultis jam juſtificatis v. g. per baptiſmum aut pœnitentiam non requiritur amplius neceſſitate medii, licet Juſti ex præcepto graviter obligante ſæpius ad actum fidei eliciendum adſtringantur. Id quod bene obſervandum. Quare, poſito, quod aliquis in infantia baptizatus, poſtea etiam, dum ad uſum rationis pervenit, in ſtatu gratiæ permaneat, & in hoc moriatur, non tamen in tota ſua vita eliciat ullum actum fidei, eo quod obligationem de actu fidei eliciendo invincibiliter ignoret: talis homo adhuc ſalvaretur, ut ait Herincx. Ratio hujus eſt: quia tali homini utpote jam juſtificato erat actus fidei tantum neceſſarius neceſſitate præcepti: atqui ab impletione illius, quod eſt tantum neceſſarium neceſſitate præcepti, excuſat ignorantia invincibilis: ergo. Ex quo

A contrario ſequitur, peccatori gravi ante confeſſionem, & homini adulto, dum baptizatur eſſe neceſſarium actum fidei ſupernaturalem ad gratiam ſanctificantem, ac ſalutem conſequendam. Ratio eſt, quia Adulti peccatores per proprios actus ſupernaturales, inter quos primus eſt actus fidei, debent ſe diſponere ad juſtificationem. Hic tamen actus fidei implicite ſemper adeſt; non enim poſſemus dolere propter Deum offenſum, niſi crederemus ſimul in Deum, neque poſſemus per ſacramentum ſperare remiſſionem peccati, infuſionem gratiæ, ac ſalutem æternam, niſi crederemus Deum inquirentibus ſe eſſe Remuneratorem, ac Authorem gratiæ & gloriæ. Suadendum tamen, ut hi actus explicite præmittantur, tum ob majus meritum, tum ob majorem ſecuritatem.

758 Aſſero 2. Non ſufficit actus fidei late dictæ, qui tantum nititur teſtimonio creaturarum, aut naturalis eſt, ſed requiritur ut ſit ſupernaturalis, & eliciatur ex motivo Dei veracis loquentis. Communis.

P. 1.

P. 1. Est confixa ab Innoc. XI. hæc propositio, ordine 23. *fides late dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit:* ergo requiritur fides stricte dicta, quæ resolvitur in testimonium Dei, non autem in motivum aliquod inferius.

P. 2. Trid. sess. 6. jam laudatum, agens de modo præparationis ad justificationem, ait, quod eatenus homines ad eam disponantur, quatenus sunt *Credentes, vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt*: ergo indicat, fidem, quæ est præparatio ad justificationem debere niti revelatione divina.

Quod autem hæc fides debeat esse supernaturalis patet iterum ex Trid. quod sess. 6. c. 3. de Justificatione definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque Ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Item teste iterum Trid. laudata sess. c. 8. *fides est humanæ salutis initium, & radix omnis justificationis:* atqui hujusmodi radix & initium non potest haberi ex puris naturalibus, ut de fide constat, contra Pelagianos: ergo. Accedit congruentia: quia debet aliqua proportio esse mediorum cum fine; atqui beatitudo, quæ consistit in visione & amore Dei, est supernaturalis: ergo & media ad hunc finem, nempe cognitio & amor Dei, debent esse supernaturalia.

Assero 3. Actus fidei est ita necessarius Adultis, ut debeat reipsa 759
elici, & non sufficiat, si tantum eliciatur in voto.

P. 1. Authoritate Communissima Doctorum, qui textus Scripturæ explicant de actu fidei reipsa elicito.

P. 2. Ex dictis S. Pauli ad Heb. 11. ubi probans, fide justificatos esse Patres antiquos, semper affert exempla fidei re ipsa elicitæ, & non tantum habitæ in voto.

Neque dicas: Baptismus in voto quandoque sufficit ad salutem & justificationem: ergo & actus fidei in voto tantum habitus quandoque ad justificationem sufficiet.

℞. N. c. & paritatem. Disparitas est, 1. quia Ipse Christus realem elicitionem requisivit in actu fidei, non autem realem susceptionem in baptismo, ut eleganter observat D. Bernardus Epist. 77. circa medium. Nam postquam Christus dixit Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit,* non subjungit: *qui vero non crediderit, & non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed solum: qui non crediderit, condemnabitur.* Ubi igitur pronuntiat, omnem illum, qui non actu & realiter cre-

dit, esse condemnandum, non vero dicit, omnem etiam illum esse damnandum, qui non actu & realiter fuerit baptizatus. 2. Accedit congruentia hujus ordinationis divinæ; sæpe enim homo non potest baptizari actu ob defectum materiæ, aut Ministri; potest tamen adultus semper elicere actum fidei, si gratiæ illustranti non ponat obicem; hinc est, quod Christus semper requisierit realem actum fidei, non autem actualem susceptionem baptismi. 3. Accedit communis sensus Doctorum, aliter hac in parte de fide, quam baptismo sentientium. 4. Baptismus re vera suppleri potest per votum, & desiderium, quia hoc contineri potest in aliquo alio actu supernaturali, scilicet in contritione, aut amore Dei; ast non potest ostendi aliquis actus supernaturalis, qui suppleret instar voti defectum omnis fidei, vel qui sine omni actu fidei disponeret ad justificationem: nam sine fide prævia non potest dari aliquis actus supernaturalis conducens ad justificationem, & salutem; cum ex ordinatione divina fides sit initium & fundamentum omnis justificationis, & omnium actuum supernaturalium disponentium ad gratiam sanctificantem.

760 Ob. 1. Potest elici actus Charitatis ante fidem stricte dictam; sed talis actus charitatis esset justificativus: ergo posset quis justificari, etsi non haberet actum fidei stricte dictum. prob. M. posset quis accedente illustratione divina præcise ex creaturis demonstrative cognoscere Deum esse summum bonum, & summe amabilem, & ex tali cognitione moveri ad amorem Dei: ergo.

℞. Cum juxta legem Dei ordinariam fides sit fundamentum justificationis, hinc non potest dari amor justificativus, qui non præsupponat actum fidei.

Dices: Pia Credulitatis affectio & motio voluntatis, de qua quæstione præcedente, non præsupponit ante se actum fidei: ergo neque amor Dei justificativus. ℞. N. c. & parit. disparitas est 1. quia Deus ordinavit, ut actum charitatis justificativum præcedat fides supernaturalis, & stricte dicta, prout ex probationibus nostris constat. Non autem Deus statuit, ut piam voluntatis affectionem antecedat fides supernaturalis. 2. Omnem actum charitatis potest antecedere fides supernaturalis, non vero omnem voluntatis affectionem: hæc enim pia motio voluntatis est prærequisitum necessarium ad actum fidei: ergo voluntatis motio potest & debet præcedere fidem, non autem fides piam voluntatis affectionem: alias enim daretur mutua prioritas & causalitas, quæ implicat.

Inſtabis: ſufficit ſæpe ad actum ſupernaturalem, ut præcedat eum tantum fides virtualis: ergo non requiritur, ut omnem actum charitatis præcedat actus fidei formalis. a. p. ſæpe elicimus actum amoris Dei, ut ſummi boni, quin recordemur, quod a Deo infinite veraci ſit revelatum, Eum eſſe ſummum bonum; ubi certe non habemus actum formalem fidei, cum objectum formale fidei non attingamus: ergo.

℞. 1. D. a. ſufficit tantum actus fidei virtualis nequidem exercite elicitus propter motivum fidei n. a. non elicitus propter motivum fidei reflexe & ſignate c. a. Etſi enim illi, qui jam magis in ſchola fidei ſunt habituati non ſemper ſignate ſe reflectant ad motivum fidei; nihilominus illud exercite, implicite, & in confuſo attingunt, & ab illo moventur ad talem actum eliciendum.

℞. 2. D. a. & hæc ipſa fides virtualis non poteſt dari ſine aliquo alio actu fidei formali prævio, & in virtute ſua permanente, tr. a. ſecus n. a. ex quo ſequitur, quod etiam juxta illos Authores, qui fidem virtualem pro charitate juſtificativa ſufficere dicunt, debeat neceſſario neceſſitate medii ſaltem antecedenter fuiſſe elicitus aliquis actus formalis fidei, qui in virtute ſua remanet.

Ob. 2. Cornelius Centurio Act. 10. ℣. 2. dicitur: *Religioſus ac* 761
timens Deum; antequam crediderit: ergo etiam potuit ſalvari ante fidem elicitam. ℞. n. a. Cornelius enim habuit fidem ſupernaturalem de Deo Remuneratore, quamvis non habuerit fidem explicitam de Chriſto & lege Evangelica Ipſi necdum prædicata. Id, quod definit Arauſicanum II. can. 25. dicens: *Unde manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius Latronis, quem Dominus ad Paradyſi Patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui Ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.*

Inde & D. Angel. 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3tium ſcribit: *De Cornelio tamen ſciendum eſt, quod infidelis non erat; alioquin ejus operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide placere nullus poteſt: habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Evangelii veritate.*

Ob. 3. Sufficit ad ſalutem conſequendam obſervare mandata: ergo non requiritur fides. a. Conſtat. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* ℞. N. c. nam & fides eſt præcepta in primo præcepto decalogi.

Ob. 4.

Ob. 4. Sufficit ad juſtificationem, quod cognoſcatur Deus ut Remunerator; atqui Deus ut Remunerator etiam naturaliter poteſt cognoſci; ergo.

℞. D. M. ſufficit, quod Deus cognoſcatur ut Remunerator operum naturalium n. M. ſupernaturalium, & ex gratia procedentium. c. M. licet naturaliter poſſit Deus cognoſci ut Author naturæ, non poteſt naturaliter cognoſci ut Author gratiæ & gloriæ, nec ut Retributor operum ſupernaturalium ex gratia procedentium.

762 Ob. 5. *Gentiles, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Rom. 2. ergo naturaliter credendo legem adimplent; atqui ſi legem adimplent ſalvantur; ergo. ℞. D. a. & τὸ *naturaliter* in allegato textu tantum opponitur legi ſcriptæ & Moſaicæ c. a. opponitur ipſi ſupernaturalitati n. a. Aſſero juxta D. Auguſt. l. 1. de Spiritu & Littera c. 27. & S. Thomam, quod etiam gentiles, etſi non habuerint legem ſcriptam Moſaicam ſicut Judæi, tamen ex lumine naturali, accedente gratia ſupernaturali fecerint ea, quæ lex naturalis facienda dictat.

Dum autem Apoſtolus cit. loco dicit: factores legis juſtificari, intelligi debet de iis, qui totam legem naturalem, & quidem cum gratia & fide ſupernaturali obſervant.

Ob. 6. Apoſtolus Rom. 1. dicit, Philoſophos gentiles juſte eſſe damnatos, *quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* ℣. 21. ubi Apoſtolus loquitur de cognitione naturali ex creaturis hauſta, ut patet ex præcedentibus: ergo Philoſophi habuerunt ſufficientem cognitionem naturalem ex creaturis ad glorificandum Deum, & ad juſtificationem.

℞. Omnino juſte eſſe damnatos illos Philoſophos, qui agnoverunt ex lumine naturali unum & verum Deum, & tamen (ut teſtatur D. Paulus loco laudato) Idola, homines, volucres, ac ſerpentes pro Diis adorarunt, & aliis vitiis ſe inquinarunt, contra legem naturæ, quibus ſe indignos reddiderunt efficaciori illuſtratione divina, quæ Ipſos perduxiſſet ad fidem ſupernaturalem Unius & veri Dei. In forma n. c. ex Creaturis enim mediante gratia ſufficiente, quæ & iis Philoſophis adfuit, habuerunt ſolum cognitionem ſufficientem ad evitanda peccata idololatriæ, ac alia contra legem naturæ, conſequenter ad non ponendum obicem ulteriori gratiæ ipſius fidei.

763 Ob. 7. Homo in ſylvis enutritus, qui nihil audiviſſet de rebus fidei, & tamen legem naturæ obſervaſſet, ſalvaretur, ut docet D.

Thomas q. 14. de veritate art. 119. ad 1. ergo fides non requiritur ad salutem.

℞. D. a. Salvaretur sine fide n. a. salvaretur, *quia Deus, qui vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire*, illum ante mortem illuminaret, vel per humanam prædicationem, vel per gratias interiores, vel per Angelos, aut alio modo c. a.

Neque tunc fieret miraculum, si Deus hominem talem in sylvis enutritum, ac observantem legis naturalis per Angelum, aut inspirationem specialiorem &c. ad agnitionem fidei perduceret; nam sicut miraculum non est, quod secundum exigentiam naturæ contingit, etsi illud quodammodo rarum & insolitum sit, ita nec inter miracula recenseri debet id, quod ordo gratiæ connaturaliter exigit; atqui ordo gratiæ in moderna providentia connaturaliter videtur exigere ut ille, qui quantum in se est, ad aliquam gratiam se disponit, non fraudetur ea, nam Deus *facientibus quantum est in se, non denegat gratiam:* ergo cum prædictus homo in sylvis enutritus, una cum gratia illustrante per observantiam legis naturæ faciat quantum potest, pro sua salute, certe Deus non deerit, nec deesse poterit, sed ulteriores ministrabit gratias, & auxilia, quibus mediantibus ad finem, & salutem suam pertingat.

Neque hæc adeo insolita sunt, ut nunquam facta credantur. Certe Angeli jussu Philippus directus est ad Evnuchum Reginæ Candacis erudiendum, & baptizandum. Act. 8. Cornelius pariter Centurio (de quo in objectione secunda) Angeli jussu D. Petrum accersit, ab eo instructionem in fide capturus. Act. 10. Pariter S. Dionysius c. 9. de Cœlesti Hierarchia, plurimos ex gentilibus refert, qui Angelorum ministerio fidei Mysteria discentes salutem sunt consecuti.

§. III.

Quænam necessario necessitate medii sint credenda?

Assero 1. Necessitate medii ad justificationem adultis fuit semper necessaria fides explicita Dei non solum ut existentis, sed etiam ut Remuneratoris. Est communis & certa. P. 1. ex propositione 22. damnata ab Innoc. XI. sic dicente: *non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem fides explicita Remuneratoris.* 764

P. 2. Ex illo D. Pauli: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe Remunerator eſt.*

P. 3. Ex ratione: nunquam adultus potuit juſtificari niſi accedendo ad Deum pro venia: ergo adultus juſtificandus ſemper debet prius cognoſcere Deum per fidem; quomodo enim ad Eum accedere poterit, quem non prius cognovit?

P. 4. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum,* ſcilicet a benignitate Dei Remuneratoris: ergo ante omnia fides debet ferri in Deum ut Remuneratorem. Ex his

765 Colliges 1. Deum debere cognoſci per fidem ſub prædicato aliquo ſibi ſoli proprio, v. g. ſub prædicato Creatoris, Entis omni ex parte infiniti, cauſæ primæ, ſummi omnium rerum gubernatoris &c. vel ſub ratione Authoris Naturæ & gratiæ.

Colliges 2. Per Remuneratorem intelligi Deum ut Retributorem ſupernaturalem; quia ut talis eſt fundamentum ſpei, quæ tendit ad ſupernaturalia. Verbo: Deus qua *Remunerator* nil aliud eſt, quam Deus ſumme Providus, & juſtus, qui cuique juxta merita ſua reddit mercedem; quin etiam veniam, gratiam, ac beatitudinem æternam dare paratus eſt; econtra Ipſum offendentibus infligit pœnas etiam æternas. Quare ſub prædicato *Remuneratoris* implicite creditur immortalitas animæ rationalis; dum enim Deus qua Remunerator Animæ præpararit vel mercedem, vel pœnas æternas, neceſſario ſequitur, animam rationalem eſſe immortalem, & æternum duraturam.

766 Ob. 1. Poteſt amari Deus, quin cognoſcatur ut Remunerator, modo cognoſcatur ut ſumme amabilis: ergo ſine fide de Deo Remuneratore poteſt elici actus charitatis juſtificativus; adeoque ſine hac fide poteſt dari juſtificatio & ſalus.

℟. N. a. Vel ad actum amoris ſupernaturalis & diſponentis proxime ad juſtificationem requiritur, ut credatur, ac cognoſcatur Deus tanquam Author gratiæ & gloriæ, & conſequenter ut Remunerator; vel certe Deus in hac providentia non vult concurrere ad actum charitatis juſtificativum, niſi aliquando ſaltem præceſſerit actus fidei de Deo Remuneratore. Id enim ſatis indicat Apoſtolus ad Hebræos 11. nec non propoſitio damnata.

Ob. 2. Amor tendens in Deum ut Remuneratorem eſt tantum amor concupiſcentiæ & ſpei: ergo non eſt actus charitatis. a. p. Deus qua Remunerator eſt tantum nobis bonus, adeoque tantum attingibilis

bilis a ſpe, non a charitate, hæc enim attingit Deum tantum ut in ſe, non autem ut nobis bonum.

℞. 1. c. totum. Non enim amor juſtificativus debet in Deum tendere tanquam ſuum motivum; ſed unice præſupponit cognitionem Dei Remuneratoris, tanquam conditionem ex ordinatione divina prærequiſitam.

℞. 2. Eſſe *Remuneratorem,* & Authorem gratiæ ac gloriæ eſt etiam perfectio divina, Deo honorifica, & Deo bona: ergo & ea poteſt eſſe objectum amoris, ſi nempe ametur & attingatur non ut nobis, ſed ut Deo conveniens, ac bona.

Petes: an omnem actum Amoris Dei debeat præcedere fides de Deo ut Remuneratore? ℞. Probabiliter negative. Sufficit enim ſi primum actum Juſtificativum v. g. Baptiſmum, aut amorem Dei in defectu Baptiſmi hæc fides præceſſerit; Ratio eſt, quia hæc fides tantum requiritur in juſtificando, & accedente ad Deum, non autem in eo, qui jam eſt juſtificatus, & jam acceſſit ad Deum, Eumque jam per gratiam juſtificantem invenit. Juſtificatus enim ſæpius poterit amare Deum ſuper omnia, etſi de Remuneratione nihil cogitet.

Aſſero 2. Fides explicita Myſterii SS. Trinitatis, nec non Ver- 767
bi Incarnati, ac Redemptoris noſtri, probabiliter non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem etiam in lege Evangelica.

P. 1. Notitia explicita hujus utriusque Myſterii neque ex natura rei, neque ex poſitiva ordinatione eſt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem: ergo. a. quoad 1. memb. per ſe patet. quoad 2. inde liquet, quia hæc ordinatio divina non poteſt ſufficienter probari. Quare

Confirm. 1. Sine valde urgenti fundamento non debet reſtringi gratia Dei, & ampliari neceſſitas tam peremptoria ſciendi tot puncta: ergo.

Confirm, 2. Si agnoſcimus Deum ut Remuneratorem, tunc ſumus inſtructi fide ſufficienti ad inquirendum Deum pro remiſſione peccatorum: ergo non requiritur abſolute fides aliorum Myſteriorum. a. conſtat; per hoc enim, quod credamus Deum, agnoſcimus Eum ad quem accedere debeamus pro remiſſione peccatorum, per hoc autem, quod credamus Eum eſſe Remuneratorem, agnoſcimus Eum nobis eſſe benevolum, & paratum ad dandam veniam &c. Neque noſtra ſententia Authoritate extrinſeca caret. Eam enim tenet Suarez, Hau-

nold, Illfung, Lugo, Richardus de Media villa, Sotus, Bartholomæus Medina, Canus, Panez, nofter Michael Medina, Turianus, Herincx, P. Antonius Mayr &c. eft tamen hæc ipfa fententia contra Maftrium, Henno, & alios tam Scotiftas quam extraneos.

768 Ob. 1. Si fides explicita Redemptoris non effet determinate neceffaria neceffitate medii, tunc ideo, quia fine hac fide poffet dari perfecta contritio; atqui hæc ratio nulla eft; ergo. m. p. etiam fine fide Dei, ut Remuneratoris poteft dari perfecta contritio, & fides Remuneratoris eft neceffaria neceffitate medii: ergo.

℟. N. M. Ratio noftra potiffima eft, quia neceffitas abfoluta credendi Incarnationem Verbi D. &c. ac Redemptionem noftram non ita efficaciter probatur ex S. Scriptura, aut ex decifione aliqua Ecclefiæ, ficut neceffitas fidei de Deo Remuneratore. Hæc refponfio etiam applicanda erit, fi alia fimilia argumenta fiant.

Ob. 2. Myfterium SS. Trinitatis & Incarnationis funt fundamentum fidei veræ; ergo debent explicite credi. ℟. D. c. debent explicite credi neceffitate præcepti c. c. neceffitate medii n. c.

Ob. 3. Si hæc Myfteria non effent explicite credenda neceffitate medii, tunc Apoftoli fruftra illa per omnem orbem prædicaffent. ℟. N. fequelam; ad hoc enim fatis eft, quod ifta Myfteria fint credenda neceffitate præcepti, & pertineant ad ftatum perfectum noftræ Religionis & fidei, quamvis non fint neceffario credenda neceffitate medii.

Ob. 4. Ex hoc fequeretur, quod fides Chrifti & SS. Trinitatis non magis requireretur, quam fides cæterorum Myfteriorum; nam & cætera faltem pleraque Myfteria funt credenda neceffitate præcepti: fequela eft abfurda: ergo. ℟. N. M. nam fides Chrifti & SS. Trinitatis eft primario præcepta & plus, quam fides aliorum Myfteriorum.

Ob. 5. Joan. 17. dicitur: *Hæc eft vita æterna, ut cognofcant Te folum Deum verum, & quem mififti JEfum Chriftum:* in hoc textu æqualiter ad vitam æternam obtinendam requiritur fides Chrifti, ac fides Dei Ipfius; fed fides Dei eft neceffaria neceffitate medii: ergo & fides Chrifti.

℟. 1. Hic textus probabilius loquitur de vifione beatifica, qua beati actu vident Deum, ut patet ex his verbis: *hæc eft vita æterna;* adeoque vult tantum, quod vifio beatifica potiffimum & primario terminetur ad cognofcendum & videndum Deum, ac JEfum Chriftum,

tanquam ad ſua primaria objecta. Verum taliter hic textus non eſt propoſitum.

℞. 2. Explicando textum: *hæc eſt vita æterna*, ut cognoſcant te ſolum Deum neceſſitate medii, & quem miſiſti JEſum Chriſtum, neceſſitate præcepti c. ſecus n. textus enim præfatus, etſi ſit intelligendus de fide neceſſaria ad ſalutem, non intendit adſtruere omnimodam paritatem inter utrumque objectum.

Ob. 6. Alios textus S. Scripturæ, quibus videtur expreſſe dici, 769
quòd ſine fide Chriſti non ſit ſalus. ℞. 1. Illi textus, ſi in ſenſu Adverſariorum & prout jacent, ſumantur, probant nimium, ſcilicet, quod nemo ſit ſalvandus, niſi poſt explicitam Nominis JEſu invocationem, & niſi aliquis viderit Chriſtum Crucifixum, ſicut Judæi non ſunt ſanati, niſi poſt aſpectum ſerpentem.

℞. 2. Textus S. Scripturæ, ſicut & PP. qui allegari ſolent, plus non videntur probare, quam neceſſitatem præcepti poſt factam Evangelii promulgationem. Poſt hanc enim omnes, quibus fidei Myſteria ſufficienter propoſita ſunt, eadem credere tenentur; alias enim propter hoc ipſum infidelitatis ſuæ peccatum æternam damnationem mererentur.

℞. 3. Aliqui textus inſinuant, quod noſtra fides pro cauſa ſua meritoria habeat Chriſtum, & Ejus merita; Chriſtus enim per ſua merita nobis eſt meritus gratias neceſſarias ad actum fidei, & ad totam noſtram juſtificationem, atque ad omne opus, quod conducit ad vitam æternam. Tali modo exponi debet illud ad Gal. 2. ℣. 16. *non juſtificatur homo ex operibus Legis, niſi per fidem JEſu Chriſti.* d. enim ultimas particulas *niſi per fidem JEſu Chriſti:* id eſt, niſi *per fidem* quæ ſuam efficaciam & vim ſalutiferam habet ex meritis Chriſti c. a. niſi per fidem, quæ Chriſtum pro objecto habet, & quæ in Chriſtum explicite credit, v. g. dicendo: *Credo in JEſum Chriſtum.* n. a. etiam fides, qua credo in Deum Remuneratorem habet ſuam vim & efficaciam ſalutiferam ex meritis Chriſti, etſi Chriſtum explicite non attingat; ita etiam explica illud: *Non eſt in alio aliquo ſalus* &c.

℞. 4. Fidem in Chriſtum implicitam, non autem explicitam eſſe neceſſariam neceſſitate medii. Sic dum Deum credo, etiam implicite credo SS. Trinitatem, quia Deus ſimul eſt unus & trinus. Dum credo in Deum ut Remuneratorem, tunc ſimul implicite credo in Chriſtum, intuitu cujus datur Remuneratio. Taliter exponendi ſunt textus illi, qui expreſſe affirmant credendum eſſe in JEſum Chriſtum.

770 Ob. 7. Frustra fuisset D. Petrus missus ad Cornelium Centurionem, si fides Christi non esset necessaria necessitate medii; nam fidem Dei unius Remuneratoris jam habuit, cum ante adventum Petri jam fuerit justificatus, & placuerit Deo: ergo.

℞. N. a. nam etiam in illis bene & fructuose potuit instrui Cornelius, quæ sunt de necessitate præcepti, præsertim, ne subreperet aliqua ignorantia culpabilis: sicut & defacto utiliter instruuntur fideles in necessariis sola necessitate præcepti.

Ob. 8. D. Augustinus sæpius asserit absolute esse necessariam ad salutem fidem in Christum: ergo.

℞. Retorq. arg. D. Augustinus si secundum tenorem verborum accipiatur, asserit: quod fides explicita Christi fuerit omni tempore etiam in statu legis naturæ necessaria necessitate medii: item dicit; quod etiam fides in Resurrectionem Christi sit ita absolute necessaria ad justificationem; sic enim ait L. de peccato originali, c. 24. *Sine fide ergo Incarnationis, & mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos Justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat:* Verum ipsi A Arii negant fidem Christi *explicitam* fuisse omni tempore necessariam necessitate medii.

Simili modo Tridentinum, & Scotum explica, si citentur in contrarium; nam vel solum loquuntur de fide implicita in Christum, vel si de explicita, tunc solam necessitatem præcepti insinuant. Ex his

771 Deduces: quod neque ad salutem assequendam sit necessitate medii necessaria fides explicita Christi & SS. Trinitatis. Ratio est: quia hæc fides requiritur in tantum ad salutem, in quantum exigitur ad justificationem; atqui ad justificationem non requiritur necessitate medii, ergo neque ad salutem. M. constat. si enim aliquis justificatus independenter a fide in SS. Trinitatem &c. moreretur, non posset damnari, sed deberet salvari, etsi antecedenter non elicuisset hanc fidem: Ratio rationis; quia æterna salus est promissa omni in statu gratiæ morienti; si ergo aliquis in statu gratiæ sine elicita tali fide moreretur, etiam sine tali fide explicita in Christum & SS. Trinitatem salvari deberet. Gratis autem dicunt A Arii, quod Deus non permitteret quempiam ejusmodi mori in gratia, nisi prius & fidem explicitam elicuisset de Christo & SS. Trinitate; hujus enim asserti nulla ratio afferri potest, ut notant Herincx & Layman.

Deduces 2. Non obstante probabilitate majori speculativa hujus nostræ Conclusionis secundæ, quemlibet debere conari, sæpius elicere actualem & explicitam fidem SS. Trinitatis, ac Christi &c. Ratio est: *tum* quia fides horum Mysteriorum saltem est necessaria necessitate præcepti, *tum*, quia hic agitur de necessariis necessitate medii, in quibus semper est eligendum illud, quod est tutius; atqui tutius est credere ista Mysteria explicite: ergo.

Dissertatio III.

DE HABITU FIDEI INFUSO.

Articulus I.

De Unitate, ac productione Habitus fidei.

§. I.

An unus tantum sit Habitus fidei?

Quæritur, utrum habitus fidei sit unicus & simplex, vel an sit compositus ex aggregatione plurium habituum respondentium pluribus articulis, quemadmodum dicimus, quamlibet scientiam totalem non esse simplicem qualitatem, sed esse congeriem ordinatam plurium habituum inclinantium ad assensus diversarum conclusionum? ad hanc quæstionem

Respondeo & assero: Habitus fidei est unus, ac simplex, non compositus ex aggregatione plurium habituum. Est communissima Th.Th. in quam etiam inclinat Scotus 3. d. 25. q. unica. §. 2. de fide infusa, V. *similiter hoc modo teneri potest*. n. 6. 772

P. 1. Neque ex parte motivi, neque ex alia ratione adest causa multiplicandi habitus fidei infusos: ergo ii non debent multiplicari. A. p. non ex parte motivi; quia hoc est unum, nempe una veritas divina respectu omnium assensuum fidei. Neque alia ratio assignari potest, ut patebit ex resolutione objectionis statim faciendæ.

Objicies

773 Objicies igitur: Tot sunt specie distincti habitus particulares in aliqua scientia totali v. g. Physica, quot sunt specie distinctæ Conclusiones, quælibet enim distincta conclusio specialem distinctum & sibi respondentem habitum generat, ut ex Logica scimus: ergo etiam tot debent in fide assignari specie distincti habitus, quot specie distincti assensus fidei possunt dari: atqui plures specie distincti assensus fidei possunt dari: ergo & plures specie distincti habitus fidei infusæ debent dari. m. constat. sic enim assensus fidei discursivus a non discursivo, & probabiliter etiam actus quo credo SS.Trinitatem, ab actu fidei, quo affirmo resurrectionem mortuorum specie distinguuntur.

℟. N. c. & parit. Diversæ Conclusiones scientificæ nituntur diversis motivis, principiis & mediis; fides nititur unico medio & motivo in omnibus suis assensibus, etsi hi versentur circa diversissima objecta materialia &c. 2. Habitus scientifici ex frequentatis actibus generantur, suntque vestigia ab illis actibus relicta, & ex natura sua determinantur tantum ad causandos actus unius speciei, scilicet tantum ad similes iis, a quibus sunt causati; adeoque cum specie distinctæ Conclusiones & actus sint in aliqua scientia totali v.g. Physica, debent hi etiam specie distinctos habitus partiales ejusdem scientiæ generare; contra habitus per se infusus fidei non est vestigium actuum fidei, neque ab his causatur, sed immediate a Deo infunditur, habetque se instar potentiæ, quæ est indifferens ad diversos etiam specie distinctos actus eliciendos; sicut potentia intellectiva e. g. potest specie distinctos actus efficere.

774 Ob. 2. Habitus fidei acquisitus est compositus ex pluribus habitibus partialibus: ergo & habitus fidei infusæ. ℟. tr. a. n. c. Habitus enim acquisitus est vestigium & effectus actuum fidei: si ergo actus specie distinguuntur & multiplicantur, tunc etiam ita distingui & multiplicari debent habitus inde causati. Aliud est de habitu fidei infuso, ut nuper est dictum.

Per hoc tamen non nego habitum infusum fidei esse unam ita simplicem ac indivisibilem qualitatem, quasi nullo modo componi possit ex gradibus intensionis ejusdem speciei. Certum enim est, quod fides, sicut & cæteri habitus supernaturales, possit intendi, & suscipere gradus intensionis, sive per frequentationem Sacramentorum, sive per actus meritorios, sive per summam Dei liberalitatem: ideo orat Ecclesia: *Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum.*

§. II.

§. II.

De productione habitus fidei infusæ.

Nota 1. Causam materialem, seu potius subjectum immediatum habitus fidei per se infusi esse intellectum. Ratio est; habitus hic ordinatur ad cognitionem rerum Spiritualium, quæ per revelationem nobis innotescunt; ergo debet etiam subjectari in potentia cognoscitiva. 775

Nota 2. Causam formalem habitus fidei posse statui veracitatem divinam, utpote quæ est motivum formale ejusdem.

Nota. 3. Causam finalem fidei infusæ esse ipsam hominis justificationem & salutem; juxta illud 1. Petri c. 1. *reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.*

Nota 4. Omnes theologos in hoc convenire, quod habitus fidei per se infusus immediate a Deo tanquam causa efficiente causetur, & producatur, prout jam est ostensum superius. Sola difficultas remanet, utrum habitus fidei possit a Deo primitus infundi, non infusis simul habitibus spei & charitatis? vel an homo possit prius a Deo obtinere habitum fidei infusum, quam obtineat habitus reliquos per se infusos scilicet spem & charitatem, ac gratiam sanctificantem? H. N.

Assero: habitus fidei in moderna providentia potest infundi, etsi non simul infundatur habitus charitatis. Frassen, Du Pasquier contra Herincx. 776

P. 1. Habitus spei & fidei possunt sine charitate permanere in gravi peccatore: ergo etiam sine charitate possunt infundi.

P. 2. Potest aliquis ad fidem conversus habere dispositionem ad habitum fidei, & tamen non habere sufficientem dispositionem ad acquirendum habitum charitatis: ergo tunc ei infundetur habitus fidei, non autem habitus charitatis. C. videtur constare. solet enim Deus ut Author naturæ & gratiæ formas producere juxta dispositionem subjecti. a. p. potest enim fieri, ut ille Neo-conversus actu credat omnia Mysteria nostræ fidei, ut revelata a Deo, & proposita ab Ecclesia, habeat autem adhuc affectum ad aliquod peccatum grave: in hoc casu iste Neo-conversus haberet omnes dispositiones requisitas ad habitum fidei recipiendum, non autem habitum charitatis: ergo. a. quoad 2. memb. videtur constare, quia ad habitum fidei non vi-

detur major diſpoſitio requiri, quam animus paratus ad credendum, & actualis fides.

P. 3. Ex Authoritate S. Aug. Qui L. 1. ad Simplicianum q. 2. Circa initium ait: *in quibusdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum.* In quo textu loquitur de Catechumenis, qui necdum habuerunt charitatem, acceperunt tamen jam gratiam, ſeu habitum fidei: ergo.

777 Ob. 1. Juxta Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. *Hæc omnia NB. ſimul infuſa accipit homo, fidem ſpem, & charitatem:* ergo ante charitatem nunquam infunditur fides. ℟. D. a. hæc omnia ſimul infuſa accipit, poſito, quod prius homo non fuerit inſtructus aliquo habitu ex iſtis c. a. ſecus n. a. Imo Trid. videtur cit. loco nobis favere, ſtatim enim ſubjungit: *nam fides, niſi ad eam accedat charitas, neque unit perfecte cum Chriſto &c.* ubi ſupponit, quod fides quandoque præſupponatur charitati, & quod charitas poſtea accedere debeat, ut fidem vivam formatamque reddat.

Ob. 2. Ante charitatem infuſam non poſſunt acquiri virtutes morales infuſæ: ergo neque fides vel ſpes ante charitatem obtineri poteſt. ℟. Hoc argumentum nobis non faceſſere negotium, quia virtutes morales per ſe infuſas non admittimus.

Ob. 3. Ipſa indiſpoſitio ad recipiendam charitatem facit hominem indiſpoſitum ad recipiendam fidem: ergo homo non poteſt eſſe diſpoſitus ad fidem infuſam, quin ſit ſimul diſpoſitus ad charitatem infuſam.

℟. N. c. Indiſpoſitio enim hominis ad retinendam & conſervandam charitatem non facit hominem ſtatim indiſpoſitum ad retinendam, & conſervandam fidem infuſam; ut patet in gravi peccatore, ubi ob grave peccatum expellitur charitas & gratia ſanctificans, non autem fides infuſa: ergo etiam ipſa indiſpoſitio ad recipiendam charitatem non facit hominem ſtatim indiſpoſitum ad recipiendam fidem infuſam.

778 Tandem poſſunt omnia argumenta facile ſolvi, ſi notentur ſequentia. 1. Deus nunquam infundit habitum fidei ſine habitu charitatis, quando homo eſt diſpoſitus ad recipiendum utrumque hunc habitum; infundit vero unum ſine altero, quando homo eſt tantum diſpoſitus ad recipiendum unum, non autem ad alterum. Et taliter explicandus eſt Scotus, cum aliis oppoſitis. 2. Habitus fidei & ſpei poſſe intendi, etiam non intenſo, aut aucto habitu charitatis: ſi enim

nim elicerentur actus fidei & ſpei non elicito actu charitatis. Similiter peccator gravis, dum elicit actum fidei aut ſpei, auget ac intendit habitus fidei & ſpei; ratio eſt: quia elicitio horum actuum etiamſi ſolitarie ſine actu & habitu charitatis fiat, videtur eſſe ſufficiens diſpoſitio moralis, ut ea poſita Deus vel omnino hos habitus producat, ſi in eliciente necdum præexiſtant, vel ut eos intendat, ſi ii jam præexiſtant.

3. Gratia ſanctificans non ſe habet per modum naturæ ſupernaturalis, e qua phyſice promanant virtutes per ſe infuſæ. Si enim hoc eſſet verum, tunc non poſſet fides & ſpes in gravi peccatore permanere deſtructa gratia. Verum de hoc plura in tractatu de Gratia.

Articulus II.

De ſubjecto habitus fidei?

Status quæſtionis eſt, in quibus ſubjectis reperiatur fides infuſa. De ſubjecto proximo jam eſt dictum §. præcedente: nam hoc eſt unus & ſolus intellectus: igitur modo inquiritur ſubjectum remotum.

§. I.

An fides infuſa, vel habitus fidei ſupernaturalis fuerit in Angelis in ſtatu viæ?

Nota, Angelos fuiſſe in ſtatu viæ, quando poſt creationem ſuam erant in eo ſtatu, in quo necdum beatificati poterant peccare, vel bene agere & mereri. In hoc ſtatu viæ proinde Angeli boni meriti ſunt gloriam & beatitudinem ſuam, mali vero æternam damnationem. H. N.

Aſſero: Angeli, dum in ſtatu viæ erant, habebant habitum in- 779
fuſum fidei. ita Fraſſen, Henno & alii.

P. 1. Angeli in ſtatu viæ habuerunt gratiam ſanctificantem, quam boni conſervarunt bene agendo, mali peccando deperdiderunt; ergo Angeli in ſtatu viæ habuerunt pariter fidem infuſam; hæc enim in ſtatu viæ cum gratia conjungi petit.

P. 2. Angeli in ftatu viæ potuerunt accedere ad Deum merendo gloriam æternam; atqui *accedentem ad Deum oportet credere:* ad Heb. 11. v. 6. ergo.

Confirm. Angelus in ftatu viæ bene agendo potuit placere Deo: atqui fine fide impoffibile eft placere Deo: ergo.

P. 3. Angeli in ftatu viæ cognoverunt Myfteria gratiæ per cognitionem fidei: ergo debuerunt habere in illo ftatu fidem. a. p. cognoverunt enim hæc Myfteria per revelationem, quæ debuit effe obfcura; & plane obfcuritas fidei & revelationis maxime conveniebat ftatui Angelorum, utpote in quo necdum erant comprehenfores, confequenter iftis clara cognitio rerum fpiritualium necdum erat conveniens, *item* obfcuritas fidei maxime fervit ad augendum meritum fidei.

P. 4. Angeli in ftatu viæ habebant fpem: ergo & fidem. a. conftat: Angeli enim in ftatu viæ erant viatores, qui per fpem ad patriam fuam & beatitudinem fupernaturalem tendebant. c. p. fpes præfupponit fidem: fides enim eft fubftantia rerum fperandarum.

780 Ob. 1. Angelus in via clare cognovit effentiam & Perfonas divinas: habuit enim juxta Scotum fpeciem claram repræfentativam Effentiæ & Perfonarum: ergo non habuit tunc fidem, cum fides & fcientia non poffint fimul ftare.

℟. tr. a. d. c. ergo non habuit fidem circa effentiam divinam & Perfonalitates clare cognitas tr. c. non habuit fidem circa alia, quæ ifta fpecies non clare repræfentavit, v. g. Circa Deum qua Remuneratorem, circa dona fupernaturalia, ac circa Incarnationem Verbi divini n. c.

Ob. 2. Cognitiones Angelorum fuerunt evidentes juxta S. Bonaventuram: ergo. ℟. D. a. erant evidentes evidentia in atteftante, id eft, evidenter cognoverunt, quod Deus hæc Myfteria ipfis revelarit c. a. habuerunt evidentiam intrinfecam Myfteriorum revelatorum. n. a evidentia in atteftante non repugnat fidei, ut alibi eft dictum.

Ob. 3. Beati non habent fidem; atqui Angeli tefte Aug. L. 11. de civit. c. 13. fuerunt ab initio fuæ creationis jam beati: ergo non habuerunt fidem. ℟. D. M. fuerunt beati, beatitudine naturali & inchoata, quatenus media fpecie clara ipfis indita Deum cognoverunt evidenter. tr. M. fuerunt beati, beatitudine fupernaturali & confummata. n. M. beatitudo confummata & fupernaturalis folummodo repugnat fidei.

Ob. 4.

Ob. 4. Tali modo Angeli fuiſſent miſeri ab initio ſuæ creationis, quia juxta D. Auguſtinum miſer eſt omnis, qui caret viſione beatifica: ergo. ℞. N. a. Ad rationem dico, illum tantum eſſe miſerum, qui caret viſione beatifica ob peccatum, non autem illum, qui ideo caret viſione beatifica, quia eam necdum meruit, & tamen merere poteſt.

Ob. 5. In Angelis omnia fuerunt perfecta; atqui fides eſt imperfecta: ergo. ℞. D. m. eſt imperfecta abſolute & in ſe. n. m. reſpective, ſeu reſpectu viſionis beatificæ, quæ eſt perfectior fide c. m. fuerunt igitur in Angelis in via exiſtentibus omnia perfecta abſolute, non autem reſpective. Ex his

Colligis: quod etiam primi Parentes in ſtatu Innocentiæ habuerint fidem infuſam. Rationes enim, quæ pro Concluſione adductæ ſunt, idipſum etiam probant de primis Parentibus in ſtatu Innocentiæ. Accedit, quod damnata ſit iſta Propoſitio Baji: *Abſurda eſt ſententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſuper conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, & charitate ſupernaturaliter Deum coleret:* adeoque veritas contraria huic damnatæ propoſitioni eſt approbata.

§. II.

An Beati & animæ in purgatorio habeant fidem infuſam?

Aſſero: Habitus fidei infuſæ non manet in Beatis, bene in animabus in purgatorio.

P. 1. Ratione Scoti. Hic habitus fruſtra remaneret in Bea- 781
tis, ergo non datur in Beatis. c. videtur eſſe certa: quia nullus habitus in Beatis videtur fruſtra remanere. a. p. non enim poſſet amplius habere ſuum actum; actus enim fidei eſt eſſentialiter obſcurus; atqui in Patria in qua habetur viſio beatifica, non poteſt dari actus obſcurus.

P. 2. Juxta Apoſtolum 1. Cor. 13. *Cum venerit autem quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt;* id eſt: quando venit clara & perfecta cognitio Dei in Patria, tunc ceſſabit obſcura & reſpective imperfecta cognitio per fidem habita: ergo juxta Apoſtolum non manet amplius fides in Patria.

 Con-

Confirm. 1. Apostolus cit. loc. dicit: *Charitas nunquam excidit:* in quem textum S. Hieronymus ait: *Charitas nunquam excidit, id est: ipsa sola permanet in futuro.* S. Chrysostomus hom. 34. in Pauli verba ait: charitatem esse majorem, quia fides & spes transeunt, charitas autem durat. Idem tenent S. Aug. Serm. 53. de tempore. S. Anselmus in illum locum Pauli, & alii.

Confirm. 2. Fides in terris tantum supplevit vices luminis gloriæ, ad quod tanquam ad suam perfectionem ordinabatur: ergo dum in Beatis advenit lumen gloriæ, fides omnino evacuatur, juxta illud Apostoli: *cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.*

Dices: In gloria tantum evacuari fidem actualem, non autem habitum fidei. Contra est 1. dicta Apostoli intelliguntur a DD. communiter non solum de fide actuali, sed & habituali. 2. Fides actualis evacuatur, quia ei succedit visio beatifica: ergo & fides habitualis evacuabitur in patria, quia ei succedit habitus luminis gloriæ. 3. Si Apostolus loqueretur de sola fide actuali, tunc non solum fides, sed & charitas extingueretur & evacuaretur in Patria, sequela est contra Apostolum, cum juxta eum charitas nunquam etiam in Patria excidat: ergo. M. p. Nam actus charitatis, quos nos habuimus in via, non amplius manent, aut eliciuntur in Patria, sed alii specie distincti, ac longe nobiliores, quam hi, quos habuimus in via.

P. 2. Pars. Quia istæ animæ necdum sunt in Patria, nec habent claram visionem Dei: ergo nil repugnat, quin habeant habitum & actum fidei. Idem est dicendum de Patribus, qui in Limbo existebant.

Dices: Animæ in purgatorio non amplius possunt mereri: ergo jam sunt in termino, & non amplius sunt in via. ℟. D. c. non amplius sunt in via ad meritum, seu non amplius possunt mereri c. c. non sunt in via ad beatitudinem, seu jam sunt in termino suæ beatitudinis n. c.

782 Ob. 1. Contra 1. part. Concl. S. Iræneus & Tertullianus asserunt tres virtutes Theologicas manere in Patria: ergo etiam manent fides & spes. ℟. Fidem & spem manere eminenter in visione beatifica & fruitione, non autem formaliter in propriis suis entitatibus.

Ob. 2.

Ob. 2 Beati credunt futurum ultimum diem Judicii, corporum reſurrectionem &c. ergo. ℞. N. a. Hæc enim omnia vident in Verbo intuitive. Si autem aliqua cognoſcunt extra Verbum, tunc ea vident per proprias rerum ſpecies, adeoque tunc ſuperfluit fides. Præterea dato etiam, quod Beati aliqua credant in cælo, quæ ipſis revelantur extra Verbum, hoc enim transmiſſo non oporteret in iis relinqui habitum fidei pro paucis iſtis & ſecundariis actibus, cum non poſſet operari circa primarium objectum, Deum nempe, qui in Patria clare videtur.

Ob. 3. Permanent in Beatis aliquæ potentiæ, quæ nunquam operabuntur, ut potentia nutritiva &c. ergo & fides remanebit, etſi illa nunquam ſit operatura. ℞. N. c. licet enim illæ potentiæ ſint inutiles ad actum, ſunt tamen utiles ad hominis integritatem, vel ad alium finem a Deo intentum; habitus autem fidei non eſſet utilis vel neceſſarius ad aliquem finem, cum ejus officium longe excellentius & perfectius peragat lumen gloriæ.

Ob. 4. Poteſt dari Prophetia in Beato: ergo & fides infuſa. ℞. N. c. nam ad Prophetiam non requiritur, ut ejus objectum ſit in ſe obſcurum, ſed ſufficit ut ejus objectum non ſit cognitum iis, quibus loquitur, & illud annuntiat Propheta; aliud eſt de fide, cujus objectum debet eſſe obſcurum credenti.

§. III.

An habitus infuſus fidei maneat in damnatis?

Aſſero: Dæmones & damnati non habent habitum fidei infu- 783
ſum. Hæc eſt communior apud theologos; eſt tamen contra durandum prout eum citat noſter Fraſſen.

P. 1. Authoritate S. Auguſtini L. 9. de civit. Dei. c. 21. ubi dicit: dæmones cognoſcere Chriſtum non *lumine fidei*, *ſed efficacia ſignorum.*

P. 2. Dona & auxilia gratiæ non communicantur damnatis: atqui habitus fidei infuſus eſt donum & auxilium gratiæ: ergo habitus fidei infuſus non communicatur damnatis. m. per ſe claret. M. p. *tum*, quia juxta S. Dionyſium L. de divin. Nominibus c. 4. *Damnati carent omnibus divinis donis.* *Tum*, quia aſſerente Chriſto Matth. 7. *Sanctum non datur canibus, nec Margaritæ projiciuntur ante porcos.*

P. 3.

P. 3. Fides infusa habitualis idcirco conceditur, *tum* ut quis fiat membrum Christi, & ejus corpori Mystico, nempe Ecclesiæ inferatur, *tum*, ut sit radix justificationis & fundamentum rerum sperandarum; atqui dæmones & damnati non sunt amplius membra Ecclesiæ Christi, sed sunt palmites aridi & abscissi, ac in ignem missi, neque amplius sunt capaces justificationis, aut Beatitudinis sperandæ: ergo. Verbo: auxilia supernaturalia dantur vel in ordine ad beatitudinem assequendam, vel ad eam possidendam; atqui damnati nec possident Beatitudinem, nec eam assequi possunt: ergo non amplius ipsis est utile aliquod auxilium supernaturale: consequenter nullum tale auxilium & donum supernaturale ipsis a Deo amplius conceditur; nam Deus nihil concedit inutile aut frustraneum.

784 Ob. 1. Character Sacramentalis manet in damnatis: ergo & fides infusa. ℞. N. c. Habitus enim fidei tantum datur propter operationes supernaturales fidei, & propter fines in probationibus specificatos; cum ergo hi fines sint impossibiles in damnatis, in iis non poterit dari habitus fidei per se infusus. Econtra character ex suo fine est in ornamentum bonis, & in confusionem malis. Inde cum alterum saltem finem in damnatis, nempe eorum confusionem habeat, ideo & in iis manet.

Ob. 2. Si fides infusa in damnatis non manet, tunc nulla est in inferno distinctio inter fideles & infideles, sed debet esse distinctio: ergo. ℞. N. M. Satis enim distinguuntur pœnis; magis enim affliguntur fideles quam infideles; deinde fideles baptizati satis ab infidelibus dignoscuntur per characterem baptismi.

Ob. 3. Fides in damnatis, qui nunquam fuerunt infideles non habet contrarium, a quo corrumpatur: ergo in iis non corrumpitur aut destruitur. ℞. N. c. fides enim non tollitur a contrario in damnatis, sed ab ipso Deo in primo instanti damnationis, sicut & gratia sanctificans in peccatore immediate a Deo destruitur in primo instanti peccati gravis.

Ob. 4. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Jac. 2. ergo & dæmones habent fidem. ℞. D. a. Credunt fide infusa & supernaturali n. a. fide acquisita naturali & experimentali c. a.

Ob. 5. Ab Apostolo, & D. Augustino L. de fide & operibus: Comparatur fides peccatorum fidei dæmonum: sed fides peccatorum est infusa: ergo & fides dæmonum.

℞. D. M.

℟. D. M. Comparatur fides peccatorum fidei dæmonum quoad naturam n. M. quoad ſterilitatem c. M. ſicut dæmonibus omnino nihil prodeſt fides, ita nec peccatoribus ſua fides prodeſſe poteſt ſaltem ad meritum condignum; *fides enim ſine operibus mortua eſt.*

§. IV.

An fides maneat in gravi peccatore, & hæretico?

Aſſero 1. Habitus fidei perſeverat in peccatore gravi, gratia 785
& charitate deſtituto, dummodo nullum peccatum infidelitatis commiſerit. eſt de fide. P. 1. Ex Tridentino, quod Seſſ. 6. c. 15. definit: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.*

P. 2. Per illud peccatum tantum deſtruitur fides, quod immediate opponitur fidei; ſed fidei tantum opponitur peccatum infidelitatis & hæreſis, non autem aliud: ergo fides tantum deſtruitur per peccatum hæreſis & infidelitatis, non autem per aliud.

Aſſero 2. Hæreticus, qui etiam uni tantum diſcredit articulo, 786
non habet habitum fidei infuſum, ſed eum perdit totaliter. eſt communis contra Durandum.

P. 1. Quicunque vel uni articulo diſcredit, eſt vere infidelis; atqui qui eſt infidelis non habet habitum fidei: ergo. M. conſtat; nam quælibet hæreſis etiam circa unum articulum eſt infidelitas. m. prob. ex Trid. Seſſ. 6. c. 15. ubi dicit, quod per infidelitatem ipſa fides amittatur.

P. 2. Qui unum hominem odio perſequitur, etſi cæteros omnes diligat, non poteſt conſervare habitum charitatis infuſæ: ergo etiam ille, qui diſcredit uni articulo, etiamſi omnes reliquos articulos credat, non poteſt conſervare habitum fidei infuſæ, ſed hunc neceſſario perdet.

P. 3. Habitus fidei eſt indiviſibilis: ergo ubi debet perire ob aliquam infidelitatem, debet totus perire. Ex hoc datur diſparitas inter habitus per ſe infuſos & acquiſitos: habitus enim acquiſitus alicujus ſcientiæ totalis non eſt ſimplex & indiviſibilis, ſed eſt multi-

plex & adunatus ex variis etiam ſpecie diſtinctis habitibus partialibus, qui ſeorſim & ſucceſſive comparantur, & ſeorſim ac ſucceſſive poſſunt deperdi.

P. 4. Qui labitur in aliquam hæreſim circa unum tantum articulum, deſtruit totum objectum motivum fidei, & quantum eſt de ſe, facit veritatem divinam fallibilem: ergo talis & totum habitum fidei perdere debet.

787 Ob. 1. Hæreticus diſcredens uni articulo, habet adhuc facilitatem credendi reliquis articulis: ergo adhuc habet fidem. ℞. D. c. adhuc habet fidem acquiſitam & naturalem c. c. fidem ſupernaturalem & infuſam. n. c.

Ob. 2. Actus Hæreſis, quo Lutheranus negat Chriſtum eſſe in Evchariſtia ante ſumptionem, non opponitur habitui fidei: ergo per talem actum non deſtruitur fides.

℞. D. a. non opponitur phyſice c. a. moraliter & ex ordinatione divina n. a. neque per peccatum infidelitatis phyſice deſtruitur habitus fidei, ſed tantum moraliter & demeritorie, quatenus per hæreſin Deus movetur ad deſtruendum habitum illum ſupernaturalem; conſequenter Deus ſicut eſt cauſa phyſica productiva habituum infuſorum, ita eſt etiam cauſa phyſica deſtructiva eorundem.

Ob. 3. Hæreticus non negat aliquem articulum, quia credit Deum eſſe fallibilem, ſed quia non credit talem articulum eſſe a Deo revelatum: ergo actus infidelitatis non opponitur motivo fidei.

℞. Licet hæreticus ſignate & reflexe non credat Deum eſſe fallibilem, id tamen facit exercite, dum negat aliquem articulum ſufficienter propoſitum tanquam a Deo revelatum: negando enim talem articulum, de cujus revelatione prudenter dubitari nequit, implicite ſimul negat authoritatem & veritatem Dei revelantis.

Ob. 4. Poſſum adhibere fidem homini narranti unum, & poſſum eidem diſcredere narranti alterum: ergo & idem reſpectu Dei poteſt fieri. ℞. n. c. & paritatem. motivum adæquatum cur credamus

mus homini non eſt ſola hominis Authoritas, ſed etiam veriſimilitudo rei narratæ, cum pro una re narrata poſſit adeſſe veriſimilitudo, non autem pro altera; hinc non eſt mirum, quod quandoque unum aſſertum hominis credamus, non autem alterum. In materia autem fidei motivum credendi eſt ſola loquentis Dei Authoritas, ideo eam non poſſumus credere fallibilem in uno, niſi & eandem credamus eſſe ſimiliter fallibilem in altero.

Ob. ultimo. Apoſtoli in triduo mortis credebant Myſterium Dei unius &c. & tamen non habebant fidem in Chriſtum: ergo. ℞. D. a. & tamen non habebant fidem in Chriſtum interne n. a. id eſt, non exercuerunt profeſſionem externam fidei, ſicut tenebantur c. a. atqui in hoc nulla infidelitas poſitiva; dato autem quod aliquis ex Apoſtolis in aliquam infidelitatem poſitivam lapſus fuiſſet, tunc talis permanente ea infidelitate non potuiſſet fidem Theologicam ſupernaturalem elicere.







Tractatus IV.

DE

SPE, ET CHARITATE.

Dissertatio I.

DE

SPE THEOLOGICA.

Articulus I.

De natura, objecto, & subjecto spei Theologicæ & supernaturali.

§. I.

De Natura, & Objecto Spei.

788 Spes in genere est desiderium alicujus boni possibilis, absentis, ac verisimiliter possidendi. Quare ad objectum spei requiritur 1. ut sit *bonum*: spes enim est desiderium & actus voluntatis prosecutivus; atqui voluntas non prosequitur aliud objectum, quam bonum. 2. Objectum spei debet esse *possibile*: impossibilia enim non possumus efficaciter sperare, aut desiderare, licet in ea inefficaci complacentia tendere possimus. 3. Bonum, quod speratur debet esse *absens*, & *futurum*, non autem potest esse præsens, aut actu possessum. Illud enim, quod præsens est, & possidetur, non speratur, sed tenetur. Hinc Apostolus ad Rom. c. 8. ait: *Spes, quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* id est: illud quod præsens est, & actu videtur, ac possidetur, non cadit sub objectum spei: quomodo enim

enim quis ſperabit id, quod jam tenet? accedit D. Auguſt. Enchirid. c. 8. dicens: *Spes non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi NB. futurarum, & ad eum pertinentium, qui eandem ſpem gerere perhibetur.* 4. Debet hoc bonum quod ſperarur eſſe veriſimiliter obtinibile, ac futurum. Quamvis enim Ruſticus v. g. ſciat regiam dignitatem ſibi eſſe obtentu poſſibilem, illam tamen non ſperat; quia illius obtinendæ non eſt veriſimilis apparentia.

Addunt plerique 5. bonum, quod ſperatur, debere eſſe proprium ipſi ſperanti, non aliis; quia aliis proprie non ſperamus bonum ſed optamus. Ita ſentit D. Auguſt. loc. & textu cit. ubi etiam docet fidem verſari circa res ſuas & alienas, ſpem autem ſolum circa res ſuas. Dum autem dicimus, *ſpero hunc, vel illum hominem ſalvandum*, locutio eſt impropria, neque intelligitur ſpes in rigore dicta.

Inſuper ad ſpem requiri ſolet 6. ut ejus objectum ſit *arduum*, ſeu difficulter obtinibile. Verum hoc ſpectat juxta P. Herincx ad quæſtionem de nomine, cum quævis objecta abſentia ſive difficulter, ſive facile obtinibilia ſperari poſſint, utpote quæ necdum actu ſunt poſſeſſa.

Requirunt non nulli 7. ut bonum, quod ſperatur, ſit tantum probabiliter ſeu non certo futurum. Verum etiam hoc non videtur ad ſpem exigi. Nam etiam res, quæ certo eſt futura, poteſt efficaciter deſiderari.

Spes vero in ſpecie, prout eſt virtus Theologica & ſupernaturalis, recte deſcribitur, quod ſit virtus per ſe infuſa, ac Theologica, qua ex liberali Dei promiſſione fiducialiter deſideramus nobis Deum per auxilia ſupernaturalia ac merita noſtra obtinendum, & beatifice ac ſupernaturaliter poſſidendum. Particulæ hujus deſcriptionis partim jam conſtant, partim ex dicendis eluceſcent. Ita definitur ſpes habitualis, ſeu habitus ſpei: inde autem facile colligitur deſcriptio actus ſpei: hic enim nil aliud eſt, quam efficax & intrinſece ſupernaturale deſiderium Dei præfato modo obtinendi & poſſidendi.

Aſſero 1. Objectum materiale primarium ſpei eſt Deus beatifice poſſidendus; adeoque nec ſolus Deus, nec ſola beatifica poſſeſſio & fruitio Dei, ſed ambo ſimul conſtituunt objectum primarium ſpei noſtræ. Communior. Colligitur ex Scoto. 3. d. 26. n. 11. 789

Ante probationes. Nota 1. Deum esse beatitudinem nostram *objectivam:* possessionem vero Dei, quæ consistit in visione beatifica, & fruitione Dei, esse beatitudinem formalem.

Nota 2. Quod nos vocamus hic objectum materiale, vocari a Thomistis formale quod, ac terminativum.

P. 1. Illud est objectum spei nostræ in terris, quod post hanc vitam exspectamus in Cælis, atqui post hanc vitam exspectamus utramque beatitudinem præfatam, nempe Deum, & ejus beatificam possessionem: ergo. m. p. exspectamus post hanc vitam Deum beatifice per visionem & fruitionem possidendum: ergo exspectamus & Deum & ejus possessionem, seu ejus visionem & beatificum amorem. Deus enim qua possidendus non potest intelligi nisi intelligatur complexum constitutum ex Deo & ejus possessione.

P. 2. Illud speramus, quod nos in æternum beatificat, atqui in æternum nos nec solus Deus, nec sola possessio Dei beatificat, sed complexum ex utroque simul: ergo & complexum hoc ex utroque simul speramus, scilicet Deum & ejus beatificam possessionem.

P. 3. Spes avari est pecunia, ut possidenda, ita quidem, ut simul feratur in pecuniam, & ejus possessionem: non enim solum sperat existentiam pecuniæ, sed & ejus possessionem: ergo & spes nostra non solum fertur in Deum, sed simul in ejus possessionem; adeoque pro objecto habet & Deum, & simul Dei possessionem.

P. 4. Finis qui, seu *objectivus*, & finis quo seu *formalis* constituunt unum immediatum objectum desiderii nostri: sic non sola sanitas, quæ est finis *qui*, sed simul possessio ac obtentio sanitatis, quæ est finis *quo* ab ægro desideratur: ergo pariter non sola beatitudo objectiva, seu Deus, sed & ejus beatifica possessio per modum unius immediate objecti a nobis desideratur & speratur.

Dices 1. Possessionem Dei tantum connotari in obliquo. Contra est: illud non connotatur in obliquo, quod immediate attingitur a spe; sed immediate a spe attingitur, desideratur, & speratur possessio Dei, sicut ab avaro possessio pecuniæ, & ab ægro obtentio & possessio sanitatis: ergo.

Dices 2. Cum Durando, Spem quidem ferri in utrumque, sed immediate in possessionem Dei, & mediate tantum in Deum.

Contra est: Si Deus non esset objectum immediatum, quod speratur, tunc spes non esset virtus Theologica; atqui juxta omnes spes

est

eſt virtus Theologica: ergo. M. patet: nam & ideo Religio non eſt virtus theologica, quia tantum mediate attingit Deum.

Ob. 1. Objectum Spei debet eſſe futurum; atqui Deus non eſt futurus, ſed ſemper eſt præſens: ergo Deus non eſt objectum ſpei. 790

℟. D. m. Deus entitative ſpectatus non eſt futurus c. m. Deus, quatenus eſt terminus, & objectum actu terminans viſionem & fruitionem beatificam non eſt futurus. n. m. ſicut ipſa viſio beatifica eſt futura: ita & eam Deus qua objectum primum terminat futuro tempore.

Ob. 2. Idem objectum eſt deſperationis, & Spei; ſed objectum deſperationis non eſt Deus, bene autem poſſeſſio ſeu viſio Dei: ergo & ſpei. ℟. D. m. non eſt Deus nude ſumptus c. m. Deus poſſidendus, ſeu complexum ex Deo & ejus poſſeſſione n. m. damnati deſperant de Deo poſſidendo.

Ob. 3. Deus tantum nobis eſt bonus ratione fruitionis: ergo tantum ſperatur ratione fruitionis & poſſeſſionis. ℟. N. a. nam & Deus habet maximam bonitatem in ſe; imo ipſa fruitio eſt bona nobis, quia ejus objectum nempe Deus nobis bonus eſt.

Ob. 4. Qui ſperat ſcientiam, non ſperat objectum ſcientiæ: ergo etiam qui ſperat beatitudinem, non ſperat objectum beatitudinis, ſeu Deum. ℟. D. a. non ſperat ejus objectum in eſſe reali c. a. in eſſe objectivo, & intentionali, ſeu in eſſe ſcibili & cognito n. a. & d. c. ergo etiam qui ſperat beatitudinem non ſperat objectum beatitudinis, ſeu Deum in eſſe reali & entitative c. c. in eſſe objectivo & intentionali. n. c. qui quærit ſcientiam alicujus rei, petit rem illam habere cognitam, & objective ſibi præſentem, & qui ſperat beatitudinem æternam, deſiderat Deum poſſidere in eſſe objectivo, ſeu ſperat Deum habere tanquam objectum ſuæ viſionis & fruitionis beatificæ.

Ob. 5. Etſi non amemus bonum, niſi cognitum, cognitio tamen non eſt objectum amoris: ergo etſi non ſperemus Deum, niſi ut poſſidendum, non ſequitur, quod poſſeſſio ſit objectum ſpei.

℟. N. c. & parit. Cognitio enim ordinarie tantum applicat objectum amabile, non autem ſatiat appetitum ratione ſui, ſed ratione objecti applicati; & hinc non amatur cognitio, ſed objectum cognitum. Poſſeſſio vero alicujus boni eſt per ſe ſatiativa. Quare licet

avaru

avarus diligat pecuniam fecundum fe fpectatam, magis tamen diligit pecuniam poffeffam.

Dixi *ordinarie;* fæpe enim ipfa cognitio appetitur, defideratur & fperatur. Nam & cognitio gaudet aliqua bonitate: fic & vifio, ac cognitio Dei fperari, amari, ac appeti poteft.

Ob. 6. Virtutis & fcientiæ objectum debet effe unum; atqui beatitudo formalis & objectiva non funt quid unum: ergo. ℞. D.M. debent effe unum in entitate n. M. in ratione objecti totalis terminantis illam virtutem vel fcientiam c. M. non raro plures diftinctæ entitates in unum adæquatum objectum alicujus virtutis vel fcientiæ coalefcunt, fic omnia credibilia unum objectum totale fidei conftituunt; & Deus, Proximus, & nos ipfi fumus objectum materiale charitatis &c. quamvis autem complexum ex Deo & poffeffione ejus fit primarium & immediatum ac ultimatum fpei noftræ, nihilominus fi Deus feorfim confideratur, tunc eft objectum principalius, ac dignius, poffeffio vero Dei, feu vifio & fruitio funt tantum minus principale, minusque dignum.

791 Affero 2. Objecta fecundaria fpei noftræ funt omnia illa bona creata, tam naturalia quam fupernaturalia, quæ ad Beatitudinis confecutionem conferunt five remote, five proxime, vel excitando, vel auxiliando, vel impedimenta tollendo. Communis.

P. Qui vult & fperat finem, fperat etiam media: ergo qui fperat beatitudinem æternam tanquam finem, fperat etiam media ad beatitudinem conducentia, fcilicet gratias, remiffionem peccatorum, fublationem occafionis peccandi &c.

792 Affero 3. Objectum formale fpei eft bonitas beatitudinis tam objectivæ & formalis: quatenus hæc utraque beatitudo nobis bona & conveniens eft, ita P. Herincx contra multos alios.

P. 1. Illud eft formale motivum fpei, quod nos formaliter movet ad fperandam & defiderandam illam beatitudinem: atqui nos movet bonitas utriusque illius beatitudinis, quatenus hæc nobis eft conveniens: ergo. M. conftat. m. prob. non enim fperamus ex alia caufa Deum ut beatifice poffidendum, nifi quia Deus taliter poffeffus nobis bonus & conveniens eft, ac nos beatificat: ergo.

P. 2. Spes naturalis non refpicit divitias, fanitatem & alias res naturales, nifi quatenus hæ funt bonæ fperantibus; ergo & fpes fupernaturalis non aliter refpicit Deum, & beatitudinem, nifi quatenus hæc nobis funt bona, & conveniunt.

P. 3.

P. 3. Spes diſtinguitur a charitate: quia charitas eſt amor amicitiæ & reſpicit Deum prout eſt bonus in ſe; ſpes vero eſt amor concupiſcentiæ & reſpicit Deum ut bonum nobis: ergo ſpes pro motivo habet Deum ut bonum nobis.

P. 4. Non eſt dubium, quin ſit dabilis aliqua virtus Theologica Deum ut bonum nobis attingens: Non eſt autem ratio, cur hæc virtus quæ ſic attingit, non ſit virtus ſpei: ergo. Ex his

Colligis 1. Quod motivum formale ſpei non ſit arduitas & dif- 793
ficultas obtinendæ beatitudinis. Ratio eſt: quia difficultas obtinendæ beatitudinis non movet nos ad ſperandam beatitudinem, ſed potius ab ea deſideranda abſterret.

Colligis 2. Neque objectum formale ſpei eſſe omnipotentiam divinam ut auxiliantem. Ratio eſt: quia omnipotentia divina ut auxilians ſe potius habet ut cauſa efficiens mediorum ad beatitudinem conducentium, ac ipſius beatitudinis formalis; non autem eſt motivum formale nos movens ad concupiſcendam beatitudinem; ſed tale motivum eſt bonitas ipſius beatitudinis; hæc enim formaliter facit beatitudinem deſiderabilem, & amabilem amore concupiſcentiæ.

Colligis 3. Nec promiſſionem divinam, nec fidelitatem aut veracitatem Divinam eſſe motiva ſpei. Ratio eſt: quia hæc omnia tantum nobis applicant bonitatem beatitudinis utriusque quatenus nobis convenientem: adeoque non conſtituunt ſimul motivum formale ſpei, ſed ſolum ſunt quædam conditiones neceſſariæ ad hoc, ut bonitas reſpectiva Dei ac beatitudinis nos poſſit movere ad actum ſpei.

§. II.

De Subjecto Spei.

Aſſero 1. Habitus & actus Spei immediate ſubjectantur in vo- 794
luntate non in intellectu. Du Paſquier, Henno & alii contra Boyvin.

P. 1. Authoritate Scoti, qui 3. d. 26. n. 18. ait: *Charitas perficit voluntatem, in quantum affectiva eſt, affectione juſtitiæ, & ſpes perficit eam, in quantum eſt affectiva affectione commodi.*

P. 2. Spes conſiſtit in deſiderio; atqui deſiderium eſt actus voluntatis: ergo ſpes eſt actus voluntatis. M. conſtat. nullus dicitur ſperare aliquid, niſi illud deſideret.

P. 3. Per ſpem tendimus in Deum ut ſumme bonum nobis; atqui bonum eſt objectum voluntatis: ergo. Authoritates quæ in contrarium afferuntur, tantum volunt, quod actum Spei debeat ſemper præcedere aliquis actus intellectus, vel quod ſpes radicalis non autem formalis ſit actus intellectus.

795 Aſſero 2. Spes eſt in animabus in purgatorio. Communis Th. Th. P. Animæ in purgatorio necdum acquiſierunt beatitudinem: ergo eam ſperare poſſunt.

Ob. 1. Animæ in purgatorio non amplius ſunt in via: ergo non amplius habent ſpem. ℞. D. a. non amplius ſunt in via ad meritum, ſeu non amplius mereri poſſunt c. a. non amplius ſunt in via ad beatitudinem n. a.

Ob. 2. Animæ illæ habent certitudinem de aſſequenda beatitudine: ergo eam non poſſunt ſperare. ℞. N. c. Certitudo non obſtat ſpei & deſiderio, ſicut enim malum certo futurum timemus, ita & bonum certo futurum ſperare poſſumus. Pariter poſſumus deſiderare ortum ſolis, etſi hic ſit certus.

Ob. 3. Animæ in purgatorio non poſſunt deſperare: ergo neque ſperare. c. conſtat: potentia enim eſt ad contraria.

℞. 1. Retorq. Arg. Beati in cælo non poſſunt odiſſe Deum: ergo neque amare. ℞. 2. n. c. potentia tantum tunc eſt ad contraria, quando nihil obſtat.

796 Aſſero 3. Spes non eſt in damnatis. P. 1. Proverb. 11. dicitur: *mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes.* 2. Fruſtra ibi ponitur habitus, ubi impoſſibilis ejus eſt actus, ſed actus ſpei eſt impoſſibilis in damnatis: ergo. m. conſtat; cum enim damnati videant ſibi eſſe impoſſibilem beatitudinem, eandem ſperare nequeunt. Si autem deſiderant, tunc hoc deſiderium eſt naturale & inefficax. 3. Damnati carent habitu & actu fidei ſupernaturalis; ergo etiam carere debent ſpe ſupernaturali; nam fides eſt fundamentum ſpei: adeoque ubi deficit fundamentum ſpei, debet etiam ipſa ſpes deficere.

797 Aſſero 4. Spes probabiliter non manet in Beatis. P. 1. Iisdem fere argumentis, quibus probata eſt concluſio poſita n. 781.

P. 2. Ex extravagante *Benedictus*, ubi definitur a Benedicto XI. ut refert Malderus hic art. 3. Viſionem Dei evacuare actum Spei; ſi autem in Patria per viſionem Dei evacuatur actus ſpei, ad quid deinde eſt habitus ſine actu.

P. 3. Objectum spei debet esse absens, & futurum; atqui beatitudo Beatis non est absens, nec ipsis futura est: ergo eam non possunt sperare.

P. 4. Spei in Patria succedit possessio Dei: ergo hæc possessio evacuat, & extinguit spem.

P. 5. Objectum spei non debet esse clare cognitum, sed fide tantum creditum: atqui fides non amplius habet locum in Beatis: ergo neque spes.

Ob. Beati sperant resurrectionem suorum corporum, & eorum 798
glorificationem: ergo habent spem. ℟. D. a. Sperant, seu desiderant appetitu innato, quo anima appetit conjungi cum suo corpore c. a. appetitu elicito, qui esset spes Theologica n. a. Beati clare vident in Verbo futuram resurrectionem suorum Corporum, non autem eam cognoscunt per fidem: ergo illam sperare non possunt actu spei theologicæ, quia spes theologica saltem ex ordinatione divina in moderna providentia præsupponit fidem tanquam suam basin & fundamentum: fides enim est substantia rerum sperandarum. Huc etiam facit illud Apostoli ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* hæc responsio ad alia quoque solvenda servit.

Quæres 1. Quos actus habeat spes theologica? ℟. Inter actus 799
spei numerantur 1. omnes illi actus voluntatis, quibus fideles expresse intendunt prosequi beatitudinem, aut media adhibere in ordine ad illam consequendam, dum scilicet ejus intuitu proponunt instituere sanctam vel meliorem vitam, quærere occasiones recte agendi &c. 2. Præter actus prosecutionis sunt quoque actus fugæ, quibus homo fugit & odit malum beatitudini disconveniens, vel avertens a beatitudine. Huc igitur spectant illi actus, quibus intendimus fugere peccata, tanquam mala illa, quæ nos a beatitudine æterna impediunt; Pariter huc reducitur *timor*, quo timemus peccatum, & æternam damnationem &c.

Quæres 2. An Spes theologica sit certa? ℟. Spes nostra est 800
certa, 2. non tamen formaliter, 3. sed præsuppositive, & participative. Prob. 1. Pars. Quia Spes nostra sæpius certa & firma dicitur in S. Scriptura. 2. Cor. 1. v. 7. *Ut spes nostra firma sit pro vobis.* ad Heb. 6. v. 18. *Confugimus ad tenendam spem, quam sicut Anchoram habemus animæ, tutam, ac firmam.* Accedit, Trid. Sess. 6. c. 13. dicens: *de perseverantiæ munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polli-*

ceatur, tametfi in Dei auxilio firmiffimam fpem collocare omnes debent.

P. 2. pars. Certitudo pertinet formaliter ad actus intellectus, non autem ad actus voluntatis, atqui Spes eft actus voluntatis: ergo. M. Conftat; quia certitudo eft quafi fecuritas de veritate, quæ ad intellectum fpectat.

P. 3. pars. Spes eft certa, in quantum intellectus per cognitionem certam fidei fupernaturalis proponit motivum, & objectum materiale Spei; ergo Spes noftra eft tantum certa participative & præfuppofitive, in quantum præfupponit certitudinem actus intellectus & fidei, & hunc quodammodo participat, in quantum vi hujus certæ cognitionis fpes noftra etiam firmatur, ut abfque hæfitatione profequatur, & defideret bona æterna promiffa. Ubi præterea notandum, fpem noftram tantum conditionate firmam & certam effe, non autem abfolute. Sperare enim beatitudinem tantum poffumus fub hac conditione, fi noftris partibus non defimus, & gratiæ Dei fideliter cooperemur. Id quod colligitur ex Trid. cit. & illo ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu & tremore veftram falutem operamini.* Hinc noftra fpes utut conditionate firma, tamen femper eft conjuncta cum rationabili timore; quia non fumus certi, an ex noftra parte nihil fit defuturum ad falutem confequendam.

Articulus. II.

An Deus poffit alicui revelare fuam damnationem abfolute futuram, & an talis adhuc poffit fperare fuam falutem?

§. I.

Refolvitur primum Dubium hujus Articuli.

Nota 1. Certum effe, quod detur præceptum fperandi, de quo theologi morales.

Nota 2. Certum pariter effe, quod Deus alicui homini viatori poffit conditionate damnationem æternam revelare; uti conftat ex illo S. Scripturæ: *nifi pœnitentiam egeritis, omnes fimul peribitis.* Unde folum

solum dubitatur, an absolute & sine conditione aliqua possit hæc revelatio fieri homini adhuc in hac vita existenti?

Assero 1. Deus de potentia ordinaria non potest alicui homini 801
adhuc in vita & via existenti revelare suam æternam damnationem. Mastrius, Henno, & alii.

P. Non constat, quod defacto Deus ulli absolute suam damnationem revelarit, & si quæ hujusmodi revelationes in S. Scriptura reperiantur, eæ non sunt absolutæ, sed tantum sub conditione factæ, si scilicet pœnitentia non fuerit acta: ergo signum est, de facto Deum statuisse, quod nulli homini velit absolute revelare suam æternam damnationem.

Ob. 1. Non constat de ullo decreto, quo Deus statuisset, quod 802
nulli hominum in hac vita velit revelare suam damnationem: ergo. ℞. n. a. hoc decretum colligimus *tum:* a posteriori; quia Deus nunquam legitur fecisse talem revelationem. Tum ex illo: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Ex quo habemus, quod in moderna providentia nobis voluerit occultam esse finalem sententiam. Nec obstat: quod aliquibus revelata fuerit finalis perseverantia, & æterna salus; hæc enim fuit gratia singularis facta de potentia Dei extraordinaria. Insuper magis congruum est divinæ bonitati & sapientiæ alicui revelare suam salutem, quam æternam damnationem.

Ob. 2. Judæ est revelata sua damnatio, sic Matth. 27. dixit Christus: *væ homini illi, per quem filius hominis tradetur:* ubi per *væ*, pœna sempiterna intelligitur: & Joan. 17. cum coram discipulis oraret Jesus, vocavit Judam filium perditionis: ergo. ℞. Textus ille Matthæi continet tantum comminationem conditionatam factam ideo, ut per eam Judas a suo peccato retraheretur. Ex altero autem textu solum sequitur: quod reliquis Apostolis fuerit revelata damnatio Judæ, non autem ipsi Judæ; hic enim non amplius aderat tunc, dum Jesus illam orationem coram reliquis discipulis peragebat, ut colligitur ex c. 13. v. 10. Joannis.

Ob. 3. Est defacto revelata damnatio Antichristi 2. ad Thessalon. 2. ergo.

℞. Perditio Anti-Christi est revelata Ecclesiæ, non autem ipsi Anti Christo facienda erit. Nec Anti-Christus, si nascatur, tenebitur credere se esse Anti-Christum.

803 Affero 2. De potentia abfoluta poteft Deus peccatori revelare fuam damnationem abfolute futuram. Communior Theologorum.

P. Nulla eft repugnantia hujus revelationis, five ex parte Dei, five ex parte objecti, five ex parte hominis. Non ex parte Dei: Deus enim poffet ordinare talem revelationem ad finem bonum, fcilicet ad terrorem aliorum, ut fuam falutem ferio in timore operentur. Neque hæc revelatio effet mala aut repugnans ex parte objecti; quia effet de objecto juftitiæ vindicativæ, decernentis juftas peccatis pœnas. Neque repugnaret, aut mala foret ex parte hominis, quia hunc non ex natura fua incitaret ad peccatum, fed pofito, quod peccaret, tunc id faceret ex propria malitia: ergo.

804 Ob. 1. Omnis damnatio hominis eft tantum conditionate futura: ergo ea non poteft abfolute revelari. ℟. D. a. Eft tantum conditionate futura, quando non eft purificata conditio c. a. fi eft purificata conditio faltem in cognitione & prævifione Dei n. a. veritates conditionales purificata conditione fiunt abfolutæ.

Ob. 2. Talis revelatio moraliter neceffitaret hominem ad peccandum: ergo ea non eft poffibilis. prob. a. peccata enim plerumque declinamus ob folam fpem falutis, & ob declinandam damnationem: ergo.

℟. N. a. Talis homo adhuc retineret gratias fufficientes ad vitanda peccata, & fimul motivum ea vitandi, ne fcilicet fuam damnationem pejorem reddat accumulatione peccatorum.

Ob. 3. Similis homo, cui fieret revelatio æternæ fuæ damnationis, deberet fe conformare divinæ voluntati, quia hæc obligatio ftringit omnes; & non deberet, alioquin deberet velle fuam æternam damnationem, quod eft peccatum: ergo.

℟. D. Deberet velle fuam damnationem, ut jufto Dei Judicio dictatam c. ut confiftit in futura finali impœnitentia n. vel potius debet velle & adorare juftam Dei fententiam, qua æternis flammis adjicitur, non autem debet velle caufam hujus fententiæ, fcilicet peccatum, ac impœnitentiam finalem.

Ob. 4. Talis homo licite defperare poffet, & non poffet; *non poffet*, quia defperatio eft malum intrinfece illicitum; *poffet*, quia certus effet, quod nullam confecuturus effet mifericordiam: ergo. Ante refponfionem.

Nota: defperationem poffe bifarium accipi. 1mo modo poteft aliquis defperare, quia judicat, quod Deus quantum eft ex fe, nolit illum

illum ſalvare; vel quia credit, Deum non eſſe paratum ad danda auxilia ſufficientia pro ſalute conſequenda; vel quia deteſtatur ſuam ſalutem cum contemptu. Et deſperatio hoc ſenſu ſumpta ſemper eſt intrinſece peccaminoſa, & nunquam licet. Altero modo poteſt aliquis deſperare, quia refugit, vel non vult proſequi ſuam ſalutem, eoquod credat, ſe ob ſuam impœnitentiam, & ex ſua culpa non eſſe conſecuturum miſericordiam. Tali modo conſiderata deſperatio eſt ſolum ex hypotheſi intrinſece mala, quando nempe non eſt certum, quod Deus homini finaliter ſit denegaturus ſuam miſericordiam. Si autem per revelationem hoc certum foret, tunc ita de miſericordia Dei deſperare liceret. Quare in forma reſpondeo & dico; talem hominem poſſe quidem deſperare de ſalute conſequenda, non autem de auxiliis & gratiis ad ſalutem ſufficientibus.

Aſſero 3. Deus de potentia abſoluta poſſet & homini juſto re- 805
velare ſuam futuram damnationem. Maſtrius & alii.

P. Quamvis Juſtus non mereatur talem pœnam damnationis de præſenti, eam tamen meretur vi ſtatus futuri, quo eſt peccaturus: ergo poteſt illa damnatio illi antea indicari, & quidem ex fine honeſto, ne juſti de præſenti Juſtitia nimium confidant aut ſuperbiant.

Ob. Revelatio, qua Deus Juſto intimaret ſuam æternam damnationem eſſet maxima pœna de præſenti, quam Juſtus necdum meritus eſſet; atqui videtur repugnare bonitati divinæ aliquem afficere pœna maxima, quam quis non eſt meritus: ergo. M. eſt certa; quia talis homo per hanc revelationem conſtitueretur extra ſpem Salutis, quod utique maxima foret pœna, & quidem talis, quam aliquis Juſtus in ſtatu gratiæ exiſtens non eſt meritus.

℞. D. M. Et quam Juſtus non merebitur, dum peccabit graviter. n. M. quam ſaltem merebitur c. M. Non enim implicat, quin Deus de potentia ſua abſoluta poſſit anticipare pœnam alicujus criminis certo committendi, præſertim ſi id exigeret atrocitas criminis, vel aliæ cauſæ & rationes id peterent. Accedit, quod Deus juſtiſſimis ex cauſis etiam illos juſtos, quos prædeſtinavit ad gloriam, hic continuis, iisque graviſſimis tribulationibus affligat: adeoque nil obſtat, quin & Juſtum, quem peccaturum & damnandum novit, affligat revelatione ſuæ damnationis.

§. II.

Resolvitur secunda Pars hujus Articuli.

806 Assero: Ille, cui Deus revelasset suam damnationem absolute futuram, non posset, & per consequens non teneretur sperare suam salutem, & beatitudinem, si recordetur, vel memor sit hujus revelationis. D. Thomas. q. 23. de veritate, art. 3. ad 2. ubi ait: *talis revelatio cogeret eum desperare*, id est, non sperare. Mastrius, ac communior theologorum contra alios.

P. 1. Non potest quis sperare beatitudinem æternam, nisi prudenter judicet eam verisimiliter sibi esse futuram; atqui qui ex revelatione divina certus esset de damnatione sua non posset prudenter judicare, quod ipsi beatitudo æterna sit verisimiliter futura, ut per se patet: ergo neque beatitudinem æternam sperare posset.

P. 2. Non possumus efficaciter aliis optare aliquod bonum, quod ipsis non profuturum certo cognoscimus: ergo neque aliquis sibi efficaciter desiderare & sperare potest beatitudinem cælestem, quam sibi non futuram ex revelatione divina certo cognovit.

P. 3. D. Aug. 21. de Civit. Dei c. 24. dicit: Si Ecclesia certitudinaliter sciret, qui sint reprobi & damnandi, non plus pro illis oraret, quam pro diabolo: verum hoc fieret ex hac sola ratione, quia de salute eorum, qui certo reprobi esse noscuntur, nulla datur spes, sicut de salute diaboli spes nulla superest: ergo hujusmodi homines, quibus ex revelatione certo futura constaret damnatio, nec possent, nec deberent sperare salutem.

807 Ob. 1. Certus de sua salute potest adhuc suam damnationem timere: ergo etiam certus de sua damnatione, potest suam salutem sperare: C. constat; ita enim se habet spes ad bonum, sicut timor ad malum. a. p. D. Paulus erat certus de sua salute, & tamen corpus suum castigabat, ne reprobus fieret. 1. Cor. sed hoc ideo fecit, quia timuit damnationem: ergo.

℟. N. a. Quamvis enim ille, cui revelata est æterna salus, adhuc possit peccare, & æternam salutem perdere, certum tamen est, quod non sit peccaturus actu, aut perditurus suam salutem: adeoque prudenter non potest timere damnationem. D. Paulus vero ideo castigavit corpus suum, non quia timuit damnationem, sed quia cognoscebat, hanc castigationem esse necessariam ad salutem obtinendam

dam, & ad vitanda peccata damnationis inductiva, cum Ipsi fuerit revelata æterna salus ut obtinenda dependenter a mortificatione & evitatione peccatorum.

Ob. 2. Possumus illud sperare, quod possumus facere; sed ille, 808
cui revelata est æterna damnatio, potest adhuc finalem pænitentiam agere, & per eam salutem consequi: ergo adhuc potest sperare salutem.

℟. D. M. Quamdiu non certe constat, quod non simus facturi illud, quod possumus facere c. M. si certo constat, quod non simus facturi illud, quod possumus facere n. M. & d. m. ille &c. potest agere pœnitentiam finalem, & tamen ex revelatione certo constat, quod illam non sit acturus c. m. non ita constat n. m. ut actus spei elici possit, debet Salus non solum apprehendi ut possibilis, sed etiam ut verisimiliter futura; atqui ille, qui est de sua damnatione certus, potest quidem apprehendere suam salutem ut possibilem, cum habeat libertatem, ac gratias sufficientes ad pœnitentiam finalem agendam, & salutem consequendam, non autem potest judicare, quod salus sua sit verisimiliter futura; & quod sit usurus auxiliis divinis, & cum iis acturus re ipsa pœnitentiam finalem, cum ipsi omissio hujus pœnitentiæ & perditio æternæ salutis sit certa: ergo. Ex quo

Colligis 1. Per similem revelationem æternæ damnationis non tolli quidem possibilitatem salutis, bene autem possibilitatem spei; Ratio 1. est quia stante hac revelatione adhuc datur potentia ad salutem consequendam, scilicet libertas, ac gratia divina sufficiens. Ratio 2di est: quia stante illa revelatione non manet salus amplius verisimiliter futura, consequenter non amplius sperari potest.

Colligis 2. Talem, cui revelata est damnatio æterna, posse quidem vitare peccatum finale, & impœnitentiam finalem, sed non posse sperare actualem ejus vitationem.

Ob. 3. Revelatio æternæ damnationis non variat objectum 809
spei: ergo stante revelatione illa adhuc dari potest vera spes salutis.

℟. D. a. Non variat objectum spei, variat tamen conditionem necessario requisitam ad sperandum c. a. non variat conditionem necessario requisitam ad sperandum n. a. Revelatio æternæ damnationis tollit apprehensionem, qua æterna beatitudo cognoscitur verisimiliter futura: quæ apprehensio est necessaria conditio ad objectum & actum spei.

810 Ob. 4. Eadem eft libertas in homine poft revelationem damnationis, ac ante: revelatio enim hæc nihil tollit ab homine: ergo æque poteft fperare poft revelationem illam, ac ante.

℟. In ordine ad actum fpei non dari libertatem proximam in homine, cui revelata eft æterna damnatio. Ratio eft: quia libertas proxima ad fpem eliciendam tunc datur, quando adfunt omnia ad fperandum requifita; deeffet enim cognitio beatitudinis ut verifimiliter futuræ: ergo. Hinc quamvis homo cui facta eft fimilis revelatio fuæ damnationis, adhuc haberet omnia requifita ad obfervanda reliqua præcepta Dei, ac Ecclefiæ, non tamen haberet illa, quæ requirerentur ad fperandum; ex quo

Sequitur 1. Quod talis homo non teneretur ad obfervationem fpei: ratio eft; quia hujus impletio eft ei impoffibilis, cum non habeat omnia requifita ad fperandum.

Sequitur 2. Eum adhuc obligari ad cætera præcepta obfervanda, non quidem ideo, ut per eorum obfervantiam falvus fiat, fed ut juftis Superiorum imperiis obediat. Et fic poffemus pro illo orare, non quidem, ut falvaretur (in quo fenfu intelligendus eft D. Auguftinus fupra allegatus) fed ut obtineret auxilia ad obediendum neceffaria.

811 Ob. 5. Talem hominem, cui revelata eft æterna damnatio, adhuc obligaret præceptum fpei, quod omnes homines ftringit: ergo talis homo adhuc teneretur fperare falutem. ℟. N. a. nam præcepta divina non obligant ad aliquid impoffibile; atqui in cafu noftro fpes foret impoffibilis: ergo. Ex his

Colligis, quod aliquis, cui præfato modo eft revelata æterna damnatio, etiam licite defperare poffit de falute confequenda. Ratio eft: quia licite de eo defpero, quod non erit verifimiliter futurum: atqui falus talis hominis non erit verifimiliter futura: ergo.

Dixi: *Quod poffit defperare*, non autem quod debeat. Non enim revelatio futuræ damnationis ex natura fua neceffitat ad pofitivum actum defperationis, fed tantum impedit actum pofitivum fpei; ut tamen ifta, quæ modo dixi rite intelligantur, notanda funt quoque dicta fuperius, quod talis homo quidem defperare poffit de falute confequenda, non autem de auxiliis fufficientibus ad falutem.

Dices: Poffet alicui Jufto revelari futura damnatio ob unicum defperationis peccatum committendum, fed talis non poffet licite defperare:

rare: ergo aliquis cui revelata eſt æterna damnatio, non poſſet licite deſperare.

℟. D. M. Poſſet alicui revelari futura damnatio ob deſperationis peccatum committendum; quia nempe talis deſperaturus eſt de auxiliis divinis ſufficientibus, vel quia deteſtatur ſuam ſalutem cum contemptu, vel quia credit, Deum quantum eſt ex ſe, nolle ipſum ſalvare c. M. poſſet alicui revelari damnatio ob peccatum deſperationis committendum inde ſolum, quia talis homo facta revelatione damnationis deſperat tantum de conſecutione actuali ſuæ ſalutis n. M. Ille, cui revelata eſt ſua æterna damnatio, dum nude de ſuæ ſalutis conſecutione deſperat, absque contemptu aut odio ejusdem, non peccat, adeoque propter talem deſperationem non poteſt damnari. Hinc d. m. talis non poſſet licite deſperare primo modo c. m. ſecundo modo. n. m.

Diſſertatio II.

DE CHARITATE.

Articulus I.

De Natura, & Objecto Charitatis.

§. I.

De Natura Charitatis.

Quæres 1. Quid ſit & quotuplex ſit charitas? ℟. 1. Charitas eſt 812
virtus theologica, qua Creatura rationalis Deum propter ſe, & ſeipſum ac proximum propter Deum diligit.

Dicitur 1. Virtus theologica, & quidem omnium prima & præcipua; *tum:* quia fides & ſpes ordinantur ad charitatem; nam ideo credimus & ſperamus in Deum, ut Eum poſſimus in æternum diligere: *tum,* quia Deum perfectiſſime attingit: ſiquidem fides credit, ſpes quærit, charitas tenet, ac amplectitur Deum: *tum,* quia fides, ſpes

tranfeunt, nec manent in Patria, Charitas vero durat in æternum, ut dicetur. Hinc recte dixit Apoftolus 2. Cor. *Major autem horum eft Charitas.*

Dicitur 2. *Qua Deum propter fe*, feu ut in fe bonum & infinite perfectum diligimus. Per hoc differt a Spe, quæ Deum non attingit ut in fe bonum, fed ut bonum & benevolum amanti.

Dicitur 3. *Et feipfum*, quia homo poteft feipfum amare charitate theologica & fupernaturali.

Dicitur 4. *Et proximum*, id eft, omnem creaturam rationalem æternæ beatitudinis capacem, adeoque Chriftum qua Hominem, Angelos, Juftos, Peccatores, infideles, defunctos in gratia, five fint in cœlo, five in purgatorio, non tamen damnatos, aut dæmones.

Dicitur 5. *Propter Deum:* fi enim nosmetipfos aut proximos diligamus propter aliud motivum, quam propter Deum, tunc non eft Charitas theologica.

Tota autem noftra definitio charitatis eft defumpta ex D. Auguftino L. 3. de doctrina chriftiana c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipfum, & fe atque proximum propter Deum.* Qui in defcriptione charitatis omittunt particulam *feipfum*, hi fub nomine proximi etiam feipfos comprehendunt.

℟. 2. Charitas dividitur in *habitualem*, quam proxime defcripfi, & explicavi; & in *actualem*, quæ eft actus charitatis, quo Deum propter fe, ac nosipfos & proximos noftros propter Deum diligimus.

813 Quæres: An Charitas fit vera amicitia inter Deum & homines? ante refponfionem

Nota 1. *Amicitiam* effe amorem benevolentiæ reciprocum, amantibus notum, & in bonorum communicatione fundatum.

Nota 2. Ex Philofopho 8. Eth. c. 2. & 9. ad amicitiam veram fequentes conditiones requiri. 1. Requiritur amor benevolentiæ, qui ex fua ratione formali exigit, ut bonum velimus Perfonæ amatæ propter ipfam, & non propter commodum noftrum; alias enim foret amor *concupifcentiæ*, non *benevolentiæ*. 2. Debet amor ille effe mutuus, quia non dicuntur amici, nifi qui mutuo amore conjunguntur: & ideo, qui amat alium, a quo non redamatur, dici quidem poteft amans, non autem amicus. 3. Ifte amor mutuus debet utrique amico effe notus, eo quod inter ipfos debeat effe quafi quidam convictus. 4. Debent

bent duo amici communicare in bonis, & ſimilitudine. Ad has conditiones adduntur aliæ ex D. Ambroſio l. 3. offic. c. ult. quod ſcilicet inter amicos debeat dari unitas animorum, communicatio conſiliorum, & præſtatio ſecuritatis. H. N.

℞. Charitas Juſtorum eſt vera amicitia inter Deum & homines 814
illos Juſtos. Sc. 3. d. 27. n. 10.

P. 1. Ex S. Scriptura, quæ Juſtos, ſeu Charitate præditos ſæpius dicit amicos. Ut Joan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Et Pſal. 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus &c.* atqui non poteſt aliquid aſſignari, propter quod homines Juſti dicantur amici Dei, quam Charitas: ergo.

P. 2. Charitas habet Conditiones requiſitas ad veram amicitiam. 1. Eſt amor benevolentiæ & quidem mutuus inter Deum & hominem Juſtum ac amantem; ſic enim diligit Juſtus Deum propter Deum; & econtra Deus diligit hominem Juſtum propter ipſam Juſti utilitatem, volendo ei beatitudinem æternam. Unde Deus Proverb. 8. dicit: *Ego diligentes me diligo.* 2. Hic amor mutuus eſt notus utrique amanti; eum enim Deus, qui eſt omniſcius, per ſe cognoſcere debet, neque latet hominem; nam eoipſo, quod Deum amet, cognoſcit, quod debeat redamari a Deo. 3. Deus, & homo Juſtus communicant inter ſe in bonis, & ſimilitudine; *in bonis* quidem, cum homo innumera beneficia a Deo accipiat; homo vero Deo viciſſim conferat non quidem beneficia, ſed obſequia, honorem, laudem & gloriam. In ſimilitudine vero communicant; quia homo per charitatem, quæ eſt ipſa gratia ſanctificans, fit naturæ divinæ quodam modo particeps & Deificatus. Hinc ait Joannes in ſua 1. Epiſtola c. 3. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.*

Habetur etiam unio animorum; Charitas enim nos facit unum Spiritum cum Deo; hinc ait Apoſtolus 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt.* Datur etiam communicatio conſiliorum; Deus enim ſecreta ſua Juſtis manifeſtat; ſicut Chriſtus Joan. 15. dicit: *Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi á Patre meo nota feci vobis.* Tandem Charitas præſtat ſecuritatem, quia generat fiduciam de divina bonitate, ne nimis anxie timeamus damnationem.

Petes: An Parvuli baptizati ſint etiam Dei amici? ℞. In rigore 815
inter Deum & parvulos non datur vera amicitia. Ratio eſt: quia ad amicitiam requiritur, ut actualis amor mutuus detur inter amicos; at-

qui licet parvuli baptizati actu amentur a Deo, ipsi tamen non possunt actu redamare Deum ob carentiam usus rationis.

Hoc non obstante tales parvuli phrasi Ecclesiastica vocantur Amici Dei; quia Conditiones ad amicitiam requisitas habent in habitu, & velut in radice. Habent etenim habitum charitatis & gratiæ sanctificantis, ob quem sunt Deo chari & accepti, & per quem in actu primo habilitantur ad redamandum Deum.

§. II.

De Objecto Charitatis.

816 Affero 1. Objectum materiale charitatis, seu ut alii volunt, formale quod, est Deus, nosipsi, & proximus. Communis.

P. 1. Illud est objectum charitatis, circa quod versatur charitas; atqui versatur circa prædicta: ergo præfata sunt objectum charitatis.

P. 2. Inprimis pro objecto charitas respicit Deum & proximum; cum utrumque ex præcepto teneamur diligere juxta illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ex hoc ipso textu habemus, quod etiam nos ipsos debeamus diligere charitate theologica supernaturali. Ratio hujus est: proximum debemus diligere sicut nosipsos: ergo si proximum debemus diligere charitate supernaturali & theologica, tunc & nosipsos debemus eadem charitate amare.

Neque charitas versatur circa aliud quoddam objectum. Charitas enim nostra fundatur super communicatione beatitudinis æternæ; hinc admittit solum illos pro objecto suo, qui sunt beatitudinis hujus capaces. Hi autem sunt Deus, qui est beatitudinis principium, nosipsi, qui eandem obtinere possumus, & proximi, qui vel jam sunt æternæ felicitatis participes, vel adhuc in via existunt ad eandem sempiternam requiem creati; tales proximi beatitudinis capaces sunt Angeli boni, Beati, imo & Christus quatenus homo &c. Justi & Peccatores &c. quod autem ratione proximi hic tantum intelligatur omnis creatura beatitudinis capax, docet S. Augustinus L. 1. de doctrina Christiana c. 23. & 26. & 30. cum aliis PP. qui, licet specialiter de hominibus loquantur, est tamen eadem ratio de Angelis bonis &c. Idem tenet D. Thomas. q. 25. art. 10. cum aliis Th. Th. rationem desumo

mo ex Scoto: quia charitate theologica in tantum diligimus proximum, in quantum hic Deum poteſt amare, & amando ſervitium Deo gratum & acceptum præſtare: ergo tantum illos ut proximos amamus, qui & ipſi poſſunt Deum amore grato diligere; ſed tales ſunt ſoli illi, qui beatitudinis ſunt capaces. Ex quo

Colligis 1. Quod dæmones & damnati neque Creaturæ irrationales ſint objectum materiale Charitatis, neque charitate theologica proprie & directe amari poſſint; quia non ſunt capaces æternæ beatitudinis, neque Deum amare poſſunt, vel ſaltem dæmones nunquam amabunt.

Colligis 2. Deum eſſe primarium objectum, quod ex charitate theologica diligimus ſuper omnia, & propter quod omnia reliqua amamus.

Ob. 1. Peccatores ſunt Proximi noſtri, ſed peccatores non poſſu- 817
mus diligere propter Deum, ſunt enim Deo odibiles: ergo non poſſumus omnes proximos noſtros diligere.

℞. D. m. Peccatores non poſſumus diligere ut peccatores, ſub quo reſpectu ſunt Deo odibiles c. m. ut ſunt creaturæ rationales beatitudinis capaces, ſub quo reſpectu a Deo diliguntur. n. m.

Ob. 2. Etiam dæmones ſunt objectum charitatis: ergo. ℞. D. a. ſunt objectum charitatis in ſe, & cui bonum aliquod propter Deum volumus n. a. ſunt objectum charitatis quatenus conducunt ad manifeſtandam D. Juſtitiam c. a. ſed ut ſerviunt ad manifeſtandam D. Juſtitiam, non ſunt ordinabiles ad capiendam beatitudinem æternam, ſub qua tantum ratione hic conſideratur objectum charitatis.

Ob. 3. Deus poteſt amare damnatos, dæmones, ac creaturas irrationales tanquam entia, quæ participant aliquid de perfectionibus divinis: ergo etiam nos poſſumus amare dæmones, ac creaturas irrationales &c.

℞. D. a. Deus amat hos omnes, tanquam entia participantia aliquid de perfectionibus divinis, non vero tanquam entia capacia gratiæ & gloriæ c. a. Amat eos tanquam entia capacia gratiæ & gloriæ n. a. & d. c. ergo etiam nos illos poſſumus amare tanquam entia aliqua, quæ participiant aliquid de perfectionibus divinis, & has perfectiones divinas manifeſtant c. c. tanquam entia capacia gratiæ & gloriæ n. c. Charitas theologica directe reſpicit pro objecto entia illa, quæ ſunt capacia gratiæ & gloriæ; & quæ Deum poſſunt amare: re-

liqua vero indirecte, & remote tantum refpicit, in quantum poffunt effe occafio excitans amorem Dei in nobis, ut fi ex confideratione creaturarum irrationalium movemur ad contemplandam, & inde ad amandam Providentiam & Omnipotentiam divinam.

Ob. 4. Juxta S. Gregorium Homil. 17. in Evang. Nemo proprie ad femetipfum habere charitatem dicitur: ergo ex charitate nemo poteft amare feipfum.

℟. S. Doctorem loqui de charitate, quæ eft amicitia ftricte dicta, quæ non datur ad feipfum, fed ad alium tendit, & inter duos amantes verfari debet. Verum talis amicitia, ftricte dicta non requiritur ad charitatem theologicam etiam proprie dictam.

Colliges: Amorem erga nos effe inordinatum, fi non procedat ex motivo virtutis; item corpus noftrum, quod etiam tanquam pars noftra cadit fub Charitatem, effe mortificandum ex amore, ut nempe afflictum in hoc mundo, non crucietur in altero.

818 Affero 2. Objectum formale motivum charitatis eft bonitas Dei abfoluta, qua in fe infinite bonus eft in omni genere perfectionis; proinde hæc bonitas abfoluta complectitur infinitam Dei Sapientiam, omnipotentiam, æternitatem, & omnes alias perfectiones divinas formaliter infinitas, ex quibus refultat ens infinitum in omni genere perfectionis.

P. Charitas eft omnium virtutum theologicarum perfectiffima; ergo debet etiam habere perfectiffimum objectum formale; atqui perfectius motivum habere non poteft, quam illam bonitatem abfolutam, utpote quæ complectitur omnes perfectiones formaliter infinitas in Deo exiftentes: ergo.

Colliges: Poffe Deum etiam amari propter unum attributum divinum, abftrahendo a cæteris. v. g. poffum Eundem amare propter fuam infinitam Sanctitatem. Ratio eft: quia & hæc attributa feorfim confiderata funt infinitæ perfectiones ac bonitates Dei, quarum quælibet fecundum fe, & feorfim fumpta fufficienter movere poteft ad amorem fupernaturalem, & ad Deum fuper omnia alia amandum. Vide tract. de pœnit. item P. Viva. Part. 5. D. 1. q. 2. art. 1. n. 4.

819 Affero 3. Ex eodem motivo, quo Deum diligimus, etiam amamus proximum. Ita Scotus in 3. d. 28. n. 6. ibi: *Ratio bonitatis proximi non eft ratio terminans actum*, fcilicet Charitatis. Id eft: dum amore fupernaturali diligimus Deum, ratio motiva diligendi pro-

ximum

ximum non eſt bonitas reperta in proximo, ſed eſt bonitas Ipſius Dei.

P. Charitas in proximum eſt virtus theologica: ergo neceſſario pro objecto formali & motivo debet habere aliquod prædicatum divinum; atqui non eſt imaginabile aliud prædicatum divinum, quod eſſet formale motivum Charitatis in proximum, quam bonitas Dei abſoluta: ergo.

Confirmatur: Si proximum diligeremus propter bonitatem ipſi proximo intrinſecam, ibi ſiſtendo, tunc ille actus non eſſet charitatis theologicæ, ſed moralis; nam virtus theologica debet ſaltem pro partiali motivo habere aliquod prædicatum divinum: ergo.

Accedit D. Auguſtinus, Qui l. 8. de Trinit. c. 8. in fine ait: Ex una, eademque Charitate Deum, proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum. Ex quo

Habes 1. Quod proximus non diligatur propter bonitatem à 820
Deo participatam. Hæc enim participata bonitas eſt ipſum eſſe creatum proximi; atqui charitas pro motivo ſuo formali non poteſt habere rem & bonitatem creatam, ſed increatam. 2. Nulla ratio urget ſtatuere aliud motivum formale vel adæquatum, vel inadæquatum pro dilectione proximi, quam pro dilectione Dei: ergo. 3. Unum eſt motivum fidei reſpectu omnium Articulorum credendorum, & unum motivum ſpei reſpectu omnium ſperandorum: ergo etiam unum eſt motivum Charitatis reſpectu omnium diligendorum, conſequenter reſpectu Dei & proximi. 4. Quia unus eſt habitus charitatis, ex quo procedit amor Dei & proximi: ergo etiam unum eſt motivum.

Habes 2. Quod habitus charitatis erga Deum & proximum ſit unus, ſimplex & indiviſibilis. Ratio eſt: *tum*, quia iſte habitus per ſe infuſus, qui ad plura objecta materialia, pluresque actus etiam ſpecie diſtinctos ſe poteſt extendere; *tum*, quia idem eſt motivum reſpectu dilectionis Dei & proximi; *tum*, quia S. Aug. L. 8. de Trinit. c. 8. ait: *ex una eademque Charitate Deum, Proximumque diligimus, ſed Deum, propter Deum, nos & proximum propter Deum. Tum;* quia unus eſt habitus fidei reſpectu omnium credendorum, & unus habitus ſpei, reſpectu omnium ſperandorum. *Tum*, quia Apoſtolus 1.Cor. 13. eodem modo loquitur de fide, ſpe, & charitate, dicit enim: nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: ergo ſicut fides & Spes ſunt ſingulæ una virtus ab uno motivo formali ſpecificata, ita & chari-

Charitas erit una virtus theologica ab uno motivo increatæ bonitatis ſpecificata. *Tum*, quia idem eſt honor, quo honoratur imago alicujus Sancti cum eo, quo honoratur Ipſe Sanctus; quia honor imaginis refertur ad Prototypum, ut docet S. Damaſcenus L. 4. de fide c. 17. ergo etiam idem eſt habitus & idem motivum, quo diligitur Deus & Proximus, quia etiam dilectio proximi refertur ad Deum.

821 Ob. 1. In Proximo non exiſtit bonitas Dei abſoluta: ergo Proximus non poteſt amari propter bonitatem Dei abſolutam.

℟. 1. Retorq. arg. In medicina non exiſtit ſanitas formalis: ergo medicina non poteſt amari propter Sanitatem.

℟. 2. N. c. non requiritur ut bonitas Dei inſit alicui, ut is poſſit propter Deum diligi, ſed ſufficit, quod habeat habitudinem extrinſecam ad Dei bonitatem: ita etiam medicina amatur propter ſanitatem, quia ad eam dicit ordinem & habitudinem.

822 Petes autem; quomodo Proximus ordinetur ad Dei bonitatem? vel quomodo proximus poſſit amari propter Dei bonitatem? ℟. Id poſſe varie contingere. 1. Poſſum motus Dei bonitate velle, & exoptare, ut Deus diligatur a quibuscunque meis proximis. Verum hoc optando & deſiderando, maximum bonum, ſcilicet amorem Dei Proximis cupio, adeoque ipſos amo, & quidem propter bonitatem divinam. 2. Qui diligit aliquem, etiam diligit ea, quæ ad ipſum ſpectant; unde S. Joan. in 1. Epiſt. c. 5. omnis, *qui diligit* eum, qui *genuit, diligit* & eum, *qui* natus eſt ex eo. Unde infert: *in hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus;* quaſi diceret, nos, qui Deum diligimus, debere quoque diligere propter Deum omnes homines, qui ex Deo nati ſunt, & divinam Ejus præſeferunt imaginem. 3. Diligendo Proximum & optando ei bonum etiam diligitur Deus; quia bonum collatum Proximo eſt quodam modo bonum Dei, vel ſaltem ita a Deo acceptatur, ac ſi eſſet Ipſi Deo exhibitum, ut conſtat ex verbis Chriſti Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Articulus II.

An Eadem Charitas ſit in via, & in Patria?

Facile admittimus, quod charitas habitualis eadem numero maneat in Beatis, quam habuerunt in hac vita; id enim clare indicat Apoſtolus 1. Cor. c. 13. dicens: *Charitas nunquam excidit.* Status quæſtionis unice eſt, an actus amoris, quo de facto Deum in hac vita diligimus, ſpecie differat ab actu fruitionis beatificæ, quo Beati in Cœlo Deum perfectiſſime amant, & pleniſſime poſſident? H. N.

Aſſero: Actus charitatis in via & in Patria diſtinguuntur ſpecie. 823
Henno, Herincx, Blaſius a Benjumeja. In hanc ſententiam etiam inclinat Scotus 3. d. 31. n. 4.

P. 1. Amori in Patria conveniunt aliqua prædicata intrinſeca & eſſentialia, quæ non conveniunt amori in via: ergo amor Patriæ & viæ diſtinguuntur ſpecie: illa enim ſpecie diſtinguuntur, quæ in aliquo prædicato intrinſeco & eſſentiali diſconveniunt. a. p. 1. Per amorem Patriæ homo eſt formaliter Beatus, plene ſatiatur, ac poſſidet ſuum ultimum finem: amor autem viæ non formaliter beatificat, neç per eum homo plene ſatiatur, aut poſſidet perfecte ſuum ultimum finem. 2. Amor Patriæ tanquam plena poſſeſſio ultimi finis eſſentialiter excludit ſpem, & eſt intrinſece incompoſſibilis cum ſpe; amor autem viæ admittit ſpem, ut ſecum compoſſibilem. 3. Amor Patriæ eſſentialiter præſupponit cognitionem intuitivam, qua objectum amabile ſcilicet Deus repræſentetur: Amor viæ non præſupponit eſſentialiter cognitionem intuitivam Dei, ſed ſolum actum obſcurum fidei exigit: ergo amori in Patria conveniunt aliqua prædicata intrinſeca & eſſentialia, quæ non conveniunt amori in via.

P. 2. Ideo ſcientia & opinio diſtinguuntur ſpecie, quia intellectus per ſcientiam, non autem per opinionem complete, & ſatiativè poſſidet objectum in ratione cognoſcibilis: ergo etiam ideo amor Patriæ & viæ diſtinguuntur ſpecie, quia per amorem Patriæ, non autem per amorem viæ Deus in ratione objecti amabilis pleniſſime poſſidetur.

P. 3. Affectus & amores ſpecificantur ab objecto, non prout hoc in ſe eſt, ſed prout cognoſcitur, & repræſentatur: ergo cum Deus tanquam objectum Amoris longe aliter cognoſcatur in Patria, quam in

in via, etiam actus amoris in Patria erit alius quam in via; nempe ita ſpecie diſtinguentur actus amoris Patriæ & viæ, ſicut cognitiones Patriæ & viæ ſunt ſpecie diverſæ.

P. 4. Non ſolum diverſa objecta formalia, ſed & diverſa tendentia in objectum poteſt eſſentialiter variare aliquos actus; atqui Amor Patriæ & Amor viæ etſi habeant idem objectum, habent tamen eſſentialiter diverſas tendentias. Amor enim Patriæ tendit in Deum, ut in ſe clare & intuitive cognitum; amor autem viæ reſpicit Deum, ut obſcure per fidem cognitum: ergo.

P. 5. Ratione S. Thomæ. Amor Patriæ eſt tantæ perfectionis, ut ad eam nunquam poſſit pervenire amor viæ quantumcunque intenſus; ergo amor Patriæ & viæ diſtinguuntur ſpecie. c. conſtat: ideo enim ſcientia & opinio diſtinguuntur ſpecie, quia opinio quantumcunque perfecta & intenſa, nunquam poteſt aſcendere & pervenire ad perfectionem ſcientiæ. A. p. *tum*, quia amor viæ nunquam poteſt plene ſatiare, & poſſidere ſuum ultimum finem &c. ſicut Amor Patriæ; *tum*, quia amor Patriæ eſt magis appretiativus, ut adeo appretiativus nunquam poſſit eſſe amor viæ; Ratio eſt: quia in Patria habetur cognitio clariſſima & perfectiſſimum judicium de æſtimabilitate & bonitate Dei, quale præſtans Judicium nequit dari in via: ergo.

Dices: Ideo amor Patriæ eſt ſemper perfectior amore viæ, quia eſt ſemper intenſior, atqui major intenſio non variat ſpeciem: ergo.

Contra eſt: Si per abſolutam Dei potentiam actus viæ magis intenderetur, quam amor Patriæ, tamen ad tantam perfectionem non perveniret, quantam habet amor Patriæ: ergo ſignum eſt, quod non ſolum accidentaliter propter majorem intenſionem, ſed eſſentialiter propter prædicatum intrinſecum & eſſentiale ſit perfectior actus amoris Patriæ quam viæ. a. p. quia actus viæ quantumcunque intendatur, nunquam plene ſatiabit animam, neque perfecte & ultimate poſſidebit finem ultimum, neque ita appretiabit Deum, ſicut Amor Patriæ, qui tendit in Deum in ſe clare viſum.

824 Ob. 1. Amor Patriæ, & Amor viæ habent idem objectum, & eandem cauſam effectivam: ergo non diſtinguuntur ſpecie. c. patet. quia actus ſpecificantur ab objecto. R. D. c. ſpecificantur ab objecto tantum n. c. ab objecto & ſimul a diverſo modo tendendi in objectum & a diverſa applicatione objecti c. c. ſic ignis ſi ei varie applicetur aliquod paſſum, varios & ſpecie diſtinctos effectus producit: ſi enim

paſſum v. g. ſtupa tantum remote applicetur igni, tunc eam tantum calefacit, ſi autem magis approximetur, tunc illam omnino comburit.

Ob. 2. Cognitiones ſunt tantum conditiones ſine quibus non amoris: ergo non variant ſpecie actum amoris. ℞. D. c. niſi illæ conditiones ex natura actus requirerentur c. c. ſi ex natura actus requirantur n.c. Eo-ipſo quod amor Patriæ ex natura ſua intrinſeca ſpecie diſtinctam ac eſſentialiter perfectiorem conditionem & cognitionem exigat, quam amor viæ, ſignum eſt, quod & ipſe eſſentiam habeat aliam quam Amor viæ. Cæterum conditiones etiam ſpecie variant effectus, ut in reſponſione ad primam objectionem patet.

Ob. 3. Amor Petri ut præſentis, & intuitive cogniti, & ut abſentis ac abſtractive cogniti eſt ejusdem ſpeciei: ergo & amor Patriæ diligens Deum ut intuitive & beatifice cognitum, ac amor viæ diligens Eum ut obſcure cognitum eſt ejusdem ſpeciei.

℞. N. c. & paritatem. Amor enim Petri & rerum creatarum hic in via, cum non ſit plene ſatiativus, neque plene poſſideat ſuum objectum, ex ſe & natura ſua non exigit, ut objectum ſit intuitive vel abſtractive cognitum: aſt vero cum Amor Patriæ ſit plena poſſeſſio & præſtantiſſima appretiatio objecti ſui amabilis ſcilicet Dei, ex natura ſua exigit objectum ſuum ut intuitive & in ſe clariſſime viſum.

Ob. 4. Voluntas, dum amat, ex ſe præſcindit, an objectum amabile ſit abſtractive vel intuitive cognitum: ergo.

℞. D. a. Præſcindit antequam eſt determinata ad certum actum in ſpecie c. a. poſtquam eſt determinata ad certum actum in ſpecie v.g. ad amorem beatificum n. a. Ex his

Habes 1. Actum amoris in via etiam perfectiſſimum & intenſiſſimum non poſſe attingere perfectionem eſſentialem amoris beatifici in Patria, etiam quantumcunque remiſſi. Ratio eſt: quia actus amoris in Patria eſt altioris ordinis & lineæ. Ita etiam quantumcunque intenſa ſit opinio, ea non poteſt attingere perfectionem ſcientiæ quantumcunque remiſſæ; quia ſcientia eſt in altiore ordine & linea. Poteſt autem amor viæ eſſe perfectior accidentaliter, ſeu intenſior ac plures intenſos gradus habere, quam actus Patriæ; ſic utique Beatiſſima Virgo in via intenſius amavit Deum, quam quivis Beatus etiam Angelus in Patria. 825

Habes 2. Amorem Patriæ cæteris paribus esse intensiorem, quam amorem viæ; nam in Patria absunt obstacula, quæ in via impediunt intensionem majorem; insuper in Patria est objectum amabile clare in se cognitum, & præsens, quod voluntatem magis accendit, quam objectum obscure cognitum & absens.

Habes 3. Sæpe aliquos Viatores habere majorem charitatem habitualem, quam habent Beati. Certum enim est, quod Beatissima Virgo MARIA, imo & alii Excellentiores Sancti ut S. Joannes Baptista habuerint majorem charitatem in via, quam in Patria Pueri cum sola gratia sanctificante, seu baptismali defuncti, præsertim cum nulla ratio sit asserendi, quod gratia & charitas habitualis augeatur post mortem.

Articulus III.

De Augmento, seu intensione, remissione ac destructione Charitatis.

§. I.

An Charitas habitualis intendatur per Actus remissos?

826 Quæstio est, an habitus charitatis jam inexistens alicui homini Justo possit augeri per alios actus supernaturales charitatis, & quidem minus intensos, quam est ipse habitus charitatis? In exemplo: Petrus habet habitum charitatis & gratiæ justificantis intensum ut sex. Jam quæritur, an hic habitus ut sex intensus possit ulterius augeri per actus charitatis tantum ut quinque, vel quatuor, vel adhuc minus intensos?

Certum interea est, quod habitus charitatis augeatur per actus intensiores v. g. in posito casu per actum intensum ut septem. H. N.

827 Assero: Habitus charitatis supernaturalis & gratiæ augetur etiam per actus remissiores charitatis. Communis contra Durandum & Banez.

P. 1.

P. 1. Concilium Tridentinum Can. 32. & Can. 24. ac 26. & alibi. Item SS. PP. ac Scriptura docent, omnia opera bona, quæ ex gratia & charitate procedunt, habere vim merendi augmentum gratiæ justificantis, proinde & charitatis, ac gloriæ; atqui etiam actus charitatis minus intensi ipso habitu sunt opera bona, quæ ex charitate & gratia sanctificante præexistente procedunt; ergo actus hi minus intensi merentur augmentum habitus charitatis, & eum meritorie augent, ac intendunt. Dixi *meritorie*, nam physice Deus solummodo causat intensionem charitatis habitualis, sicut & ipse eam primitus infundit.

Accedit S. Scriptura, quæ etiam minimis operibus sine distinctione adscribit mercedem: 1. Cor. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur.* Coloss. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini &c. scientes, quod a Domino accipietis retributionem.* Matth. 10. *Quicunque potum dederit &c. Calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam.* Hanc nostram sententiam docet etiam Scotus 4. d. 22. q. unica §. *contra hoc* ℣. *ad hoc dico:* n. 9. ibi: *Universaliter enim cuicunque merito debetur non tantum aliquod præmium accidentale, sed etiam essentiale gloriæ videlicet & gratiæ.* NB. Charitatem habitualem non distingui realiter a gratia sanctificante.

P. 2. Quilibet actus malus etiam remissus meretur pœnam: ergo & quilibet actus bonus etiam remissus meretur gratiam & gloriam; atque adeo in casu nostro actus etiam remissus meretur augmentum charitatis & gratiæ; cum Deus non sit minus liberalis in præmiando, quam Justus in puniendo.

P. 3. Qui habet habitum charitatis intensum ut sex, & elicit actum charitatis ut duo, habet quidquid requiritur ad merendum augmentum gratiæ: ergo etiam meretur augmentum gratiæ & charitatis.

P. 4. Ex opposita sententia sequeretur, majorem sanctitatem & charitatem habitualem esse impedimentum ad merendum; item in ordine ad meritum esse deterioris conditionis eum, qui habet majorem & intensiorem charitatem habitualem; atqui sequela hæc est multum absurda: ergo. M. prob. nam v. g. qui habet habitum charitatis intensum ut unum, posset mereri eliciendo actum tantum ut duo intensum, per talem autem actum non posset mereri in AAorum sententia ille, qui haberet charitatem habitualem intensam ut sex; ut patet: ergo

ergo ille qui haberet majorem habitum charitatis in ordine ad meritum effet deterioris conditionis, quam ille, qui habet minorem.

828 Ob. 1. In S. Scriptura reprehenduntur, qui tepide & remiffe operantur, ut Apoc. 2. ergo tales nihil merentur.

℟. 1. Hoc argumentum nimium probare; probat enim, illos, qui actus charitatis remiffos exercent, non folum carere mercede, fed & peccare: quod eft contra Adverfarios.

℟. 2. In S. Scriptura reprehendi illos, qui omnino non operantur, cum deberent operari, vel qui in operando non obfervant omnes illas circumftantias, quas fub peccato faltem veniali obfervare deberent.

Ob. 2. Actus remiffiores non augent habitus acquifitos: ergo neque per fe infufos. ℟. 1. N. a. nam & habitus naturales tanquam effectus æquivoci intenduntur & augentur etiam per actus remiffiores, ut in Philofophia doceri folet. Et hanc doctrinam effe Scoti 1. d. 17. q. 3. arguendo contra Godefredum in fecunda ratione, ait Maftrius.

℟. 2. tr. a. n. c. Habitus naturales per actus frequentatos intenduntur phyfice, habitus vero fupernaturales tantum meritorie: adeoque eft difparitas.

Tandem actus remiffus, quamvis fit minus bonus, quam intenfior, per hoc tamen non eft malus, nec reddit fubjectum indifpofitum ad intendendum habitum charitatis & gratiæ fanctificantis.

Noftra fententia non inducit teporem, eo quod & nos afferamus, magis intenfis actibus majus refpondere præmium.

Præterea cum moraliter impoffibile fit, femper elicere actus intenfiffimos, voluntas negligeret etiam actus remiffos, fi nulla eis deberetur retributio; hinc potius Adverfariorum fententia negligentiam foveret.

Gratia poteft quoque femper ulterius crefcere, neque in hoc ulla eft implicantia; quare S. Cyprianus in Epiftola ad quosdam Dei Confeffores inquit: tot veftræ funt laudes, quot dies; quot menfium curricula, tot incrementa meritorum. Sicut major intenfio unius actus vincere poteft multitudinem plurimorum actuum remifforum; ita contra tanta poteft effe multitudo remifforum actuum, ut æquet vel fuperet aliorum actuum intenfionem. Nam in æftimatione morali multitudo actuum æquivalet intenfioni.

Affero 2.

Affero 2. Augmentum gratiæ ſanctificantis pro actibus remiſſis 829
ſtatim datur, dum hi actus exercentur. Maſtrius, Poncius, Heribarne, Vulpes ac RR. Communiter. Eſt contra Blaſium a Benjumea, & alios volentes, quod hoc augmentum primum conferatur ad finem vitæ vel ad initium gloriæ.

P. 1. Ex Trid. Seſſ. 6. de Juſtificatione. c. 10. ubi ait: *Juſtos renovari de die in diem, & creſcere in accepta Juſtitia per bona opera, quibus fides comparatur, & implentur præcepta.*

Ex his Verbis habetur 1. Quod per bona opera creſcat Juſtitia ſeu gratia & charitas habitualis de die in diem, adeoque, quod hoc augmentum ſtatim in vita, & non poſt finem vitæ conferatur. 2. Dicit Concilium univerſaliter & ſine exceptione de omnibus bonis operibus, quod Juſtus per ea creſcat in gratia & charitate habituali: ergo etiam per opera minus intenſa; nam & hæc adhuc ſunt opera bona.

P. 2. Ideo non conferretur ſtatim hoc augmentum gratiæ, quia tunc deeſſet aliqua conditio ad augmentum hoc cauſandum; quia nempe non haberetur major intenſio in actu, quam in habitu charitatis; atqui hæc conditio nempe major intenſio in actu non requiritur, ad cauſandum augmentum charitatis habitualis, ut patet ex Concluſione prima: ergo. M. eſt Adverſariorum.

Neque noſtra Concluſio eſt contra Scotum, quia eam ipſe tenere videtur. 1. d. 17. q. 3. Cum contra Godefredum diſputat de augmento charitatis. Neque obſtat, quod Doctor ſoleat pro contraria ſententia citari; nam ubi favere videtur ſententiæ oppoſitæ, ibi loquitur tantum quaſi ex ſuppoſitione communis ſententiæ, quæ tunc temporis vigebat, parum ſollicitus de ejus probabilitate, vel improbabilitate. Cujus rei ſignum eſt, quia ſententiam oppoſitam tantum obiter & perfunctorie refert, neque eam examinat, neque probat, aut amplius declarat; proinde non ex propria mente loqui videtur: prout advertit Maſtrius ex Heribarne & Bargio.

§. II.

An, & quomodo Charitas habitualis possit minui & destrui?

830 Assero 1. De facto & in moderna providentia habitus charitatis & gratiæ justificantis non minuitur, ne quidem per peccata venialia, etiamsi hæc in infinitum multiplicarentur. Communis Theologorum contra Antisiodorensem & Dionysium Carthusianum.

P. 1. Peccatum veniale nulli gradui gratiæ aut charitati habituali opponitur: ergo nullum gradum charitatis & gratiæ destruere potest. a. p. quilibet gradus etiam minimus gratiæ & charitatis habitualis constituit hominem Justum, & amicum Dei, ac vitæ æternæ hæredem; econtra etiam infinita peccata venialia non sufficiunt ad amissionem amicitiæ Dei &c. ergo peccata venialia etiam pluries multiplicata nulli gradui gratiæ opponuntur.

P. 2. Ex Adversariorum sententia sequeretur, quod aliquis possit habitum charitatis totum perdere per sola venialia; atqui sequela est absurdissima, cum de fide sit, Charitatem tantum perdi per peccatum mortale, non per venialia: ergo. M. patet; si enim charitas esset intensa per gradus tres, & per quodlibet peccatum veniale destrueretur unus gradus, tunc tertio peccato veniali commisso totus habitus charitatis & quidem per sola venialia destrui deberet: ergo.

831 Ob. 1. Peccata venialia minuunt facilitatem eliciendi actus amoris: ergo minuunt habitum charitatis, hic enim in illa facilitate consistit. ℟. D. c. minuunt acquisitum charitatis c. c. habitum per se infusum n. c. facilitas illa provenit ab habitu acquisito, non ab eo, qui est per se infusus.

Ob. 2. Peccata venialia minuunt amicitiam Dei: ergo etiam minuunt charitatem habitualem. c. patet; charitas enim habitualis est ipsa amicitia.

℟. D. a. Minuunt amicitiam essentialem n. a. accidentalem c. a. Amicitia essentialis commensuratur in ordine ad gradus gratiæ Sanctificantis & gloriæ: hæc manet invariata in Justo, etiamsi hic sæpissime peccet venialiter, peccata enim venialia non puniuntur per diminutionem gratiæ sanctificantis, aut gloriæ. Amicitia accidenta-

lis importat speciales Dei favores, gratias actuales, & consolationes, quibus Deus suos amicos prosequitur: hi autem favores extraordinarii multum impediuntur & minuuntur per peccata venialia.

Ob. 3. Peccata venialia minuunt fervorem & firmitatem charitatis: ergo eam minuunt. ℞. D. 1. memb. a. minuunt fervorem charitatis actualis, ut aliquis non tam fervidos amoris & aliarum virtutum actus eliciat c. a. minuunt fervorem, & intensionem charitatis habitualis n. a. firmitatem vero charitatis minuunt venialia, quatenus disponunt ad mortalia, quæ deinde privant gratia & charitate habituali.

Ob. 4. Amicitia humana levibus injuriis refrigescit & minuitur: ergo etiam amicitia divina.

℞. Esse disparitatem inter amicitiam humanam & divinam. 1. Enim homo utpote cor alterius non potens inspicere, judicat ex frequentatis levibus injuriis, quod homo has perpetrans habeat malevolum animum seu affectum; & exinde potest dissolvi amicitia præsertim apud imprudentes, qui ob levissimas causas non raro atroces fovent inimicitias. Econtrario Deus intuetur Cor, & videt hominem, qui peccat venialiter, necdum habere animum a Deo aversum per peccatum mortale, & tale, quod amicitiam Dei dissolvere potest. 2. Amor humanus est multum fragilis, & infirmus; hinc facile perditur: ast Amor Dei est firmissimus, patiens, & multæ misericordiæ, & verax; inde non tam cito tollitur, vel minuitur, sicut amor mundanus.

Assero 2. Charitas habitualis semel habita potest amitti, & de 832
facto amittitur demeritorie non solum peccato infidelitatis, sed quovis peccato mortali. Est de fide.

P. 1. Ex Trid. Sess. 6. c. 23. ubi ita definit: *Si quis dixerit, hominem semel Justificatum amplius peccare non posse, nec gratiam amittere &c. anathema sit.* Et eadem Sess. c. 15. dicit: *quocunque alio peccato mortali, quamvis non amittatur fides, acceptam Justificationis gratiam amittit.* Consentiunt SS. PP. passim obvii, & ipsa S. Scriptura Ezech. 18. dicens: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Item; *si autem averterit se Justus a Justitia sua, & fecerit iniquitatem &c. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* ad Rom. 6. dicitur: *Stipendia peccati mors,* scilicet animæ. Jac. 1. *peccatum, cum consummatum*

tum fuerit, generat mortem. & c. 2. *quicunque totam legem fervaverit, offendat autem in uno, factus eft omnium reus.*

833 Ad Objectiones refpondendum eft 1. quod Juftus in fenfu compofito, & qua Juftus non peccet. Proinde aliquis *non fecundum charitatem, fed fecundum cupiditatem peccat*, ut ait S. Auguftinus.

2. Dum Apoftolus dicit: *Charitas nunquam excidit*, vult tantum, quod charitas habitualis maneat etiam in Patria, fi nempe illa per peccatum mortale antea in vita non fuerit perdita.

3. Dum D. Auguftinus & alii dicunt, charitatem non effe veram, quæ amitti poteft, volunt tantum dicere, quod charitas illa non fit folida, & vere firma.

Articulus IV.

Crifis de Doctrina Fenelonii circa amorem Dei.

834 Cum circa hanc Crifin jam plura fcripferim in additionibus Theologiæ moralis P. Anacleti Reuffenftuel, ea ibi fcripta folum hic conceptis verbis meis repeto, & huic meo libro iterum infero. Ita fonant:

Sciendum eft, ab Innoc XII. Anno Chrifti 1699. 12. Maji reprobatum effe librum Francifci de Salignac Fenelon Archi-Epifcopi Cameracenfis, Viri alioquin & doctrina & pietate excellentis, de vita interiore gallice editum, excerptis ex eo fpeciatim 23. Propofitionibus, quas idem S. Pontifex ut *temerarias, fcandalofas, male fonantes, piarum aurium offenfivas, in praxi perniciofas, ac refpective erroneas* profcripfit. Ut videre eft in decreto Pontificio. *Cum alias.* ad initium Theologiæ moralis P. Reiffenftuel pofito cum infertis omnibus Thefibus Fenelonianis, quæ fuere confixæ. Inter has ad noftrum propofitum præcipue notandæ funt, quæ loquuntur de amore puro *Benevolentiæ* vel *Defintereffato*, quo Deus amatur unice propter fuam bonitatem, qua in fe, non vero ut nobis bonus eft, feu fine intuitu noftri intereffe, noftræ utilitatis, & felicitatis, ac aliorum bonorum, quæ a Deo fperamus. Quare hic amor vocatur *puræ benevolentiæ*, qui folius amati, feu Dei bonum tam intrinfecum, id eft, perfectiones ejus, ac extrinfecum, id eft, ejus honorem pro motivo habet, non vero bonum amantis, feu noftrum: nam amor, quo concupifcimus

mus noſtrum bonum, & amamus Deum ut nobis beneficum, vocatur amor *concupiſcentiæ & intereſſatus.* Utrique huic amori addi poteſt *mixtus* ex ambobus, quo Deus amatur ut in ſe, & ut nobis bonus.

Prima itaque Theſis Feneloniana damnata ſic ſonat: *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Secunda hæc eſt: *In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei:* Similia repetuntur propoſitionibus quarta, & vigeſima tertia. H. N. ſit

Aſſertio 1. In propoſitionibus Fenelonii proſcriptus eſt ſtatus ha- 835
bitualis, & ſtabilis amoris puri benevolentiæ, ſeu amor ita purus, & deſintereſſatus, ut pro omni tempore excludat timorem & ſpem. Ita Antonius Mayr *T.* 7. *Theol. n.* 747. Virgilius Sedlmayr *in Reflex. Crit. ſupra Ideam Amoris, n.* 5. Maſſæus Kreſslinger *Succinct. Declar. Propoſitionum damnat. c.* 1. *ſ.* 5. *n.* 19. *& ſeqq.* ac peculiariter BENEDICTUS XIV. SS. memoriæ in aureo ſuo opere *de Beatif. & Canoniz. l.* 2. *c.* 31. *n.* 7. *& ſeq.* Atque in hoc ſenſu eſſe damnatas illas propoſitiones, ex ipſis earum terminis clarum eſt. Ratio vero eas rejiciendi fuit, quia Fenelonius in iis aſſeruit ſtatum habitualem, ſeu ſtabilem incompoſſibilem cum exercitio virtutum Spei, & timoris: quod falſum eſt; cum nullus ſtatus ita perfectus eſſe poſſit in hac vita noſtra, in quo non poſſint, & non debeant hæ virtutes exerceri. Sic nullus eſt ſtatus, in quo penitus & pro omni tempore ceſſet obligatio præcepti ſpei, ſive per ſe ſtringentis, ſive ratione inſurgentium tentationum, quibus nullus ſtatus, etiam perfectorum, eſt liber, & quibus ſuccumberet humana infirmitas, niſi ſpe futurorum bonorum ſuſtentaretur. Et jam ante Fenelonium Alexander VII. proſcripſit iſtam ordine primam propoſitionem: *homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum fidei, NB. ſpei, & charitatis &c.* Ergo in quocunque perfectionis ſtatu quis ſit conſtitutus, non tamen eſt exemptus ab obligatione eliciendi actum ſpei.

Id quod confirmatur exemplis Sanctiſſimorum, qui elicuerunt actus ſpei, & reſpexerunt ad bona futura a Deo promiſſa, & his ſe excitaverunt in adverſitatibus & tentationibus ſuis. Ita S. David

Pfal. 118. *v.* 112. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas juftificationes tuas propter retributionem.* De Moyfe dicitur ad *Heb.* 11. *v.* 26. *Majores divitias æftimans thefauro Ægyptiorum improperium Chrifti;* afpiciebat enim in remunerationem. S. Paulus. 2. *Timoth.* 1. *v.* 12. de fe dicit: *ob quam caufam etiam hæc patior, fed non confundor; fcio enim, cui credidi, & certus fum, quia potens eft depofitum meum fervare in illum diem.* Iterum 2. *Timoth.* 4. *in reliquo repofita eft mihi corona juftitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juftus Judex.* Quamvis hi Sancti frequentiffimi fuerint in exercendis actibus puriffimæ charitatis, fuo tamen quoque tempore elicuerunt actus fpei, & pro motivo refpexerunt proprium intereffe, feu retributionem: ergo ftatus etiam perfectiffimi amoris & unionis cum Deo non eft incompoffibilis cum omni actu fpei: nec hunc pofitive excludit.

Adde, quod in S. Scriptura fine exceptione beati pronuntientur, qui fperant in Domino. *Beati omnes, qui confidunt in eo. Pfal.* 2. *Qui fperat in Domino, beatus eft. Prov.* 16. *v.* 20. *Benedictus vir, qui confidit in Domino. Jerem.* 17. *v.* 7. Proinde & perfecti ac contemplativi, dum fperant in Deo ipfis benefico, adhuc beati funt, nec a perfectionis tramite aberrant.

836 Quæ dixi de fpe, pugnant quoque pro timore pariter ad virtutem fpei fpectante: ficut enim ad hanc pertinet profequi bona æterna, ita ad eam quoque attinet fugere, vel timere malum eis oppofitum, nimirum pœnam æternam, vel etiam purgatorii a vita æterna retardantis. Dein S. Scriptura omnibus, atque adeo perfectis inculcat timorem. *ad Philip.* 2. *v.* 12. dicitur: *Cum metu & tremore veftram falutem operamini. Matth.* 10. *Timete eum, qui poteft animam & corpus perdere in gehennam.*

Præterea ratione tentationum perfectis & contemplativis occurrentium, poteft effe obligatio eliciendi fæpius metum pœnarum æternarum, ut ejusmodi actibus animæ fanctæ, & Deo unitæ muniantur contra peccata. Sic *Eccli.* 27. dicitur: *fi non in timore Domini tenueris te inftanter, cito fubvertetur domus tua:* ergo Juftis, & in quocunque ftatu perfectionis exiftentibus non eft impoffibilis timor ifte adeo falutaris, ac utilis, imo & aliquando neceffarius; cum alias ad ipfum non poffent pefecti & contemplativi unquam obligari, quia ad impoffibile nemo obligari poteft. Hinc David exclamavit *Pfal.* 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Ac S. Hieronymus

nymus in continuo fuit timore, S. Hilarion imminente quoque morte non ſine metu fuit: id etiam aliis Sanctis in amore divino exercitatiſſimis accidit: ergo ſtatus Sanctitatis, unionis cum Deo, & excellentis charitatis non excludit timorem ſalutarem. Qua de re S. Scriptura dicit *Pſal.* 111. *Beatus vir, qui timet Dominum. & Pſal.* 146. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.*

Ob. 1. Fenelonius quoque in ſtatu illo habituali amoris puri ad- 837
mittit ſpem: ergo non recte hic impugnatur. a. conſtat ex ejus propoſitione 11. ℟. n. a. Nam ſpes, quæ affirmatur in propoſitione 11. Feneloniana, non eſt actus ſpei ſtricte talis, ſed charitatis, ſic enim habet propoſitio illa: *In hoc ſtatu anima amittit ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, id eſt, in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt NB. deſiderium deſintereſſatum promiſſionum.* Ast deſiderium deſintereſſatum non quærens bonum proprium non eſt Spes Theologica.

Ob. 2. *Joan.* 4. *Charitas perfecta foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate: ergo ſtatus perfectæ charitatis excludit timorem. ℟. D. a. Charitas perfecta foras mittit timorem ſerviliter ſervilem, cum quo conjuncta eſt talis diſpoſitio animi, ut quis adhuc peccatum vellet, ſi pœnam non timeret c. a. omnem timorem n. a. Hinc ex S. Auguſtino ait S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 9. *in corp. Timor ſervilis poteſt habere annexam voluntatem peccandi,* De hoc S. Auguſtinus ſolum dicit *Epiſt.* 120. *c.* 21. *Timor non eſt in charitate, quia charitas perfecta foras mittit timorem, ſed illum ſervilem,* cum quo nempe ſtat voluntas peccandi conditionata, ſi pœna non timeretur. Porro non nego, aliquem ſanctum aliquando in particulari caſu ita poſſe contemplatione ſolius divinæ bonitatis abſorberi, & ita amore ſummi boni exardeſcere, ut nullatenus attendat ad motivum aliquod timoris, ubi contingenter & accidentaliter amor ob defectum propoſitionis motivorum, non autem ex natura ſua excludit timorem. Quod notandum ad explanandas quasdam Authoritates. De ſe autem ipſi actus amoris benevolentiæ, concupiſcentiæ & timoris poſſunt ſimul in eadem voluntate ſtare, ut in hoc exemplo: Domine, tu minaris infernum, ſi te non amem, & promittis æterna gaudia, ſi te amem, & impellit tua propria infinita perfectio & bonitas, ut te amem: ergo ex omnibus his motivis te ſtringo, te amo &c.

Obji-

Objicit 3. Auctor Ideae amoris in Animadversionibus editis Anno 1749. pag. 201. num. 112. Timor S. Hilarionis, & aliorum Sanctorum fuit passio involuntaria, a daemone suggesta: ergo ex hoc nihil probatur. ℟. Hoc, quod in antecedente ponitur, pro sua libertate dixerit vir ille: Ego n. a. Cum enim timor gehennae possit esse actus bonus, in S. Scriptura commendatus, & juxta propositionem 14. ab Alexand. VIII. proscriptam supernaturalis, cur dicamus eum in Sanctis provenisse a suggestione daemonis & fuisse involuntarium?

838 Assertio 2. In doctrina Feneloniana non est directe, aut indirecte confixus actus amoris puri desinteressati. Ita laudati pro priore conclusione, quibus accedit honoratus Tournely *de Sacrament. Poenitent. q. 4. a. 1. concl. 3.* Cum communissima aliorum contra D. Amort. in sua Idea amoris.

Prob. 1. Ex ipsis propositionibus damnatis Fenelonii, quae solum loquuntur de statu habituali amoris puri habitualiter & permanenter, ac necessario pro semper excludente timorem ac spem & omne motivum interessatum: propositio enim prima sic habet; *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura &c.* 2da asserit: *In statu vitae contemplativae amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.*

Prob. 2. Consultores Romani, qui interfuerunt actui proscriptionis Fenelonii, ut refert Antonius Mayr *t. 7. Theol. Schol. n. 746.* testantur, quod S. Pontifex Innoc. XII. in Doctrina Fenelonii non reprobaverit actum amoris puri a Spe & metu, sed statum permanentem, & habitualem solum. Idipsum irrefragabili suo testimonio confirmat Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. felicissimae memoriae; hic enim in suo omnibus numeris absolutissimo opere *de beatif. & Canoniz. L. 2. c. 31.* actum purae benevolentiae cujusdam Servi Dei, in scriptis ab hoc relictum, quo diu noctuque studuit amare Deum, atque sine intuitu ullius praemii solummodo propter Deum, approbavit; ac a propositionibus Fenelonii damnatis vindicavit: ergo actus amoris puri non est in doctrina Fenelonii confixus.

Prob. 3. Non est confixus actus charitatis theologicae & perfectae; sed actus charitatis theologicae & perfectae est actus amoris puri & desinteressati, quo Deus amatur propter bonitatem & perfectionem suam ut ipsi Deo, non ut bonam nobis, prout juxta P. Ant. Mayr docent, & docuerunt omnes Th. Th. Tournely vero citatus pro hac

hac concluſione allegat plures SS. PP. & addit: horum SS. PP. doctrinam conſpirantibus votis ſecuti ſunt omnis Scholæ theologi; ergo actus amoris puri & deſintereſſati non eſt confixus. min. vero ex unanimi ſere omnium Th. Th. teſtimonio eſt certa, & ea clare traditur a D. Thoma 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. *in Corp.* ſic dicente: *Amor quidam eſt perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor eſt, quo aliquis NB. ſecundum ſe amatur, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ipſum, ſed ut illud bonum ſibiipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo ſecundum ſe ipſum; ſed ſpes pertinet ad ſecundum amorem, quia ille, qui ſperat aliquid, ſibi obtinere intendit.* Ecce juxta D. Thomam charitas theologica tanquam virtus ſpecifica a ſpe & aliis virtutibus diſtincta reſpicit pro motivo præciſe Deum in ſe abſolute bonum, absque reſpectu ad proprium amantis intereſſe, utpote quod eſt motivum ſpei. Quod etiam S. Paulus 1. Cor. 13. v. 5. comprobat inquiens: *charitas non quærit, quæ ſua ſunt.*

Ex quibus fluit, nec indirecte eſſe damnatum actum amoris puri; 839
certum eſt enim, actum præcipuæ virtutis aſſertum a SS. PP. & concordi Th. Th. conſenſu defenſum nec indirecte a Sede Apoſtolica poſſe reprobari. 2. Ideo indirecte eſſet damnatus actus puri amoris, quia ſtatus fixus & habitualis puri amoris eſt damnatus: ſed hoc falſum eſt, cum inter ſtatum permanentem, & actum amoris puri ampla ſit diſparitas. Etenim ſtatus habitualis, cum ſit permanens & ex natura ſua perpetuus, ſi eſſet etiam & quidem eſſentialiter purus, ac ex natura ſua incompoſſibilis cum ſpe & timore, ut Fenelonius adſtruit, homo nunquam poſſet ſatisfacere obligationi timoris & ſpei ſæpius occurrenti in vita, ut dictum eſt: quod ſequitur minime in actu aliquo transeunte amoris puri: nam hic actus ex una parte, cum tranſit, non tollit facultatem ſaltem alio tempore eliciendi actum Spei & timoris: ex altera parte actus amoris non ita purus adſtruitur ab omni ſpe & timore, ut cum hoc non ſit compoſſibilis; ſed hoc tantum affirmatur, actum charitatis theologicæ, ſpecifice talem non reſpicere pro ſuo motivo partiali intereſſe proprium amantis: ergo neque indirecte, ſeu per neceſſariam conſequentiam ex ſtatu habituali amo-

ris puri Feneloniani damnato deductam damnatus eft actus amoris puri.

840 Inferes 1. Non recte ftatui ab Auctore Ideæ amoris Dei, actum Charitatis theologicæ, a Deo nobis præceptum ex natura fua & formaliter refpicere non folam bonitatem Dei abfolutam, fed & noftrum intereffe: id enim non fubfiftere patet ex dictis, & etiam ex hoc: quia præceptum divinum imperat, ut Deum diligamus *ex toto corde*. At vero juxta Auctorem Ideæ Deus diligendus effet corde divifo, quo fimul diligitur Deus, & intereffe noftrum. Accedit, quod alias actus amoris theologici præceptus fimul ex natura fua effet actus fpei, nec ab hoc diftingueretur, utpote pro objecto motivo effentiali etiam habens intereffe proprium, & Deum ut nobis bonum, qui effentialiter a Spe refpicitur. Et quis neget, hoc vel fimili actu fatisfieri præcepto charitatis: *Quia Deus meus es infinite perfectus, & propter teipfum es omni amore digniffimus amo te, & ita amo te, ut licet non benefaceres mihi, nec cælum dares, tamen te ex toto corde amarem?* Similes enim actus fæpius a Sanctis funt eliciti, ut oftendit Clariffimus Virgilius Sedlmayr Reflexione critica in Ideam Amoris. §. 7. quibus haud dubie illi fatisfecerunt præcepto charitatis divinæ. Interea allatus actus minime includit proprium intereffe, eft tamen compoffibilis cum actu Spei; poffet enim ei ftatim fubjungi: *Quia tamen o Deus meus ex nimia tua erga me bonitate mihi promittis cælum & beatitudinem dare, etiam te propter hanc bonitatem erga me amo, & beatitudinem æternam fpero & defidero.*

841 Inferes 2. Sequentem actum, quem Auctor Ideæ amoris divini proponit pro exemplo amoris perfecti amicitiæ c. 1. non effe actum amoris Dei, nec illo fatisfieri præcepto charitatis theologicæ &c. Actus apud fuum Auctorem fic fonat: *O Deus meus, tu es meum fummum bonum, mea unica felicitas, finis ultimus omnium defideriorum meorum, mea immenfa, ac æterna voluptas; verbo: Deus meus & omnia, te æftimo ac præfero omnibus aliis rebus creatis, honoribus, divitiis, & voluptatibus, te unicum his omnibus contemptis ambio, felix effe cupio; beatitudinem ac vitam æternam quæro, fed hanc beatitudinem in te quæro, & ideo, ut fruar te, fervio tibi. Servabo mandata tua, quia merces mea es magna*

gna nimis, te mihi solum dona, & sufficit mihi. Ratio hujus asserti est: sic actus neque mixtus est ex benevolentia, & concupiscentia, qualis etiam juxta Adversarium deberet esse actus charitatis theologicae praeceptus, sed est actus merae concupiscentiae, respiciens Deum pure quatenus nobis, non vero quatenus in se absolute bonum: ergo non foret actus charitatis, sed spei, & desiderii beatitudinis. Ex quo colligere licet, doctrinam Adversarii communissimo sensui Christianorum Doctorum, & indoctorum contrariam, esse aptam, ut homines ei intentos abducat a modo formandi verum actum Amoris divini, & contritionis perfectae: ut liquet partim ex hac formula, partim etiam inde, quia dum juxta nova ista placita nimis forent solliciti de interesse proprio immiscendo suo actui, facile possent oblivisci veri, & necessarii motivi charitatis divinae, seu bonitatis Dei absolutae, qua in se infinite perfectus, & bonus est, ubi nullatenus actum amoris divini aut contritionis perfectae haberent cum dispendio maximo animarum suarum, ut non sine animi sui dolore jam advertere plures in sacra scientia versatissimi.

Inferes 3. Amorem theologicum, & praeceptum esse quidem actum amoris amicitiae, sed eoipso esse purae benevolentiae, & non concupiscentiae. Communis. Prima pars prob. quia S. Scriptura homines justos & Deum diligentes saepius vocat amicos Dei: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae praecipio vobis.* Joan. 15. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Psal. 138. & alibi. Confirm. Charitas habet conditiones communiter a Th. Th. requisitas ad veram amicitiam. 1. Est amor benevolentiae, & quidem mutuus inter Deum & hominem justum ac amantem: sic enim diligit Justus Deum propter Deum: & Deus diligit hominem Justum propter ipsam Justi utilitatem, volendo ei beatitudinem aeternam: Unde Deus *proverb.* 8. dicit: *Ego diligentes me diligo.* 2. Hic amor mutuus notus est utrique amanti; eum enim Deus, qui est omniscius, per se cognoscere debet, neque latet hominem; nam eoipso, quod Deum amet, cognoscit, quod debeat redamari a Deo. 3. Deus & homo Justus communicant inter se in bonis & similitudine: in bonis quidem, cum homo innumera beneficia a Deo recipiat; homo vero Deo vicissim conferat non quidem beneficia, sed obsequia, honorem, laudem, & gloriam. In 848

fimilitudine vero communicant, quia homo per charitatem, quæ eft ipfa gratia fanctificans, fit naturæ divinæ quodammodo particeps & Deificatus. Hinc ait Joannes in 1. fua Epift. c. 3. *videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & fimus.*

Habetur etiam unio animorum; Charitas enim nos facit unum Spiritum cum Deo. Hinc ait Apoft. 1. *Cor.* 6. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eft.* Datur etiam communicatio confiliorum; Deus enim fecreta fua Juftis manifeftat; ficut Chriftus *Joan.* 15. dicit: *Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Tandem Charitas præftat fecuritatem, quia generat fiduciam de divina bonitate, ne nimis anxie timeamus damnationem.

843 Prob. 2. Pars illationis: quod amor ifte debeat effe puræ benevolentiæ. Amicitiæ nomen juxta antiquam inftitutionem (fecundum quam fignificationes nominum debent accipi) fignificat puram benevolentiam, qua alteri propter ipfum bene volumus, fine admixta concupifcentia, qua nobis bonum defideramus. Ita enim ait S. Thomas 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. *in corp. Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, fed amor, qui eft cum benevolentia, quando fcilicet fic amamus aliquem, ut ei bonum velimus, fi autem rebus amatis non bonum velimus, fed ipfum earum bonum nobis velimus, ficut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliud hujusmodi, non eft amor amicitiæ, fed concupifcentiæ.* Nec aliter loquuntur Ariftoteles 8. *Eth. c.* 3. & Cicero *l.* 2. *de finibus.* Hinc amicitia importat mutuam redamationem, & communicationem bonorum non ex affectu proprii intereffe, fed ex affectu pure gratiofo, & benevolo. Sic amor amicitiæ tendit in Deum, eum amando propter ipfum, & Deus, quæ amicis fuis præftat, eorum in utilitatem, & commodum facit, quamvis omnia ultimato ad fe ceu finem *Excellentiæ*, non vero utilitatis, qualem a creaturis non recipit, referat. Porro amicitia noftra erga Deum habet fibi adjunctam communicationem beatitudinis *effectivam*, faltem in jure ad eam: hoc ipfo enim

enim Deus homini beatitudinem promittit, & aliquando communicat, quia homo non operatur hujus, ſed Dei ſolius intuitu: unde recte S. Bernardus l. de diligendo Deo dixit: *Non ſine præmio diligitur Deus, etſi absque præmii intuitu diligendus ſit.* Qua de re non capio, qui D. Amort ex legibus amicitiæ, & communicatione bonorum inter amicos poſſit inferre, quod actus amoris divini, qui eſt amor amicitiæ, neceſſario miſceatur ex benevolentia, & concupiſcentia, cum potius oppoſitum inde concludere deberet. Pariter non percipio, qui Auctor Ideæ c. 3. in fine ex inclinatione naturali omnibus hominibus indita ad appetendam beatitudinem velit deducere, amorem Dei perfectum neceſſario debere eſſe intereſſatum. Nam hic non eſt quæſtio de appetitu illo naturali, & neceſſario, qui cum liber non ſit, nec bonus, nec malus, nec meritorius eſt. Sed loquimur de concupiſcentia, & appetitu voluntario, & libero, ac virtuoſo, qui eo ipſo, cum liber ſit, libere omitti poteſt. Nonne nihil volitum, quin præcognitum? nunquid & Deus poteſt nobis per intellectum proponi ſolum ut in ſe bonus, & abſtrahi a bonitate ejus erga nos, a beatitudine ab ipſo nobis promiſſa? In tali autem caſu voluntas actu amoris unice ferretur in Deum qua in ſe bonum, quia ſic ſolum eſt cognitus, non vero in beatitudinem noſtram aut ejus bonitatem reſpectivam, tunc non cognitam. Ita argumentatur pro noſtra ſententia ipſe SS. D. N. BENEDICTUS XIV. a cujus placitis auctor Ideæ hoc in puncto plurimum diſtat.

Tandem notes, SS. PP. quos pro ſe adducit laudatus Au- 844
ctor Ideæ, non raro loqui de amore, vel charitate in genere, prout ſub ſe comprehendit perfectam & imperfectam, tanquam duas ſpecies diſtinctas; & ſic utique importat & benevolentiam, quæ perfectæ competit Charitati, qua amatur Deus propter ſe, & ut in ſe bonus, & concupiſcentiam, quæ imperfectæ convenit, qua Deus amatur propter nos, & ut nobis bonus. Verum hic non loquimur de Charitate Dei generice, ſed de perfecta & theologica ſpecifice tali, quæ ex ſua natura reſpicit Deum unice propter Deum in ſe infinite bonum, & abſtrahit a bonitate ejus reſpectiva, qua nobis bonus eſt. Ex dictis fere omnia ſolvi

possunt, quæ nostris assertis opponuntur. Qui plura desiderat, consulat Libellos Clarissimi P. Virgilii Sedlmayr hac super re editos, sicut Tournelium citatum.

Hæc itaque sufficiant de tribus Virtutibus Theologicis, alicui Theologiæ, ut vocant, Speculativæ vel potius Scholasticæ studioso, reliqua, quæ ad praxin faciunt, ex Theologis moralibus & Casistis petantur.



INDEX

INDEX

RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM IN HOC TOMO II. COMPREHENSORUM.

Numerus paginam indicat.

A.

B. Bea-

B.

C.

D.

R.



Errata ſic corrige.

Pag.	Lin.		lege.
2.	22.	N. ad argumenta,	§. ad argumenta,
24.	18.	præſcrindendo.	præſcindendo.
27.	28.	ſubſtantiæ.	ſubſiſtentiæ.
ibid.	ult.	conſiderant.	conſideranti.
44.	ult.	pertinent.	pertinet.
82.	27.	ſi.	ſic.
108.	19.	n. 8. ubi ait.	n. 8. ait.
120.	17.	fermalem.	formalem.
157.	35.	non.	nos.
223.	27.	*noſtro.*	*veſtro.*
250.	15.	ſpectat.	ſpectet.
251.	3.	intellectum.	intellectuum.
256.	21.	ais.	ait.
304.	35.	Nota c.	Nota 9.
326.	3.	Trinum.	trium.
426.	20.	poſt τὸ Gilberti deleatur *ſemicolon,*	& ponatur *coma,*
562.	20.	Eccleſiæ.	Eccleſia.
568.	18.	extraordinario.	extraordinaria.
586.	20.	fidem diſcurſivam.	fidem non diſcurſivam.
589.	4.	per ſe.	ſe per.
592.	4.	Articulus IV.	§. IV.
627.	35.	ita.	iſta.
629.	33.	-pernaturalem, quia.	-pernaturalem eſt, quia.
641.	penult.	credantur.	creduntur.
649.	12.	veritatem.	veracitatem.
665.	penult.	rccipiendum.	recipiendum.
667.	1.	enim.	nempe.
676.	9.	naturali.	naturalis.
680.	27.	&.	quam.
697.	28.	habitus per.	habitus eſt per.
706.	5.	deleatur τὸ ne quidem.	
ibid.	8.	& ſeq. charitati habituali.	charitatis habitualis.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0030743



R. P. KIJCR
THEOL: UNJVERSA
TOMUS II.